

PK 431
• 443
1846-
V. 2
C. 1

PLANTAE PREISSIANAE

SIVE

ENUMERATIO PLANTARUM

QUAS

IN AUSTRALASIA OCCIDENTALI ET MERIDIONALI-
OCCIDENTALI ANNIS 1838 — 1841

COLLEGIT

LUDOVICUS PREISS,

PHIL. DR. ACAD. CAESAR. LEOPOLD. CAROL. NATUR. CURIOS. ET REG.
SOCIET. BOT. RATISBONENS. SODALIS, CET.

PARTIM AB ALIIS PARTIM A SE IPSO DETERMINATAS
DESCRIPTAS ILLUSTRATAS

EDIDIT

Johann Georg **CHRISTIANUS LEHMANN,**

M. ET PH. D., HIST. NAT. PROF. P. O., HORTI BOT. DIR., BIBL. P. CIVIT. HAMB.
PRAEF. PRIM., ORD. BORUSS. AQUIL. RUB. CL. III. EQUES, ACAD. CAESAR. LEOP.
CAROL. NAT. CURIOS. ADJUNCTUS, CET.

VOL. II.

HAMBURGI,
SUMPTIBUS MEISSNERI.

1846 — 1847.

P R A E F A T I O.

Multo serius quam in votis atque expectatione mea erat, nunc tandem quod reliquum est descriptarum plantarum, quas cl. L. Preiss Dr. in Australasiae partibus collegit, quae solem occidentem spectant, in iisque, quae inter occasum et meridiem sunt, foras proferendi facultas mihi oblata est, quatenus propter exemplarium conditionem eas accurate atque certo definire licuit; quamquam, quod attinet ad modum descriptionum, non talem ad eas adhibere potui aequabilitatem, qualem primum quidem proposueram.

Praeterea in animo habebam indicem seminum a Preissio collectorum et multis in hortis egregie enatorum, quae Preissius ipse numeris distinxerat, eorum nominibus adjectis huic volumini adjungere, id agens, ut iis, qui plantas ex illis seminibus procreatas possiderent, simul rectam earum definitionem suppeditarem. Sed quum iterum iterumque animadverterem hos numeros, ex quo Preissius, vir cl., seminibus distribuen-

dis non interfuisset, quam maxime inter se permutatos esse, illos prorsus omittere malui, quam gravissimorum errorum invitus auctor fieri. Quo major cura et diligentia in siccatarum plantarum indices impensa est, eo major spes est, iis, qui illas plantas possident, ex his indicibus haud parvum fructum esse redundaturum.

Libentissime autem non solum novas species, quae Meisnero, professori celeberrimo, ex quo prius hujus libri volumen apparuit, e familiis ab eo tam egregie tractatis ex regionibus a Preissio perlustratis accesserunt, inter „Additamenta et Emendationes“ protuli; sed etiam ab eodem viro doctissimo plantis, quas descripserat, numeri in secunda et tertia collectione Drummondiana aliisque in locis ipsis appositi, quoad exemplaria copiam faciebant, suppleti sunt.

Nec profecto diffido, haec addenda atque ea, quae peculiariter scripta sunt de trium familiarum generibus et speciebus, quaecunque ad hoc usque tempus ex illis regionibus innotuerunt, in „Appendice“ edita, hominibus hoc in studio versantibus profutura esse. Quodsi forte mihi contingat, ut integrae collectiones omnium Drummondianarum plantarum in manus meas perveniant, has cum Preissianis accurate comparabo, nec non observationum mearum summam loco idoneo publice exponam.

Dabam Hamburgi mense Novembri MDCCCXLVII.

J. G. C. Lehmann.

P R A E F A T I O.

Ludovicus Preiss, Philos. Dr., vir clarissimus, summo investigandae perscrutandaeque naturae studio commotus, ante aliquot annos, adhibita Hamburgi diligenti praeparatione, in occidentalem et meridionali-occidentalem Australasiam proficisci constituit. Quod iter laboribus et difficultatibus impeditissimum quam prospero successu perfecit, rebus naturalibus e Preissiana collectione in musea translatis satis probatur, quae illorum corporum naturalium, quae antehac rara e Britannia ad nos migrare solebant, nunc opera ejus copiam non exiguam possident. Quanti ad vero thesauri botanici, quae sine dubio imprimis ab eo adjuta et aucta est, ex hac expeditione redundaverint, hic ipse liber videtur testari.

In Europam Preissius anno MDCCCXXXII reversus quid in universum itinere suo consecutus sit ipse narraturus, plantarum, quas collegerat, in notitiam omnium perferendarum curam mandavit mihi. Ex quarum ingenti multitudine, quae vel se-

cundum familias distribui haud brevi temporis spatio potuerat, facile cognovi, mihi soli opus suscepturo vires facultatesque ad examinandas describendasque omnes non esse suffecturas, maxime quum publici muneris officiis tum perquam occupatus otium, quo tantum opus perficerem, non haberem. Praeterea censui, in illustrandis tot plantis fore, ut conjuncta opera virorum in hoc negotio versatorum, quorum pro suo quisque commodo familias sibi describendas eligeret, non minus ad augendam doctrinam, quam ad opus celerius absolvendum conferret. Quod consilium a plerisque viris rei botanicae peritis etiam extra fines Germanicos est comprobatum. Nam praeter eos viros doctos, quos ipse invitaveram, multi rei herbariae cultores, Clarissimi Preissii rogatu arcessituque commoti*), sese in opere edendo mecum laborare velle ultro professi sunt, ita ut, quamquam majorem plantarum partem, quam antea describendam mihi elegeram, aliis tradebam, unicuique satis dare non possem. Quibus omnibus viris spectatissimis pro liberalitate et benevolentia mihi exhibita, pro insumpto studio et diligentia plurimas ago gratias. Nomina hic enumerare non attinet, singulis enim operis partibus, cui summae laudi sunt et decori, praescripta reperiuntur.

Etiam si certa quaedam ratio, qua omnes familiae determinarentur et explicarentur, a me proposita, a reliquis comprobata esset, tamen a me non potuit impediri, quin in expositionis genere inter singulos commentarios discrepantiae passim conspicuae essent. Cujus varietatis causa partim quidem in ingenio singulorum scriptorum, quorum alii accuratiore et uberiore, alii concisiore scribendi genere delectantur, partim vero et in exemplarium natura, quae haud semper eadem erat, est sita.

*) In ephemeridibus Florae 1842 No. 34.

PLANTAE PREISSIANAE.

TYPHACEAE.

TYPHA Tournef. Endl. gen. n. 1709. Meisn. gen. pag. 360. (268.) Koch Synops. Fl. germ. ed. 2. Vol. 2. pag. 785. Schnitzlein Typhac.

1. **Typha Schuttleworthii** Sond. et Koch. Foliis linearibus culmo florente longioribus, spicis cylindricis contiguis, stigmatibus lanceolatis subobliquis, pilis apicem stigmatis aequantibus. — Koch l. c. Schnitzl. l. c. pag. 24.

In locis paludosis ad radices montis Elizamountain, Perth, d. 19. Jan. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1874.

Planta pluripedalis. *Culmus* (in sicco) apice teres, subcompressus. *Folia* culmo longiora, linearia, 3-4 lin. lata, basi vagina pollicem lata biaurita insidentia, inferne extus subconvexa, intus plana vel marginibus subelevatis convexiuscula, superne utrinque plana, aequaliter attenuata, tenuiter striata, glaucescentia. *Spicae* subcontiguae, cylindratae, feminea inferior subspithamaea, pollicem crassa, ferruginea, mascula tenuior quam feminea, non brevior. *Spica mascula*: perigonium e setis paucis efformatum; filamenta solitaria, libera; antherae duae vel tres, lineares apice crassiusculae, obtusae, longitudinaliter dehiscentes, filamenta duplo breviores; pollen. *Spica feminea*: flores feminei neutris (abortivis) mixti, bracteis nullis. *Flores feminei* plures, pedicello communi insidentes, singuli pilis pluribus albis, sericeis, stigma aequantibus circumdati; ovarium demum longe stipitatum, ovato-oblongum, apice in stylum filiformem et stigma subobliquum lanceolatum abiens. *Flores neutri* stipitati, clavati, apice obtuso mucronati, pilis aequilongis vel sublongioribus inclusi.

Obs. Planta a cl. Preiss. collecta, cum speciminibus authenticis ex Helvetia allatis herbarii cl. Sonderi omnibus notis exacte convenit, excepta spica feminea ferruginea parum crassiore. Radicis partem interioriorem aborigines edunt, teste cl. Preiss.

NAJADEAE.

ZANICHELLIA Micheli. Endl. gen. n. 1662. Meisn. gen. pag. 363. (272.)

1. **Zanichellia Preissii** Lehm. radicans, nucibus oblongis teretiusculis dorso vix elevato obtusis breve stipitatis stylo elongato filiformi terminatis.

In fluvio Canningriver, Perth, in aqua salsa m. Nov. a. 1841. Herb. Preiss. No. 1879.

Caulis in aqua fluitans, repens, nodoso-articulatus, nodis pollicem inter se distantibus, radicans, filiformis, tenuissimus, ramosissimus, dichotomus, glaber, alterne foliatus. *Folia* ternatim congesta, angustissime linearia, fere setacea, acutata, plana, integerrima, nervo medio tenui percursa, saturate viridia, siccitate fragilia, 1-2 pollices longa, saepe inaequalia, vagina inclusa. *Vagina* membranacea, pallida, e stipulis connatis efformata, amplexicaulis, 2 lin. longa. *Flores* masculini et feminei in axillis foliorum spatha membranacea inclusi. *Masc.* Stamen unicum ad basin floris feminei. Filamentum filiforme, anthera *Fem.* Flores 3-6. *Ovaria* libera, ovulo unico pendulo. *Stylus* terminalis ovario continuus, persistens. *Stigma* majusculum sublaterale in speciminibus siccis linguaeforme. *Nuces* carphoro brevi filiformi insidentes, oblongae, teretiusculae subobliquae, vix compressae, dorso obtuso non cristatae, coriaceae, brunneae, glaberrimae, monospermae, indehiscentes, stylo filiformi nucem superante coronatae. *Semen* oblongum testa tenuissima membranacea. *Albumen* nullum. *Radicula* infera subovata, valde incrassata. *Cotyledon* elongata, subulata, spiraliter convoluta.

ORCHIDEAE.

(Auctore STEPH. ENDLICHER.)

Tribus I. ARETHUSEAE Lindley gen. et sp. Orchid. 381.

Divisio I. EUARETHUSEAE Lindley op. cit. 385.

MACDONALDIA Gunn. Endl. gen. suppl.
n. 1586/1.

1. **Macdonaldia concolor** Lindl. caule triphylo subbifloro, floribus luteis, perigonii foliolis obtusis, cuculli trilobi glabri laciniis lateralibus majoribus rotundatis, intermedia minima glabra. Lindley Swan-River n. 218. gen. et sp. Orchid. 385.

Thelymitra flexuosa Endl. Decad. n. 29.

In Nova Hollandia occidentali. Herb. Preiss. No. 2630.

2. **Macdonaldia antennifera** Lindl. caule subtriphylo paucifloro, floribus luteis, perigonii foliolis obtusis, clinandrio a tergo appendicibus duabus carnosis clavatis emarginatis aucto. Lindley Swan-River n. 219. t. q. C. gen. et sp. Orchid. 385.

In solo limoso-arenoso districtus York, 3. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2181.

PTEROSTYLIS R.Br. Endl. gen. n. 1595.

* *Caule folioso unifloro.*

1. **Pterostylis turfosa** *Endl.* foliis anguste lanceolatis acuminatis sessilibus, inferioribus approximatis minoribus, perigonii foliolis exterioribus filiformibus posticum aequantibus, columnae anguste alatae auriculis latis, labello ligulaeformi stupposo-barbato, appendice nana, glabra.

In turfoso-arenosis deflagratis ad Stirling's-terrace, 20. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2632.

Herba bipollicaris glabra. Folia flavida. Flos solitarius, erectus, flavo-viridis, fere pollicem longus.

2. **Pterostylis barbata** *Lindl.* foliis ovatis acuminatis imbricatis supremis vaginantibus inflatis, labelli perigonii foliolis acuminatissimis, labello subulato clavato barbato, appendice glabra, apice denticulata. Lindley Swan-River n. 254. gen. et sp. Orchid. 388.

In Nova Hollandia occidentali. Herb. Preiss. No. 2631.

3. **Pterostylis pyramidalis** *Lindl.* foliis inferioribus ovatis in petiolum angustatis, superioribus minoribus sessilibus, labelli lamina lineari apice paullo latiore, appendice penicillata, perigonii foliolis lateralibus filiformibus postici longitudine. Lindley Swan-River 253. gen. et sp. Orchid. 388.

In solo arenoso sylvae prope lacum Kei-er-mulu v. Mongerslake, 18. Juni. 1839. Herb. Preiss. No. 2203.

** *Caule folioso multifloro.*

4. **Pterostylis vittata** *Lindl.* foliis radicalibus nullis, caulinis ovato-lanceolatis, labello bifido fimbriato, appendice indivisa, columna auriculis deorsum acuminatis barbatis. Lindley Swan-River 252. gen. et sp. Orchid. 389.

α major.

In arenosis umbrosis montium continuorum Darling's-range, Perth, Jul. 1841. Herb. Preiss. No. 2202.

β minor.

In arenosis umbrosis sylvae ad fluvium Cygnorum, 28. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2201.

LYPERANTHUS R.Br. Endl. gen. n. 1596.

1. **Lyperanthus nigricans** *R.Br.* folio cordato-ovato, perigonii foliolis in labium inferius tetraphyllum deflexis, labello crispo inciso obtuso apice revoluta disco papilloso. R. Brown prodr. 325. Endl. Iconogr. t. 29. Lindl. gen. et sp. Orchid. 392.

In arenosis sylvae prope oppidulum Albany, Plantagenet, 5. Octobr. 1840. Herb. Preiss. No. 2200.

Variat statura palmari et sesquipedali.

2. **Lyperanthus serratus** *Lindl.* folio lineari-elongato, perigonii foliolis lateralibus in labium diphyllum deflexis, labello apice serrato, disci glandulis seriatis conicis sessilibus, marginibus muricatis et papillosis. Lindley gen. et sp. Orchid. 393.

In densetis montis Wuljenup, Plantagenet, 14. Octobr. 1840. Herb. Preiss. No. 2189.

MICROTIS R.Br. Endl. gen. n. 1588.

1. **Microtis atrata** *Lindl.* folio basi cucullato caule longiore, spica densa cylindracea, perigonii foliolis lateralibus oblongis revolutis, postico subrotundo, interioribus ovatis acutis, labello oblongo obtuso nudo. Lindley Swan-River 261. gen. et sp. Orchid. 395.

In limoso-arenosis aquaticis planitiei prope oppidulum Perth, 26. Sept. 1837. Herb. Preiss. No. 2403.

CYRTOSTYLIS R.Br. Endl. gen. n. 1590.

1. **Cyrtostylis Hügelii** *Endl.* bracteis acutis, labello angusto et perigonii foliolo postico acutis, columna anguste auriculata. Endl. in Enum. pl. Hügel. II. inedit.

In arenosis conchyliosis umbrosis inter muscos prope lacum insulae Rottennest, 22. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2204.

LEPTOCERAS Lindl. gen. et sp. Orchid. 415.

1. **Leptoceras Menziesii** *Lindl.* folio ovali-lanceolato, caule stricto uni-bifloro pilosiusculo, labello glabro oblongo apice angustato obtuso glandulis capitatis biseriatis. Lindl. gen. et sp. Orchid. 416.

Caladenia Menziesii R. Brown prodr. 325.

In arenosis umbrosis sylvae prope Albany, Plantagenet, 23. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2213.

2. **Leptoceras oblonga** *Lindl.* folio oblongo obtuso, racemo elongato, floribus longe pedunculatis internodiis brevioribus, labelli oblongi apice angustati crispi glandulis biseriatis teretibus, infimis fasciculatis. Lindley Swan-River n. 244. gen. et sp. Orchid. 416.

In humoso-arenosis umbrosis prope oppidulum Perth, 26. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2212.

3. **Leptoceras pectinata** *Lindl.* glaberrima, folio ovato acuminato, caule stricto uni-bifloro, labello pubescente cu-

neato eglanduloso, apice dentibus glandulosis medio excepto pectinatim marginato. Lindley Swan-River n. 246. gen. et sp. Orchid. 416.

In rupestribus jugi Darling's-range, Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 2186.

CALADENIA R.Br. Endl. gen. n. 1593.

* **EUCALADENIA** Lindley gen. et sp. Orchid. 417. *Perigonii foliola subaequalia, ringentia, haud acuminata. Labellum seriatim glandulosum, saepissime trilobum.*

1. **Caladenia Preissii** Endl. folio ovato-oblongo caule pubescente unifloro quadruplo brevior, perigonii foliolis acutiusculis, labelli glandulis biseriatis approximatis, lobis lateralibus subfalcatis basi callo auctis intermedium incisoserratum disco nudum aequantibus.

In arenosis humidis sylvae cis Preston-creek, Perth, 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2208.

α **Caladenia carnea** R.Br. sub qua plures species verisimiliter latent, satis videtur distincta, sequenti etiam affinis. Flores incarnati, folium subtus purpureum.

2. **Caladenia nana** Endl. folio ovato-oblongo caule subbifloro tomentoso pubescente duplo brevior, perigonii foliolis obtusiusculis, labelli glandulis biseriatis ramentaceis subfasciculatis, lobis lateralibus obtusis, intermedio rotundato fimbriato-inciso, disco nudo.

In arenosis ad latus occidentale montis Clarence, 5. Octobr. 1840. Herb. Preiss. No. 2205.

Congenerum minima. Flores incarnati.

3. **Caladenia unguiculata** Lindl. folio lineari caule unifloro brevior, perigonii foliolis obtusiusculis, labelli cuneati longe unguiculati glandulis quadriseriatis ramentaceis, infimis majoribus, lobis dentatis, lateralibus truncatis, intermedio majore, disco glanduloso. Lindley Swan-River n. 232. gen. et sp. Orchid. 418.

In arenosis subumbrosis sylvae prope Limekiln, Perth, 19. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 2191.

4. **Caladenia flava** R.Br. folio lanceolato cauleque bitrifloro hirsuto, perigonii foliolis acutis, labelli lamina basi cordata, glandulis biseriatis, infimis longioribus supremis fasciculatis, lobo medio basi utrinque bidentato, dentibus lobum aequantibus, disco eglanduloso, lateralibus acutis mucrone antheram aequante. R. Brown prodr. 417. Lindl. gen. et sp. Orchid. 418.

In arenosis sylvae cis oppidulum Guildford et in districtu York, 31. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2209.

5. **Caladenia mollis** Lindl. folio oblongo caule elongato quadruplo brevior, perigonii foliolis acutiusculis, labelli glandulis biseriatis approximatis, lobis lateralibus rotundatis, intermedio lanceolato utrinque basi tridentato, disco nudo. Lindley Swan-River n. 233. gen. et sp. Orchid. 419.

In solo subturfoso sylvae prope oppidulum Albany, Plantagenet, 8. Octobr. 1840. Herb. Preiss. No. 2183.

6. **Caladenia marginata** Lindl. folio oblongo caulem subaequante, perigonii foliolis obtusiusculis, labelli glandulis biseriatis filiformibus conformibus, lobis lateralibus rotundatis, intermedio triangulari basi fimbriato apice glandulis marginato, disco nudo. Lindley Swan-River n. 419. gen. et sp. Orchid. 419.

In Nova Hollandia austro-occidentali. Herb. Preiss. sine numero.

7. **Caladenia ochreatea** Lindl. folio oblongo acuto basi ochrea laxa truncata vaginato caule subramoso brevior, perigonii foliolis obtusiusculis, labelli glandulis biseriatis filiformibus conformibus, lobis lateralibus rotundatis, intermedio triangulari acuminato subcrispo margine calloso, disco nudo. Lindley gen. et sp. Orchid. 419.

In densetis haud longe ab ora maritima, Perth, 23. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2184.

** **PENTISEA** Lindl. l. c. *Perigonii foliola subaequalia patula, haud producta. Labellum indivisum, undique glandulosum.*

8. **Caladenia pellita** Endl. folio ovato coriaceo subtus glabro supra dense piloso caule villosa uni-biflora bibracteata pluries brevior, labello ovato acuto glandulis capitatis undique tecto.

In arenosis umbrosis inter frutices sylvae prope oppidulum Perth, 23. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2192. Flores caerulei.

9. **Caladenia gemmata** Lindl. folio ovato nudulato coriaceo caule villosa uniflora ebracteata pluries brevior, labello subrotundo-ovato aucto glandulis depressis undique tecto. Lindley Swan-River n. 419. gen. et sp. Orchid. 420.

In limoso calculosis subumbrosis montium prope oppidulum York, 9. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2193.

*** **CALONEMA** Lindl. l. c. *Perigonii foliola ringentia longe acuminata. Labellum indivisum, saepius margine fimbriatum.*

10. **Caladenia filifera** Lindl. folio lineari caule duplo brevior, perigonii foliolis apice filiformibus plumoso-glandulosis, labello ovato-lanceolato obtuso dentato basi inte-

gro medio constricto, glandulis biseriatis. Lindley Swan-River n. 239. gen. et sp. Orchid. 421.

In solo limoso-arenoso prope Woodbridge, Perth, et in districtu York, 5. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2210.

11. **Caladenia denticulata** Lindl. folio lineari caule villosa brevior, perigonii foliolis apice filiformibus plumosoglandulosis, labello ovato-lanceolato obtuso supra medium denticulato, glandulis biseriatis. Lindley Swan-River n. 240. gen. et sp. Orchid. 421.

In Nova Hollandia austro-occidentalis. Herb. Preiss. s. n.

12. **Caladenia hirta** Lindl. folio oblongo caule furcato elato multo brevior, perigonii foliolis acuminatis, labello oblongo serrato obtuso, glandulis quadriseriatis, infimis capitatis. Lindley Swan-River n. 241. gen. et sp. Orchid. 421.

In solo limoso-arenoso sylvae prope oppidulum York, 5. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2218.

13. **Caladenia longicauda** Lindl. folio anguste oblongo canaliculato villosissimo caule furcato elato multo brevior, perigonii foliolis filiformi-acuminatissimis glandulosis, labello ovato-oblongo obtuso basi cordato, fimbriato ultra medium serrato, glandulis conformibus quadri-sexseriatis, versus apicem evanescentibus. Lindley Swan-River n. 242. t. 8. A. gen. et sp. Orchid. 422.

a. *Forma elatior.* In solo humoso inter frutices circa oppidulum Guildford, Perth, et in districtu York, 31. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2217.

b. *Forma humilior.* In confragosis montium continuorum Darling's-range, Sept. 1841. No. 2185.

14. **Caladenia discoidea** Lindl. folio oblongo lineari obtuso villosa caule subbifloro brevior, perigonii foliolis acutissimis aristatis, labelli ovalis pectinati disco glandulis depressis sine ordine onusto. Lindley Swan-River n. 243. gen. et sp. Orchid. 423.

In Nova Hollandia austro-occidentali. Herb. Preiss. No. 2633.

GLOSSODIA R.Br. Endl. gen. n. 1594.

1. **Glossodia (Elytranthera) Brunonis** Endl. caule apice furcato, labello lineari obtuso glabro geniculato, appendicibus duabus oblongis acuminatis obtusis labello subaequalibus. Endl. Decad. n. 20. Lindley gen. et sp. Orchid. 424.

In arenosis umbrosis sylvae haud longe ab oppidulo Perth, 23. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2214.

ERIOCHILUS R.Br. Endl. gen. n. 1592.

1. **Eriochilus scaber** Lindl. folio epigaeo coriaceo subrotundo ovato acutissimo, caule nano unifloro cum bractea

oblonga acuta et germine scabro, flore sessili erecto.
Lindley Swan-River n. 247. gen. et sp. Orchid. 427.

In solo subarenoso sylvae prope Preston-creek, Perth, 28. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2207.

2. **Eriochilus Lindleyi** Endl. folio epigaeo coriaceo subrotundo ovato acutissimo, caule nano unifloro scabriusculo, bractea ovata acuminata et germine scabro, flore pedunculato subnutante.

In subarenosis madidis planitiei ad fluvium Canning, Perth, 22. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2206.

Priori simillimus, paullo major et gracilior. Flores incarnati.

3. **Eriochilus tenuis** Lindl. folio epigaeo tenui membranaceo-ovato-oblongo obtuso, caule tenui unifloro bracteaque ovata glabro, germine tomentosus. Lindley Swan-River n. 248. gen. et sp. Orchid. 427.

In Nova Hollandia austro-occidentali. Herb. Preiss. s. n.

4. **Eriochilus multiflorus** Lindl. folio medio caulis inserto ovali acuminato, caule multifloro apice pubescente, bracteis oblongis ciliatis, rhachi germinibusque tomentosus, labello ovali obtuso, perigonii foliolo postico columna paullo longiore, anthera rima glabriuscula. Lindley Swan-River n. 427. gen. et sp. Orchid. 427.

In arenosis umbrosis sylvae prope oppidulum Perth, 29. Apr. 1839. Herb. Preiss. No. 2190.

SPICULAEA Lindl. Endl. gen. suppl. I. n. 1598/2.

1. **Spiculaea ciliata** Lindl.

In Nova Hollaandia austro-occidentali. Herb. Preiss. No. 2636.

„Herba spithamea glabra verisimiliter fusca. *Folium* radicale coriaceum, cordatum, acuminatum. *Scapus* medio unisquamatus. *Racemus* multiflorus 2-3 pollices longus. *Perigonii* foliola filiformi-spathulata, interiora etiam angustiora, haud apice dilatata, 5 lin. longa. *Labelli* lamina comosa, supra medium affixa, basi angustata, ciliata, retusa, appendice apicis ovali, membranacea.“ Lindley Swan-River n. 264. c. fig. gen. et sp. Orchid. 428.

DRAKAEA Lindl. Endl. gen. suppl. I. n. 1598/1.

1. **Drakaea elastica** Lindl.

In Nova Hollandia austro-occidentali. Herb. Preiss. No. 2635.

„*Radices* lanatae apice bulbosae. *Folium* radicale coriaceum, subrotundum, cordatum. *Scapus* erectus, pedalis, glaber, squamula infra medium solitaria, uniflorus. *Labellum* basi tuberculatum, crinitum, angustatum, medio utrinque dente retrorso auctum, tactu levissimo irritabile.“ Lindley Swan-River n. 263. c. fig. gen. et sp. Orchid. 428.

CALEANA R.Br. Caleyia Endl. gen. n. 1598.

1. **Caleana nigrita** *Lindl.* folio ovato acuminato obtuso basi cucullato, scapo nudo, labelli lamina lineari tuberculata basi subcordata apice angustata indivisa. Lindley Swan-River n. 262. gen. et sp. Orchid. 429.

In Nova Hollandia austro-occidentali. Herb. Preiss. No. 2634.

Tribus II. NEOTTEAE Lindley gen. et sp. Orchid. 441.

Divisio I. CRANICHIDÆ Lindley op. cit. 444.

CRYPTOSTYLIS R.Br. Endl. gen. n. 1579.

1. **Cryptostylis ovata** *R.Br.* floribus porrectis, labello convexo marginibus recurvis, axi intus infra medium laevi, juxta apicem processu didymo elongato obtuso pubescente calloso, foliis oblongo-ovatis petiolo suo longioribus, spica coarctata. Lindley gen. et sp. Orchid. 445.

In arenosis inter frutices clivuli Strawberry-hill, Plantagenet, 9. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 2188.

Divisio II. DIURIDÆ Lindley op. cit. 506.

DIURIS Smith. R.Br. Endl. gen. n. 1584.

* *Labelli basi ecarinati laciniæ laterales intermedia minores.*

1. **Diuris filifolia** *Lindl.* foliis setaceis scapo multifloro univaginato multo brevioribus, floribus immaculatis, perigonii foliolis lateralibus interioribus ovalibus acutis aequalibus, labelli lobo medio unicarinato ovato acuto complicato, lateralibus rotundatis dentatis longiore. Lindley Swan-River n. 226. t. S. f. B. gen. et sp. Orchid. 510.

In solo turfoso inter frutices prope oppidulum Albany, Plantagenet, 11. Octobr. 1840. Herb. Preiss. No. 2196.

2. **Diuris carinata** *Lindl.* foliis filiformibus, scapo multifloro bivaginato multo brevioribus, floribus subsecundis maculatis, perigonii foliolis lateralibus interiora oblonga obtusa aequantibus, labelli lobo medio ad apicem usque carinato ovato obtuso, lateralibus rotundatis integerrimis longiore, columna laciniis semiovatis falcatis integerrimis. Lindley gen. et sp. Orchid. 510.

In solo humoso inter frutices sylvae prope oppidulum Albany, Plantagenet, 14. Octobr. 1840. Herb. Preiss. No. 2182.

3. **Diuris laxiflora** *Lindl.* foliis filiformibus scapo multifloro univaginato multo brevioribus, floribus maculatis in-

ternodiis brevioribus, pedunculis longissimis capillaribus, bracteas lineares canaliculatas superantibus, labelli lobo medio subrotundo basi ima plicato, lateralibus multo minoribus margine postico denticulatis. Lindley gen. et sp. Orchid. 510.

In Nova Hollandia austro-occidentali. Herb. Preiss. s. n.

**** Labelli basi ecarinati lacinae subaequales.**

4. **Diuris porrifolia** Lindl. foliis lanceolatis linearibusque acuminatis scapo quadri-sexfloro monophyllo brevioribus, pedicellis bracteis foliaceis brevioribus, floribus maculatis, perigonii foliolis exterioribus interiora ovalia acuta aequantibus, labelli lobis oblongis rotundatis, intermedio minore convexo cuneato medio elevato. Lindley Swan-River n. 229. gen. et sp. Orchid. 511.

In lapidosis vallis Cataractae ad caput fluvii Cygnorum, 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2195.

PRASOPHYLLUM R.Br. Endl. gen. n. 1581.

A. Perigonii foliola lateralia basi convexa.

* *Labellum lamina adnata acutum.*

1. **Prasophyllum nigricans** R.Br. perigonii foliolis lateralibus basi cohaerentibus, dorsali interioribusque nudis, labelli lamina oblongo-ovata bicarinata imberbi, columna laciniis lateralibus triangularibus bidentatis, anthera brevissime mucronata. R. Brown prodr. 317. Lindley gen. et sp. Orchid. 513.

In turfoso-humidis prope montem Wuljenup. Plantagenet, 20. Octobr. 1840. Herb. Preiss. No. 2199.

2. **Prasophyllum macrotys** Lindl. germinibus cylindraceis subsessilibus bracteas acutissimas duplo superantibus, spica multiflora, perigonii foliolis acutiusculis, lateralibus superne distinctis, labelli obovati lamina conformi emarginata, columna laciniis linearibus anthera duplo longioribus, folio caulis dimidium superius subaequante. Lindley Swan-River n. 257. gen. et sp. Orchid. 515.

In locis hieme inundatis ad fluvium Gordon, Hay, 6. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2216.

3. **Prasophyllum giganteum** Lindl. germinibus cylindraceis subsessilibus bracteas acutas duplo superantibus, spica multiflora, perigonii foliolis acutis, lateralibus superne distinctis, labello oblongo lanceolato undulato obtuso, columna laciniis linearibus obtusis anthera paullo longioribus, folio caulis dimidio superiore brevioribus. Lindley Swan-River n. 256. gen. et sp. Orchid. 515.

In arenosis planitiei haud longe a cataracta ad caput fluvii Cygnorum, 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2215.

** *Labellum membranaceum, inappendiculatum.*

4. **Prasophyllum gracile** *Lindl.* germinibus pedicellatis bracteas acutas ter superantibus, spica rara multiflora, perigonii foliolis acuminatis, lateralibus basi cohaerentibus, labello cordato ovato acuto medio semel undulato, columna laciniis ovatis obtusis integris. Lindley Swan-River n. 259. gen. et sp. Orchid. 516.

In solo limoso prope oppidulum York, 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2198.

B. Perigonii foliola lateralia basi saccata.

5. **Prasophyllum gibbosum** *R.Br.* germinibus cylindricis, spica multiflora imbricata, perigonii foliolis obtusiusculis, lateralibus papillosis cohaerentibus basique saccatis, interioribus spathulatis laevibus, labelli lamina oblonga obtusa papillosa, columna laciniis membranaceis obtusis hinc medio unidentatis, anthera mutica. R. Brown prodr. 317. Lindley gen. et sp. Orchid. 517.

In solo turfoso-arenoso ad Stirling's-terrace, Plantagenet, 22. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2211.

6. **Prasophyllum parvifolium** *Lindl.* germinibus clavatis, spica pauciflora obtusa, perigonii foliolis acuminatis lateralibus basi saccatis, interioribus conformibus, labelli lamina lanceolata undulata obtusa basi bilamellata, columna laciniis linearibus obtusis, anthera apiculata, rostello longissimo petaloideo.

In arenosis umbrosis ad caput fluvii Cygnorum, 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2220.

Divisio III. THELYMITRIDAE Lindley gen. et sp. Orchid. 518.

EPIBLEMA R.Br. Endl. gen. n. 1585.

1. **Epiblema grandiflorum** *R.Br.* prodr. 315.

Caulis fere sesquipedalis glaberrimus teres. *Folium* solitarium filiforme, vaginans, recurvum caule multo brevius. *Scapus* squamis 2 distantibus acutissimis vaginatus. *Racemus* subcorymbosus, pauci-multiflorus, pedicellis filiformibus bracteas lanceolatas canaliculatas acutas superantibus. *Flores* caerulei, speciosi. Lindley gen. et sp. Orchid. 523.

In turfosis uliginosis ad marginem lacus, haud longe ab oppidulo Perth, 28. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2219.

THELYMITRA Forst. Endl. gen. n. 1586.

1. **Thelymitra macrophylla** *Lindl.* folio radicali erecto lanceolato, racemo elongato cylindraco, columnae laciniis

lateralibus parvis subsessilibus stuposis, intermedia majore fornicata glabra indivisa. Lindley Swan-River n. 213. gen. et sp. Orchid. 519.

Inter frutices densos, solo limoso, prope oppidum Guildford, 16. Octobr. 1839. Herb. Preiss. No. 2187.

2. **Thelymitra crinita** Lindl. folio radicali oblongo apiculato glabro, racemo cylindraceo, columnae lobis lateralibus barbatis unguiculatis, intermedia fornicata emarginata dorso glanduloso villosa. Lindley Swan-River n. 214. gen. et sp. Orchid. 521.

In arenosis umbrosis inter frutices planitiei ad fluvium Canning, Perth, 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 2194.

3. **Thelymitra campanulata** Lindl. folio radicali lineari, racemo secundo multifloro, floribus campanulatis, columnae lobis lateralibus subulatis, apice barbatis, intermedia tripartita dorso glandulosa. Lindley Swan-River n. 214. gen. et sp. Orchid. 521.

In solo turfoso inter frutices densos ad radices clivuli Strawberry-hill, Plantagenet, 24. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2197.

Flores caerulei, striis azureis.

HYPOXIDEAE.

HYPOXIS Linn. Endl. gen. n. 1264. Meisn. gen. 397. (300.)

1. **Hypoxis glabella** R.Br. glaberrima, foliis lineari-subulatis canaliculatis, scapo uniloro medio bibracteolato longioribus, stylo brevissimo, stigmatibus distinctis. R. Brown prodr. pag. 289.

In solo limoso peninsulae Perth, 29. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 1601.

HAEMODORACEAE.

(Auctore STEPHANO ENDLICHER.)

HAEMODORUM Smith. Endl. gen. pl. n. 1253.

Flores perfecti. Perigonium corollinum, glabrum, semisuperum, limbi sexpartiti laciniis angustis, persistentibus. *Stamina* 3, perigonii laciniis interioribus basi inserta, persistentia:

filamenta subulata, antherae biloculares, loculis connectivo antice adnatis. *Germen* semisuperum, orbiculato-depressiusculum, vertice obsolete trilobum, triloculare. Gemmulae in trophospermiis subfungosis, e loculorum angulo centrali exsertis geminae, amphitropae. *Stylus* filiformis; *stigma* simplex, subcapitatum. *Capsula* semisupera, triloba, trilocularis, ad angulos loculicide dehiscens. *Semina* in loculis bina v. solitaria, compressa, marginata v. alata, trophospermio utrinque hilo ventrali peltatim affixa. — Herbae perennes, glabrae, in Nova Hollandia orientali, australi et tropica indigenae. *Radix* e tuberibus fasciculatis, fusiformibus, coccineis. *Caules* simplices, foliati. *Folia* aversa, plana v. teretia, basi semivaginante. *Flores* corymbosi, rarius spicati, pedicellis geminis, bracteolatis.

1. **Haemodorum spicatum** *R.Br.* foliis teretiusculis, spicis elongatis, pedicellis floriferis perigonio longioribus, antherae loculis basi parallelis, capsulae angulis obtusis. Brown prodr. 300. Endl. Iconogr. gen. tab. 98.

In solo glareoso ad planitiem prope urbiculum Albany, Plantagenet. 22. Octobr. 1840. Herb. Preiss. No. 1423.

„Bulbus coccineus, amarus“ Preiss. msc.

2. **Haemodorum edule** *Lehm.* foliis tereti-filiformibus, spicis elongatis, pedicellis floriferis perigonio brevioribus, antherae loculis basi divaricatis, capsulae angulis acutis.

In arenosis sylvae prope urbiculum Perth, 23. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 1421.

„Bulbum coccineum aborigines edunt, et „Māt jē“ vocant.“

Species priori simillima et aegre e paucis speciminibus discriminanda, quamvis satis, ut videtur, distincta. In utraque specie staminum filamenta subulata, ad imam basin laciniarum interiorum perigonii inserta, sed iisdem usque ad mediam sui longitudinem complicatis ita inclusa, ut e medio eorundem oriri videantur. *Semina* in loculis gemina, ad utramque trophospermii laminaeformis faciem hilo ventrali umbilicato affixa, bracteata, suborbiculata, hinc subtruncata, margine membranaceo, radiatim striato, obsolete undulato cincta.

3. **Haemodorum strictum** *Endl.* foliis anguste linearibus, caulinis elongatis, paniculae strictae ramis basi bractea margine membranacea munitis, floribus bractea spathulata, margine membranaceo cincta brevioribus.

In arenosis sylvae districtus Wellington, 5. Decembr. 1839. Herb. Preiss. No. 1424.

4. **Haemodorum paniculatum** *Lindl.* foliis anguste linearibus, elongatis, paniculae divaricatae ramis bractea margine hyalino cincta munitis, floribus (atropurpureis) bractea spathulata, margine hyalino cincta brevioribus. Lindley Swan-River n. 196.

Stamina in hac specie non minus quam in reliquis ad basin laciniarum interiorum perigonii inserta sunt.

Specimina fructifera a cl. Preiss. in rupestribus montis Anderson, Victoria, 17. Martii 1840 (Herb. Preiss. No. 1425) lecta, nimis manca sunt, quam ut queant discriminari. *)

CONOSTYLIS R.Br. Endl. gen. pl. n. 1258.

Perigonium coloratum, extus piloso-lanatum, limbi superi v. semisuperi subcampanulati sexpartiti laciniis erectis, persistentibus. *Stamina* 6, imis perigonii laciniis inserta; filamenta brevissima; antherae biloculares, loculis connectivo antice adnatis. *Germen* inferum v. semiinferum, triloculare. *Gemmulae* in trophospermis e loculorum angulo centrali exsertis plurimae. *Stylus* conico-dilatatus, cavus; *stigma* simplex. *Capsula* stylo cavo, tripartibili coronata, trilocularis, apice loculicide trivalvis, valvis a columna centrali trophospermia gerente solutis. — Herbae in Nova Hollandia australi indigenae. *Radix* fasciculato-fibrosa. *Caulis* hypogaeus, ramosus, rarissime emergens. *Folia* in apice ramorum subterraneorum disticha, ideo radicalia, aversa, equitantia, semivaginantia, ensiformia. *Flores* scapum saepius simplicem terminantes, capitati, corymbosi v. subspicati.

§. 1. Tribus *Conostylis candicantis* Endl.

1. ***Conostylis bracteata*** Lindl. lineari-subfalcatis margine dense setulosis, demum laevibus, scapum furfuraceum, mono-diphyllum aequantibus, capitulis bractea foliacea canescente brevioribus, perigonio intus glabro, extus aspero villosa, antheris subsessilibus, uniseriatis. Lindley Swan-River n. 204.

In arenosis umbrosis sylvae prope lacum Kei-er-mu-lu, Perth, 16. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1405.

2. ***Conostylis candicans*** Endl. foliis linearibus rectis cano-pubescentibus scapum tomentoso-lanatum diphyllum aequantibus, racemo bifido, secundo, bractea acuta longiore, perigonio intus sublanato, extus tomentoso-aspero, antheris subsessilibus, uniseriatis. Endl. Nov. Stirp. Decad. n. 23.

*) *Obs.* Praeter species quatuor a cl. Preiss. relatas tres aliae e Nova Hollandia austro-occidentali olim advectae commemorandae sunt.

Haemodorum laxum R.Br. prodr. 300. H. foliis teretiusculis, corymbis compositis, ramis patulis, bracteis oblongis, obtusis, scariosis. — In Nova Hollandia austro-occidentali, R. Brown.

Haemodorum simplex Lindley Swan River n. 197. H. caule simplici flexuoso, foliis angustissimis basi dilatatis, capitulis terminalibus solitariis, involucreis, bracteis oblongis, sessilibus. — Ad fluvium Cygnorum legit Drummond.

Haemodorum polycephalum Endl. Enum. pl. Hügel. II. inedit. H. caule paniculatum ramoso, stricto, foliis . . . capitulis terminalibus solitariis v. pluribus glomeratis, involucreis, bracteis late ovatis, obtusas superantibus. — Ad fluvium Cygnorum legit Carol. L. B. Hügel.

In arenosis inter frutices sylvae prope Pointwater, Perth, 17. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1398.

3. **Conostylis propinqua** *Endl.* foliis anguste linearibus subfalcatis incano-tomentosis ciliatis, scapum tomentosum subramosum aequantibus, capitulo denso bractea acuta longiore, perigonio intus glabro, extus tomentoso hispido, antheris uniseriatis.

In clivis arenosis orae occidentalis insulae Rottennest, 19. Apr. 1839. Herb. Preiss. No. 1400.

Species *C. candicanti* simillima habitu subcaulescente, scapo diviso, foliis angustioribus, rigidioribus, capitulo denso, perigonii indumento hispido aureo-croceo, nec ut in illa sulphureo, imprimis dignoscenda, an revera satis distincta?

4. **Conostylis dealbata** *Lindl.* foliis linearibus, rectis, incano-tomentosis, ciliatis, scapo tomentoso brevioribus, racemo bifido, subsecundo, bractea acuta longiore, perigonio intus glabro extus aspero tomentoso, antheris uniseriatis. Lindley Swan-River n. 205.

In arenosis ad Portum Princess-Royal-Harbour, mense Decembri 1840. Herb. Preiss. No. 1403.

β **sarmentosa**, caulescens, rigidior, tomento laxiore.

In arenosis ad fluvium Cygnorum, m. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1399.

5. **Conostylis setosa** *Lindl.* foliis linearibus falcatis glabris, margine setosis, scapum lanatum mono-diphyllum aequantibus, corymbo subcapitato bracteas villosas superante, perigonio intus lanato extus villosissimo, filamentis subulatis, uniseriatis. Lindley Swan-River n. 202. t. 6.

In asperis jugi Darling's-range, m. Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 1408.

§. 2. Tribus *Conostylis aculeatae* R.Br.

6. **Conostylis aurea** *Lindl.* foliis late linearibus subfalcatis margine setoso serrulatis, setis interstitia sua superantibus, scapo indiviso lanato longioribus, capitulo subgloboso, perigonio intus glabriusculo, extus croceo-lanato, antheris sessilibus uniseriatis. Lindley Swan-River n. 203.

In arenosis sylvae prope Bull's-creek, Perth, m. Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 1381.

7. **Conostylis sulphurea** *Endl.* foliis linearibus rectis glabris margine setoso-serrulatis, setis interstitia sua duplo superantibus, scapo indiviso villosolano longioribus, capitulo laxo, perigonio intus villosiusculo extus sulphureo-lanato, antheris sessilibus, uniseriatis.

In arenosis sylvae prope Preston-creek, Perth, 28. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1382.

Species *C. aureae* omnimode similis, vix nisi foliis rectis, scapo patentim sulphureo-villoso, capitulo laxo et colore indumenti perigonii distinguenda.

8. **Conostylis aculeata** *R.Br.* foliis late linearibus glabris margine aculeatis, aculeis interstitiis brevioribus, scapo furfuraceo corymboso-ramoso longioribus, perigonio intus glabro, extus piloso tomentoso, antheris uniseriatis. *Brown prodr.* 300. *Bot. Mag.* t. 2989.

In arenosis inter frutices ad „Pointpossession“ et prope Albany, Plantagenet, 16. Octobr. 1840, nec non in solo sublimoso ad ripam fluvii Wellington, 13. Dec. 1839. *Herb. Preiss.* No. 1395.

9. **Conostylis Preissii** *Endl.* foliis anguste linearibus, rectis, glabris, margine remote et patentim aculeatis, scapo indiviso, diphylo, setoso-tomentoso longioribus, corymbo ramoso, perigonio intus glabro extus setoso-hispido, antheris uniseriatis.

In asperis jugi Darling's-range districtus Perth, m. Sept. 1841. *Herb. Preiss.* No. 1384.

Praecedenti similis, saepissime caulescens, statura gracilliore et omnibus partibus minoribus facile distinguenda. *Folia* sesquipedalia v. bipedalia, sesquilineam lata, nervoso-striata, margine aculeis rigidis, albis, unam et dimidiam lineam longis, quinque circiter lineas dissitis armata. *Scapus* foliis sextante v. quadrante brevior, paullo supra basim vagina foliacea, infra medium folio abbreviato et pone apicem squama bracteali munitus. *Corymbi* ramosi aut rarius simplices, bracteis plumoso-setosis perigonii tubo longioribus.

10. **Conostylis bromelioides** *Endl.* foliis linearibus falcatis glaberrimis cartilagineo-marginatis, margine inferne laevibus superne aculeatis, aculeis patentibus interstitiis brevioribus, scapo tomentoso diviso folia subaequante, corymbo bracteato, perigonio intus glabro. *Endl. Enum. pl. Hügel.* II. inedit.

In solo sublimoso (Coam) prope Avondale, York, 10. Apr. 1840, sine floribus. *Herb. Preiss.* No. 1401.

11. **Conostylis Melanopogon** *Endl.* foliis anguste linearibus rectis glabris margine aculeatis, aculeis (atris) interstitiis suis longioribus adpressis, scapo simplici monophyllo lanato-tomentoso foliis brevioribus, corymbo subcapitato, bracteato, perigonii utrinque setoso-hispidi laciniis tubo longioribus, antheris biseriatis.

In interioribus Novae Hollandiae austro-occidentalis, m. Nov. 1840. *Herb. Preiss.* No. 1387.

Folia pedalia et sesquipedalia, lineam lata, valide nervoso-striata, utrinque margine setis atris, e basi conica acuminatis, unam lineam longis, arrectis, interstitia sua plus duplo superantibus, alternatim subbiseriatis nigro-marginata. *Scapus* foliis triente v. dimidio brevior, simplicissimus, mono-diphyllus, folio superiore ad vaginam membranaceam reducto. *Perigonium* quatuor circiter lineas longum, luteum.

12. **Conostylis festucacea** *Endl.* foliis angustissime linearibus, subfalcatis glaberrimis, margine laevibus v. supra medium parce et remote aculeolatis, scapis indivisis folia aequantibus v. superantibus, inferne glabratis, superne

furfuraceo-tomentosis bisquamosis, squamis membranaceis basi cucullatis, apice longe acuminatis, perigonii intus glabri extus piloso-hispidi laciniis tubo longioribus, staminibus uniseriatis.

In planitie arenosa per biemem inundata ad fluvium Southern River, m. Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 1386.

Species inter aculeatos aculeorum raritate aut in plerisque foliis defectu facile noscenda. *Rhizoma* multiceps, cauliculos promens palmares, apice foliiferos. *Folia* bipedalia, dimidium lineam lata. *Squamae* scapi basi late cucullatae, ovatae, in acumen longum angustatae, dimidio pollice paullo longiores, inferior membranacea, striato-nervosa, praeter basim furfuraceo-tomentosam glabra, superior subtus setis brevibus tecta. *Flores* in corymbo subcapituliformi dimidium fere pollicem longi, bracteis ovato-lanceolatis linearibusve, perigonii tubum aequantibus, setoso-tomentosis stipati. Lacinae tubo parum longiores, acutae.

13. **Conostylis caricina** Lindl. foliis linearibus rectis, glaberrimis, margine incrassato-laevibus v. remote aculeolatis, scapo indiviso tomentoso medio monophyllo duplo longioribus, capitulis bracteas superantibus, perigonii intus glabri extus aspero-tomentosi laciniis tubo duplo longioribus, staminibus uniseriatis. Lindley Swan-River n. 206.

In Nova Hollandia austro-occidentali. Herb. Preiss. No. 1385.

Cum praecedente aculeorum raritate v. defectu et scapi squamis basi cucullatis convenit, facie distinctissima.

14. **Conostylis graminea** Endl. foliis linearibus rectis, glabris margine cartilagineo-scabris, scapo tomentoso, indiviso, bisquamoso longioribus, corymbo laxo, perigonii intus glabri extus tomentoso-furfuracei laciniis tubo subduplo longioribus, staminibus uniseriatis.

In arenosis inter frutices sylvae supra urbeculam Guildford, Perth, 9. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1380.

Conostyli caricinae Lindley simillima, sed etiam sequenti arcte affinis. *Folia* quinque pollices longa, *scapus* quadripollicaris. *)

§. 3. Tribus *Conostylis setigera* R.Br.

15. **Conostylis setigera** R.Br. foliis linearibus acuminatis rectis, glabris, margine setis longissimis inflexis ciliatis scapum indivisum monophyllum dense albo-lanatum aequantibus v. subsuperantibus, perigonii intus lanati, extus aspero-villosi laciniis tubo paullo brevioribus, staminibus biseriatis. Brown prodr. 300. A. Rich. Sert. Astrolab. t. 29.

*) Observ. Ex istarum affinitate videtur esse etiam species alias mihi nunquam obvia.

Conostylis serrulata R.Br. prodr. 300. perianthiis intus glabris, scapis indivisis bracteatis corymbo simplici vix longioribus, foliis nervoso-striatis margine scabris, denticulis setuliferis. — Nova Hollandia australis (R. Brown). Insula Diemen (Menzius).

In arenosis umbrosis sylvae circa urbiculum Perth, 23. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1390.

16. **Conostylis aemula** Lindl. foliis linearibus rectis glabris margine setis longis inflexis ciliatis, scapum indivisum monophyllum, albo-lanatum longe superantibus, perigonii intus lanati extus aspero-villosi laciniis tubo brevioribus, staminibus biseriatis. Lindley Swan-River n. 207.

In glareosis planitiei ad urbiculum Albany, Plantagenet, 10. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1379.

Observ. Folia plantae sine scapo et floribus in arenosis districtus Sussex 22. Dec. 1839 a Preissio lectae (Herb. Preiss. No. 1378) novam indicant speciem *C. aemulae* fortassis affinem, foliis falcatis, duplo latioribus, validius nervosis, setisque foliorum diametrum vix superantibus diversam.

17. **Conostylis discolor** Endl. foliis linearibus subfalcatis acuminatis glabris setis longissimis inflexis ciliatis, scapo simplici parce lanato demum glabrato medio monophyllo v. longioribus, perigonio utrinque lanato, extus juxta tubum et laciniarum tubum aequantium lineam mediam setoso, staminibus biseriatis.

In arenosis ad fluvium Cygnorum, 10. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1392.

Folia in apice caudicis hypogaei brevissimi, superne emittentis radículas praelongas filiformes equitantia, disticha, quatuor ad sex pollices longa, basi membranaceo-dilatata vaginantia, anguste linearia (vix lineam lata), subfalcata, striato-nervosa, acuminata, juxta carinam et marginem setis rigidis, albis, interstitia sua et foliorum latitudinem plus duplo superantibus ciliata. *Scapus* e foliorum breviorum, in centro congestorum vaginis exsertus, folia subaequans, inferne pube copiosiore, versus apicem rarescente conspersus, demum glabratus, teretiusculus, pennae passerinae crassitie, infra medium vestitus folio basi late membranaceo vaginante, deinde herbaceo, ciliato, scapo multo brevior, et paullo infra capitulum, munitus folio altero, ad vaginam membranaceam redacto. *Flores* subcapitati, 5 lineas longi, extus lana, in sicco sordide violacea induti, setis luteis juxta tubum et laciniarum lineam mediam conspersi. *Lacinae* acutae, erectae, complicatae, intus lanatae, tubi longitudine.

18. **Conostylis assimilis** Endl. foliis linearibus subfalcatis, glabris, setis brevibus, parcis demum evanidis ciliatis, margine et carina scabris, scapo simplici, dense lanato-tomentoso medio monophyllo longioribus, perigonio utrinque lanato, extus juxta tubum et laciniarum tubum aequantium lineam mediam setosis, staminibus biseriatis.

In arenosis inter Kaudiap et Cape Riche, 17. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1394.

Praecedenti simillima, statura multo minore et graciliore, notisque indicatis abunde distincta.

19. **Conostylis pusilla** Endl. foliis linearibus subfalcatis acuminatis glabris setis longissimis patentibus ciliatis, scapo simplici dense lanato-tomentoso monophyllo brevioribus, bracteis capitulum vix aequantibus, perigonii extus setoso-hispidi intus lanati laciniis acutis tubum aequantibus, staminibus biseriatis.

In interioribus Australasiae austro-occidentalis, 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1388.

Herba sesquipollicaris bipollicarisque, scapo foliis triente v. quadrante longiore. *Folia* setis longissimis pennatim ciliata. *Scapus* filiformis medio v. paullo infra apicem folio herbaceo v. ad vaginam membranaceam redacto munitus. *Bracteae* lineares, setosae, floribus breviores.

20. **Conostylis minima** *Endl.* foliis linearibus subfalcatibus acuminatis glabris setis longissimis patentibus ciliatis scapum simplicem dense lanato-tomentosum medio monophyllum subaequantibus, capitulo laxo, bracteato, bracteis membranaceis capitulo longioribus, perigonii utrinque dense lanati laciniis acutis tubum superantibus, staminibus biseriatis.

In interioribus Novae Hollandiae austro-occidentalis, m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1389.

Herba pollicaris, inter praecedentem et sequentem speciem media, a *C. pusilla* imprimis bracteis capitulo longioribus, a *C. Psyllio* perigonii laciniis tubo longioribus acutis distinguenda.

21. **Conostylis Psyllium** *Endl.* foliis linearibus subfalcatibus, acuminatis glabris setis longissimis inflexis et patentibus ciliatis, scapo simplici dense lanato-tomentoso monodiphylo longioribus, capitulo globoso, bracteato, bracteis membranaceis capitulo longioribus, perigonio utrinque dense lanato, laciniis obtusis tubo brevioribus, staminibus biseriatis.

In arenosis sylvae districtus York, 7. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1391.

Herba tripollicaris, foliis rigidissimis, scapum triente superantibus. *Scapus* infra medium folio herbaceo at rarius ad vaginam membranaceam laxam reducto munitus, infra capitulum folio altero, saepissime e sola vagina acuminata constante, capitulum semper longitudine superante vestitus. *Capitulum* Pisi majoris mole, dense subgloboso-turbinatum, basi bracteis aliquot membranaceis, acuminatis, flores superantibus munitum. *Flores* aurei, duas circiter lineas longi.

§. 4. Tribus *Conostylis breviscapae* R.Br.

22. **Conostylis ensifolia** *Endl.* foliis linearibus falcatis nervosis, glabris, margine serrulato scabris, scapo tomentoso bracteato corymbum simplicem plus duplo superante longioribus, perigonii intus glabri laciniis tubo brevioribus, staminibus uniseriatis.

In arenosis inter montem Manypeak et Cape Riche, m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1402.

A *C. breviscapa*, cui proxime affinis species, praeter notas indicatas scapo tomentoso nec lanato, foliisque glaberrimis, nec juxta basim tomentosae facile distinguitur. *Folia* quatuor ad sex pollices longa, duas lineas lata, nervosa, nervis alternis tenuioribus. *Scapus* cum corymbo bipollicaris, vaginis laxis, ovato-lanceolatis, acutis, carinatis inferioribus juxta basim margine, summis subtus undique tomentosus. *)

*) *Observ.* *C. ensifolia* R.Br. inter plantas Preissianas haud obvia, sequenti phrasi distinguenda: *

23. **Conostylis occulta** *Endl.* foliis late linearibus falcatiss nervosis, glabris, margine scabriusculis, scapo tomentoso bracteato corymbum simplicem aequante, foliorum vaginam vix superante, perigonii intus glabri laciniis tubum aequantibus, staminibus uniseriatis.

In arenosis inter frutices planitiei prope urbiculum Albany, Plantagenet, 5. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1404.

Folia pedalia duas ad quatuor lineas lata, nervosa, nervis alternis validioribus, versus marginem scabriusculum aut omnino laevem evanidis. *Scapus* obsolete triqueter inter foliorum vaginas delitescens, squamis coriaceis, semipollicaribus vestitus.

24. **Conostylis misera** *Endl.* foliis linearibus subfalcatis nervosis, glabris, margine obsolete aculeolatis demum laevibus, scapo inferne glabro, superne tomentoso, squamoso bracteato, uni-trifloro, floribus brevioribus, perigonii intus glabri laciniis tubo longioribus, staminibus uniseriatis.

In solo arenoso inter frutices sylvae ad radices montis „Bokkenbop“ v. Barker, Plantagenet, 9. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1406.

Herba semipedalis, cauliculis apice foliosis, caespitosis. *Folia* duas circiter lineas lata, nervosa, inter nervos striolata, margine incrassata, nonnulla aculeis brevibus adpressis, nigricantibus, longe dissitis munita demum laevia. *Scapus* tres circiter lineas longus, basi glaber, supra medium albotomentosus et squamis aliquot membranaceis ovato-lanceolatis, flores subaequantibus, nervosis, glaberrimis vestitus. *Perigonium* septem circiter lineas longum, laciniis acutis, tubo quadrante longioribus.

25. **Conostylis spathacea** *Endl.* foliis linearibus, rectis, nervosis, glabris aut junioribus juxta basim incano-tomentosis, margine setuloso-scabris, scapo tomentoso-lanato corymbum bractea spathaeformi coriacea vix longiorem superante multoties longioribus, perigonii intus glabri laciniis tubum superantibus, staminibus uniseriatis.

In asperis jugi Darling's-range, m. Jan. 1840 et iterum m. Sept. 1841 florens. Herb. Preiss. No. 1397.

Folia bipedalia, tres lineas lata, nervis aequalibus notata, margine setulis tandem evanidis scabra. *Scapus* bipollicaris monophyllus, folio inflorescentiam aequante. *Spatha* sub corymbo coriacea, carinata, nervosa, dense tomentosa; bractae oblongo-lanceolatae, acutae, perigonio subaequilongae. *Flores* dimidio pollice parum breviores.

26. **Conostylis longifolia** *Endl.* foliis linearibus rectis nervosis, glabris, margine laevibus v. scabriusculis, scapo tomentoso bracteato multoties longioribus, corymbo laxo scapum subaequante, perigonii intus glabri laciniis tubo brevioribus, staminibus uniseriatis.

In solo arenoso planitiei inter Bällänggajälup et Cape Riche, 17. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1396.

C. breviscapa R.Br. prodr. 301. Schult. f. Syst. VII. . . . foliis linearibus falcatis nervosis margine scabris, juxta basim tomentosis aut tandem glabratis, scapo lanato bracteato capitulo vix longiore, perigonii intus tomentosi laciniis tubo brevioribus, staminibus uniseriatis. — In Nova Hollandia meridionali. (R. Brown. Ferd. Bauer.)

Folia bipedalia, sesquilineam lata, stricta. *Scapus* bipollicaris bracteatus, bracteis coriaceis, ovato-lanceolatis, acutis, complicato-carinatis, extus tomentosus.

27. **Conostylis involucrata** Endl. foliis anguste linearibus rectis, nervosis, utrinque scabris, demum laevibus, scapo monophyllo hispido multoties longioribus, corymbo laxo, scapum subaequante, ante anthesin bracteis foliaceis, margine setoso-hispidis involucrato, perigonii intus glabri extus setosi laciniis tubo longioribus.

In arenosis inter frutices prope urbem Perth, 23. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1407.

Species cum *Conostyli juncea* Endl. comparanda, etiam perigonio extus nonnisi juxta tubum et laciniarum lineam mediam setoso ceterum autem glabro insignis.

§. 5. Tribus *Conostylis juncea* Endl.

28. **Conostylis vaginata** Endl. foliis teretibus, laevissimis, scapo indiviso, dense lanato, vaginis membranaceis tecto longioribus, perigonii extus tomentosi, basi hispidi intus glabri laciniis acutis tubo brevioribus, staminibus uniseriatis.

In solo arenoso-calcareo inter Manypeak et Cape Riche districtus Plantagenet, m. Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 1383.

Species insignis foliis teretibus et scapo vaginis vestito singularis. *Caudex* brevis, multiceps, squamis vestitus coriaceis, acute carinatis, dense imbricatis, *folia* promens quatuor ad sex pollices longa, filiformi-teretia, rigida, glaberrima, laevia, hinc sulco exarata, basi membranaceo-vaginantia, et *scapos* inter foliorum intimorum vaginas exsurgentes pollicares tripollicaresque, dense lanatos, sed squamis vaginantibus membranaceis scariosis, undique imbricatis ad apicem usque vestitos, in capitula desinentes solitaria, subquinqueflora. *Vaginae* scapum vestientes ovato-lanceolatae, membranaceae, fuscae, uninerves, carinatae, longe et rigide acuminatae, imbricatae, inferiores glaberrimae, scapo et sibi invicem adpressae, superiores sensim majores, laxiores, summae sub capitulo fere patentes, margine lanatae, capitulo breviores. *Flores* dimidium fere pollicem longi, perigonio hispido tomentoso, basi setoso, intus glabro, laciniis tubo brevioribus, erectis, acutis. *Stamina* uniseriata.*)

ANDROSTEMMA Lindl. Endl. gen. pl. suppl. I. n. 1257/1.

Perigonium corollinum, extus lanatum, tubo basi cum germine connato, elongato, limbi sexpartiti aequalis laciniis linea-

*) *Observ.* *Conostylis juncea* a nobis olim ad plantam vivam descripta et deinde in specimenibus herbarii Hügelianii iterum recognita, ad *C. involucrem* proxime accedit, vix nisi foliis teretibus diversa, sequenti phrasi interim circumscribenda:

Conostylis juncea Endl. Nov. Stirp. Decad. n. 22. *C.* foliis tereti-filiformibus laevibus, scapo setoso-hispido multo longioribus, corymbo capitato bracteis superante, perigonii intus glabri, extus juxta tubum et laciniarum tubum superantium lineam mediam setoso-hispido, staminibus uniseriatis. - Ad fluvium Cygnorum legit Carolus I. B. Hügel.

ribus, reflexis. *Stamina* 6, perigonii fauci inserta, longe exserta, aequalia, antherae lineares, adnatae. *Germen* semiinferum, triloculare. *Gemmulae* in trophospermiis e loculorum angulo centrali prominentibus plurimae; *stylus* subulatus, *stamina* superans, basi tripartitus; *stigma* subfusiformi capitatum. *Capsula* trilocularis, loculicide trivalvis. — Herba Novae Hollandiae austro-occidentalis, acaulis, foliis teretibus, pedunculos radicales bracteatos longe superantibus.

1. **Androstemma junceum** Lindley Swan-River n. 209.
Endl. Ic. lithogr. t. 17.

In rupestribus vallis Cataractae ad caput fluvii Cygnorum. Herb. Preiss. No. 1409.

Radix multiceps e fibris filiformibus, simplicibus flexuosis, tri-quadrupollicaribus composita. *Folia* basi vaginantia equitantia, superne teretecompressa, acuminata, laevia, glaberrima, rigida, quatuor aut quinque pollices longa, caespitem densum formantia. *Pedunculi* inter folia latentes solitarii uniflori, brevissimi, bracteis vaginaeformibus vestiti. *Flores* sesquipollicares. *Perigonium* extus tomentosum sordide viride, tubo aequali. *Limbi* lacinae lineares, acutae, intus tomentosae, patentissimae v. deflexae, tubo triente breviores. *Stamina* longe exserta, filamentis filiformi-subulatis, tomentosis, antheris violaceis. *Stylus* staminibus quadrante longior, in stigma breve subfusiforme, obsolete trisulcum desinens. *Capsula* quatuor circiter lineas longa, cartilaginea.

BLANCOA Lindl. Endl. gen. pl. suppl. I.
n. 1258/1.

Perigonium coloratum, extus tomentosum, inferne cum germine connatum, elongato-campanulatum, limbo erecto, sexdentato, aequali, tubo inter dentes plicato. *Antherae* sex, subsessiles, basi laciniarum perigonii insertae. *Germen* semiinferum, triloculare, gemmulis in trophospermiis in loculorum angulo centrali sitis plurimis. *Stylus* filiformis: *stigma* subcapitatum. *Capsula* perigonii basi persistente inclusa, trilocularis, loculicide trivalvis, valvis medio dissepimenta margine seminifera, apice stylis cohaerentia gerentibus. — Herba Novae Hollandiae austro-occidentalis, foliis equitantibus, retrorsum falcatis, scapo racemoso longioribus.

1. **Blancoa canescens** Lindley Swan-River n. 208.
Endl. Ic. lithogr. t. 10.

In arenosis sylvae ad fluvium Canning, Perth, m. Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 1410.

Folia in apice caudicis brevissimi, vix pennam anserinam crassi, foliorum annotinorum vaginis vestiti equitantia, retrorsum falcata, acuta, octo ad novem pollices longa, duas lineas lata, nervoso-striata, inter nervos tomento tenuissimo tecta, ideo canescentia, margine laevia, basi vagina brevissima, sericea caudicem ambientia. *Scapus* in speciminibus nostris foliis fere quadrante, in nonnullis triente brevior, tomentosus, paullo supra basim monophyllus, tri-multiflorus. *Inflorescentia* sistit cymam alternifoliam ra-

cemiformem, bracteis infra florem terminalem praecociorem duabus v. tribus alternantibus, singulis prominentibus florem singulum v. infima ex axilla sua exserente ramulum iterum bracteis alternantibus cymosum. *Pedunculi*, quatuor lineas longi, sicut perigonium pollicem longum (quod intus glaberrimum est), extus tomento plumoso, brevi, purpureo densissime tecti.

ANIGOSANTHUS Labill. Endl. gen. pl. n. 1257.

Perigonium coloratum extus lanatum, tubo basi cum germine connato, elongato, tandem deciduo, limbi sexfidi laciniis subaequalibus, supra secundis. *Stamina* 6, perigonii fauci inserta, adscendentia, filamenta filiformia, antherae biloculares, loculis connectivo extus adnatis. *Germen* inferum triloculare. *Gemmulae* in trophospermiis e loculorum angulo centrali prominentibus plurimae. *Stylus* filiformis, *stigma* simplex. *Capsula* infera, subglobosa, trilocularis, apice loculicide trivalvis. *Semina* plurima. — Herbae Novae Hollandiae australis incolae, foliis ensiformibus, aversis, floribus subcorymbosis.

§. 1. Antheris muticis.

1. **Anigosanthus rufa** Labill. foliis radicalibus linearibus, nervosis, strictis, glabratis, caule brevioribus, caulinis conformibus, dorso et margine tomento deciduo tectis, caule simplici v. corymboso-ramoso tomento persistente vestito, corymbo multifloro, perigonii laciniis incurvis, planis. Labill. Voy. 1.411.

In solo humoso arenosoque inter montem Manypeak et Cape Riche, 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1412.

2. **Anigosanthus viridis** Endl. foliis radicalibus convoluto-filiformibus, flaccidis, caule brevioribus caulinisque linearibus basi late vaginantibus apice convoluto-teretibus glabris, caule simplici, inferne glabro, superne tomento deciduo, racemo terminali secundo elongato (viridi-) tomentoso, perigonii laciniis vix incurvis, complicatis. Endl. Enum. pl. Hügel. II. ined.

In subarenosis hyeme inundatis sylvae haud longe a praedio rustico Dmi. Petri Brown ad fluvium Cygnorum, die 13. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1415.

Rhizoma horizontale, fibris plurimis firmatum, squamis laxis, membranaceis, decoloribus tectum. *Folia* e basi late vaginante in acumen longum attenuata, radicalia flaccidiuscula, congesta, semipedalia et pedalia, caulina pauca, erecta, tri-quadripollicaria, basi vaginante caulem amplectentia, apice acuminato saepe incurva, omnia glabra striata. *Caulis* bi-tripedalis, teres, striatus, pennae anserinae v. olorinae crassitie, glabratus, sub inflorescentia tomento raro, deciduo adpersus. *Racemus* terminalis, secundus, bi-quinquepollicaris. *Rhachis* et *bractea*e oblongo-lanceolatae, acutae, tomento denso, aeruginoso-viridi tectae. *Flores* fere bipollicares. *Perigonii* tubus e basi subglobosa cylindricus, hinc longitudinaliter fissus, cum pedicellis dimidiam bractearum longitudinem aequantibus, tomento laete viridi, concolore v. juxta basim pallido aut glaucescente vestitus. *Limbus*

campanulatus, laciniis tres circiter lineas longis, complicatis, acutis. *Antherae* tertiam laciniarum partem vix superantes, muticae, extrorsum recurvae. *Stylus* breviter exsertus.

3. **Anigosanthus Manglesii** Don foliis late linearibus glabris, caule simplici tomento persistente tecto, racemo terminali elongato, perigonii tubo elongato, incurvo, hinc longitudinaliter fisso. Don in Sweet Fl. Gard. II. t.

In arenosis sylvarum ad fluv. Cygnorum, 21. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 1420. „Aboriginibus Krulbrang dicitur“.

4. **Anigosanthus humilis** Lindl. foliis falcatis hirsutis caule simplici lanato-tomentoso multo brevioribus, racemo secundo elongato, perigonii tubo incurvo, limbo erecto. Lindley Swan-River n. 210. t. 6.

In arenosis ad radices jugi Darling's-range, haud longe a cataracta fluvii Cygnorum, 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1418.

Radix coeruleo-tinctoria.

5. **Anigosanthus bicolor** Endl. foliis radicalibus lineari-subfalcatis, carina et margine hispidis, caeterum glabris, caulinis tereti-complicatis tomentosis, caule simplici tomentoso brevioribus, racemo secundo, perigonii discoloris (basi purpurei, caetera flavescentis) tubo superne angustiore, limbo incurvo.

Cum praecedente ad radices jugi Darling's-range crescentem legit L. Preiss. Herb. Preiss. No. 1417.

Praecedente gracilior, cujus statura et facie. *Caulis* dense tomentosus, nec ut in *A. humili* laxiuscule lanatus. *Folia* angustiora, ad marginem et carinam pilis rigidis, raris hispida, caulina multo angustiora, tomento caulis vestiti. *Flores* tripollicares, indumento denso tecti.

§. 2. Antheris apiculo reflexo.

6. **Anigosanthus Preissii** Endl. foliis anguste linearibus apice sphacelatis glabris, caule inferne angulato, superne tereti dense tomentoso multo brevioribus, corymbo simplici.

In solo turfoso-arenoso montis Kaudiup et Twopeopledbay, Plantagenet, 24. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1413.

Herba simplex, pedalis et sesquipedalis. *Folia* bipollicaria, acuta, glabra, radicalia congesta, caulina pauca. *Caulis* inferne angulatus, articulo supremo tereti, simplex, tomento persistente, raro, versus apicem copiosiore, rufo tectus. *Flores* in apice caulis paniculatim congesti, bipollicares, hypanthio globoso, tubo versus limbum paullo ampliato, tomento plumoso rufo dense vestiti. *Antherae* apiculo nigricante reflexo.

β plumosa Endl.

In arenosis sylvae ad montem Strawberryhill, Plantagenet, 5. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1414.

Specimen unicum, quod adest, mancum, praecedentis, ni fallor, sistit varietatem, vix nisi caulis tomento copiosiore, perigonii magis plumoso diversam.

7. **Anigosanthus flavida** Redouté caule foliisque late linearibus glaberrimis, ramorum tomento deciduo. Redouté Liliac. t. 176.

In depressis arenosis prope urbem Albany, m. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1411.

β **bicolor** Lindl. Bot. Reg. 1838. t. 64.

In solo sublimoso sylvae ad fluvium Preston, Wellington, et in districtu Sussex, 16. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 1416.

TRIBONANTHES Endl. gen. pl. suppl. I. n. 1259/1.

Perigonium corollinum, arachnoideo-lanatum, tubo basi cum germine connato supra germen producto, limbi sexpartiti laciniis patentibus. *Corona* faucis petaloidea, hexaphylla; foliola perigonii laciniis opposita exserta, cuneata, trifida, lobo medio basi antherifero. *Stamina* 6, filamenta nulla, antherae foliolorum coronae lobo medio dorso insertae, lineares, sagittatae. *Germen* inferum, triloculare. *Gemmulae* in trophospermiis e loculorum angulo centrali exsertis plurimae, amphitropae. *Stylus* e basi dilatato-conica cylindricus; stigma fusiforme, brevissime trilobum. *Fructus* ... — Herbae Novae Hollandiae austro-occidentalis, tuberibus subfasciculatis, foliis aversis, caule simplici, apice lanato.

1. **Tribonanthes Lindleyana** Endl. caule diphylo, inferne arachnoideo — superne dense floccoso-lanato, floribus corymbosis, bracteis foliaceis, lanceolatis, glabratis, perigonii albi, dense pannosi laciniis linearibus, patentissimis, germine longioribus, filamentis lobis anthera brevioribus.

Tribonanthes longipetala Lindl. Swan-River n. 198.

In limosis hieme inundatis ad fluvium Cygnorum, 26. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1561.

Species *Tr. australi* Endl. proxime affinis et similis, a qua tamen caule inter primum et secundum folium arachnoideo, floribus corymbosis, bractearum indole et forma, perigonii laciniis angustioribus et longioribus nec non antheris filamentis lobos superantibus tute distinguitur. Tubera radicalia nucis *Avellanae* magnitudine. *)

*) *Observ.* Species nostrae proxime affines sequenti phrasi distinguendae:

Tribonanthes australis Endl. Nov. Stirp. Decad. n. 34. Iconogr. gen. t. 109, caule diphylo, inferne glaberrimo, v. parce puberulo, superne arachnoideo-lanato, floribus capitatis, bracteis foliaceis, ovatis, acutis, glabratis, perigonii albi dense pannosi laciniis oblongis tubum aequantibus, filamentis lobis bifidis, anthera longioribus. — In Novae Hollandiae ora austro-occidentali ad sinum Regis Georgii legit Carolus L. B. Hügel. (Herb. Mus. Caes. Vind.)

Tribonanthes variabilis Lindl. caule diphylo, apice lanato, floribus corymbosis, bracteis lanceolatis, glabratis, perigonii laciniis oblongis, patulis, germine lon-

2. **Tribonanthes violacea** *Endl.* caule diphylo, inferne glabro, superne lanato, flore solitario bractea foliacea late ovata, in acumen teres, subaequilongum desinente, margine lanata, ceterum glabra sustento, perigonii violacei pamosi laciniis oblongis germine longioribus, filamenti lobis indivisis antheram aequantibus.

In solo turfoso - uliginoso planitiei inter montes Elphinstone et Melville, 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1562.

Radix in speciminibus omnibus desideratur. Variat statura bipollicari ad pedalem. *Folium* inferius bi-quadripollicare, superius pollicare. *Bractea* foliacea unica sub flore late ovata, duas et dimidiam lineam longa, trinervis, utrinque glabra, supra rubro-punctata, margine membranaceo lanata, in acumen teres, bilineare abruptius desinens. *Perigonii* tubus cylindricus duas et dimidiam lineam longus, lacinae oblongae, obtusae, tubo paullo longiores. *Filamentorum* lobi acuti indivisi, antherae aequilongi. *Germen* semisuperum in stylum desinens antheras paullo superantem, stigmate subcapitato, obsolete trilobo.*)

3. **Tribonanthes odora** *Endl.* caule supra basim ditriphyllo, sursum elongato, hirsuto-lanato, floribus capitatis, perigonii flavi extus dense albo-pamosi laciniis intus glabris, reflexo-patulis, germine brevioribus, filamentis carnosis, subtriquetris, truncatis, dorso longitudinaliter multiplicatis, exsertis, anthera longioribus.

Tribonanthes brachypetala Lindley Swan-River n. 201.

In sublimosis humidis ad fluvium Canning, 22. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2394.

Herba sesquipedalis bipedalisque quin imo altior. *Caudex* hypogaeus brevis, e tubere radicali globoso Avellanae majoris magnitudine emergens, caulium annotinorum reliquiis stupposus. *Caulis* e vagina membranacea, obtusa, laxa exsertus, inferne triqueter glaberrimus, foliis tribus aut rarius duobus, haud longe dissitis, basi vaginantibus, superne tereti-complicatis, superioribus minoribus munitus, supra folium extremum elongatus, teres, hirsuto-lanatus, indumento sursum sensim confertiore. *Capitulum* terminale bracteis foliaceis, tereti-acuminatis paullo brevius. *Perigonii* tubus et lacinae extus dense albo-lanatae, intus glabrae, flavae. *Filamenta* exserta, carnosae, truncato-triquetra, dorso longitudinaliter multiplicata, apice plicarum extremitatibus excurrentibus eroso-subdentata, obsolete triloba, intus antherifera, antherae oblongae, apiculatae, loculo altero basi paullo productiore.

gioribus, filamenti lobis dentatis antheram aequantibus v. petaloideis superantibus. Lindl. Swan River n. 200. — In Nova Hollandia austro occidentali ad fluvium Cygnorum legit Drummond.

*, *Observ.* *Tribonanthes uniflora* Lindl. nostrae proxima ita describitur :

Tribonanthes uniflora Lindl. Swan-River n. 199. caule pubescente diphylo, folio superiore nano, margine membranaceo, flore solitario, bractea una membranacea alteraque foliacea super lanata suffulto, perigonii foliolis lineari-oblongis, patulis, gemini aequalibus, filamentis subdentatis anthera multo brevioribus. — Ad fluvium Cygnorum legit Drummond.

PHLEBOCARYA R.Br. Endl. gen. n. 1260.

1. **Phlebocarya laevis** *Lindl.* foliis lineari-cuneiformibus longissimis glabris, paniculis nanis, perigonii foliis sub anthesi deflexis, gemmulis alatis. Lindley Swan-River n. 195.

In arenosis umbrosis inter frutices sylvae inter urbeculas Perth et Guildford, 14. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1558.

2. **Phlebocarya ciliata** *R.Br.* foliis ciliatis. R. Brown prodr. 301.

In Nova Hollandia austro-occidentali. Herb. Preiss. No. 1559. ex parte.

IRIDEAE.

(Auctore ST. ENDLICHER.)

PATERSONIA R.Br. Endl. gen. n. 1234.

1. **Patersonia pannosa** *Endl.* scapo tereti glabro, spatha dense sericeo-pannosa, foliis ensiformibus scapo triente brevioribus striatis, striis aequalibus, junioribus infra medium margine et carina ciliato-barbatis.

In clivulo arenoso inter frutices haud longe a „Cheyne's-beach“, Kent, 6. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2350.

Species e robustiorum numero, denso spathae integumento inter congeneres insignis et quodammodo anomala. *Scapus* bipedalis. *Folia* pedalia et sesquipedalia 3 lin. lata, juniora pube fulva dense ciliata, adulta fere glaberrima. *Spatha* vix pollicem longa, tumida, carina obtusa, universalis et partialis pilis fulvis, densis, haud defluis, omnino tecta.

2. **Patersonia rudis** *Endl.* scapo compresso inferne sericeo-tomentoso superne dense lanato, apice dilatato torto, spatha lanata, acute carinata margine angusto subconformi, foliis ensiformibus scapum superantibus striatis, striis aequalibus, ad margines et basi ad carinam sericeis.

In limoso-calculosis asperis montium continuorum Darling's-range, Perth, 16. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 2347.

Praecedentis statura, paullo tamen humilior et gracilior. *Spathae* sesquipollicaris, acute carinatae et dense striatae indumentum candicans, derasile. *Scapus* apice sub spatha in omnibus speciminibus evidenter, in quibusdam insigniter dilatatus, ibique fere spiraliter tortus.

A *P. sericea* *R.Br.* facile distinguitur scapo inferne haud glabro, spatha lanata nec sericea, foliisque latioribus striis aequalibus.

3. **Patersonia limbata** *Endl.* scapo tereti striato glaberrimo, spatha striata obtuse carinata, margine lato con-

formi, glabra, foliis ensiformibus scapo brevioribus, striatis, striis aequalibus, margine et carina calloso-nigro-limbatis, glaberrimis.

In glareosis inter frutices sylvae haud longe ab oppidulo Albany, Plantagenet. 20. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2349.

Scapus pedalis et sesquipedalis, *foliis* 3-4 lin. latis triente fere longior. *Spathae* carina sub anthesi obtusa, tenuissime multistriata, fusco-rubra, margines lati, paullo teneriores, concolores, glabrae: „*Antherae* flavae, *stigmata* alba“.

4. **Patersonia nana** *Endl.* scapo ancipiti glaberrimo laevi, spatha vix striata, acute carinata margine lato conformi glaberrima scapum subaequante, foliis ensiformibus scapo longioribus striatis, striis aequalibus, margine et carina calloso-limbatis glaberrimis.

In arenosis ad Stirling's-terrace, Plantagenet, 23. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2346.

Inter praecedentem et sequentem speciem fere media, statura vix spithamea facillime distinguenda et inter affines anomala.

5. **Patersonia Diesingii** *Endl.* scapo compresso glaberrimo laevi, spatha striata acute carinata margine angustissimo membranaceo, glabra v. ad carinam parce pilosa, foliis ensiformibus scapum aequantibus v. subsuperantibus striatis, striis aequalibus, margine et carina calloso-sublimbatis glaberrimis. *Endl. Enum. pl. Hügel. II.*

In arenosis juxta oppidulum Perth, 16. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2356. *Spatha* cum *scapo* articulata, facillime decidua. *Flores* violacei.

6. **Patersonia compar** *Endl.* scapo ancipiti glaberrimo laevi, spatha vix striata carina obtusa, margine angustissimo conformi, glaberrima, foliis ensiformibus scapo longioribus striatis, striis alternis tenuissimis, margine et carina calloso-sublimbatis glaberrimis.

In solo sublimoso-arenoso ad radices jugi montium Darling's-range prope Kelmoth, Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 2342.

Facies praecedentium a quibus praeter notas indicatas *statura* robustiore, *foliis* latioribus *spathaque* haud articulata distinguitur.

7. **Patersonia flaccida** *Endl.* scapo tereti laevi glaberrimo, spatha foliis ensiformibus scapo longioribus striatis, striis alternis tenuissimis, margine et carina calloso-sublimbatis, glaberrimis.

In solo fertili planitiei prope fluvium Saltriver, York, 26. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 2355.

Praecedenti simillima, scapo tereti facillime distinguenda. *Spatham* cum *scapo* articulatim junctam, in specimine unico defectam, haud vidi.

8. **Patersonia sylvestris** *Endl.* scapo tereti laevi glabro, spatha haud striata, carina obtusa, margine angusto conformi, glabra, foliis ensiformibus strictis, scapum vix aequantibus, striatis, striis subaequalibus, margine et carina laevibus glaberrimis.

In confragosis sylvae ad latus meridionali-occidentale montis Wuljenup, Plantagenet, 13. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2354.

9. **Patersonia tenuispatha** *Endl.* scapo tereti laevi glaberrimo, spatha vix striata acute carinata submembranacea glabra, foliis ensiformibus flaccidis scapum aequantibus striatis, striis aequalibus margine et carina laevibus glaberrimis.

In glareosis montium prope praedium rusticum Whitfield, York, 15. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 2358. ex parte.

Aboriginibus dicitur „Kommä“.

10. **Patersonia montana** *Endl.* scapo compresso spathaque haud striata teretiuscula glaberrima, foliis linearibus scapo dimidio brevioribus nervoso- et inter nervos subtilissime striatis, glabris.

In asperis montium continuorum Darling's-range, Perth, Aug. 1841. Herb. Preiss. No. 2343.

Scapus bipedalis cum spatha viridis. Folia 2 lin. lata stricta.

11. **Patersonia umbrosa** *Endl.* scapo compresso glabro spatha haud striata dorso carinata apice puberula, foliis linearibus scapum aequantibus v. superantibus striatis, striis alternis subtilissimis, margine subcallosis glabris.

In solo turfoso inter frutices densos ad Stirling's-terrace, Plantagenet, 25. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2348.

Spatha livida. Stigmata flava.

12. **Patersonia turfosa** *Endl.* scapo tereti striato spathaque haud striata acute carinata glaberrima, foliis linearibus scapo dimidio brevioribus striatis, striis aequalibus margine subcallosis, glabris.

In turfosis scaturiginosis ad radices montis Elizamountain, Perth, 21. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 2358. ex parte.

Species praeter notas indicatas statura proceriore et graciliore a praecedentibus diversa.

Observ. Ab hac distinguere nequeo specimen manuum, in subarenosis ad „Princess-Royal-Harbour“ lectum, sub No. 2344. in Herb. Preiss. obvium.

13. **Patersonia juncea** *Lindl.* scapo tereti sulcato glabro, spatha haud striata obtuse carinata margine membranacea glaberrima, foliis anguste linearibus acuminatis, scapo brevioribus striatis, striis aequalibus, glabris. Lindley Swan-River n. 283.

In locis hieme inundatis planitiei supra oppidulum Perth, 10. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2353.

Adest alterum specimen s. No. 2357., in limoso-arenosis inter frutices prope Woodbridge, Perth, 31. Aug. 1839. lectum.

14. **Patersonia Roëi** *Endl.* scapo tereti striato glabro, spatha haud striata acute carinata margine membranacea glaberrima, foliis anguste linearibus scapum aequantibus striatis, striis alternis tenuissimis margine subcallosis glabris.

In regionibus interioribus Novae Hollandiae austro-occidentalis, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2345.

Praecedenti valde affinis, sed distincta videtur.

15. **Patersonia pygmaea** *Lindl.* scapo compresso lanato spatha scapum aequante v. superante acute carinata, carina lanuginosa, foliis ensiformibus ciliatis scapum superantibus spatha brevioribus. Lindley Swan-River n. 282.

In sublimoso-glareosis sterilibus sylvae cis fluvium Gordon, Hay, 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2352.

Ab hac nolo distinguere specimen unicum perpusillum, scapo vix 2 lin. longo, sub No. 2351. in Herb. Preiss. obvium, in glareoso-lapidoso ad latus occidentale montis Clarence, Plantagenet, 25. Nov. 1840 lectum.

LIBERTIA Spreng. Endl. gen. n. 1221.

1. **Libertia stricta** *Endl.* foliis lineari-ensiformibus acuminatis striatis laevibus, caulem simplicem (pedalem) aequantibus, pedunculis bracteam vix superantibus, fasciculorum spathis margine membranaceo angusto acutis.

In sublimoso-arenosis promontorii Cape Riche, 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2231.

2. **Libertia laxa** *Endl.* foliis lineari ensiformibus acuminatis laxis laevibus caulem paniculatum (sesquipedalem bipedalemque) aequantibus v. superantibus, bracteis foliaceis laxis pedunculo multo brevioribus, fasciculorum spathis margine membranaceo lato hyalino, obtusiusculis.

In arenosis montis Elizamountain, Perth, 23. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2230.

Flores caerulei.

3. **Libertia graminea** *Endl.* foliis anguste linearibus acutis laxis laevibus caule paniculatim ramoso multo brevioribus, pedunculis filiformibus elongatis bracteas foliaceas longe superantibus, fasciculorum spathis margine membranaceo lato, acutissimis.

In arenosis sylvae prope oppidulum York, 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2229.

Flores caerulei v. interdum albi.

DIOSCOREAE R.Br. Endl. gen. p. 157.**DIOSCORACEAE Lindl.**

(Auctore NEES ab ESENBECK.)

DIOSCOREA Plum. Endl. gen. n. 1201.

Meisn. gen. pag. 404. (308, 371.)

1. **Dioscorea hastifolia** N. ab E. foliis alternis trilobis, lobo medio lanceolato-attenuato longissimo lateralibus juxta basin sitis brevibus rotundatis, nervis quinque lateralibus, extimis bifidis, caule teretiusculo laevi, spicis simplicissimis paucifloris.

In limosis umbrosis ad flumen Cygnorum et Canning, Perth, Junio a. 1839. Aboriginibus „Warrein“. Herb. Preiss. No. 1954.

Statura reliquarum, sed est e tenerioribus, distinctissima foliis (glabris et laevibus brevipetiolatis) 2½ poll. longis ad basin trilobis cum lobis patentibus rotundatis circiter tres lin. latis, lobo medio 1½-2 lin. longo, a basi 2½-3 lin. lata attenuato acutoque. *Spicae masculae* ½-1 poll. longae, 4-8-florae. *Flores* distantes; sepala tria interiora undulata. *Bracteolae* exiguae patentissimae. *Spica* feminea fructifera duplo longior. *Fructus* late obovati, alato-triquetri, laeves. 4.

LILIACEAE Endl. gen. pag. 139.

(Auctore ST. ENDLICHER.)

Subordo I. ASPHODELEAE Endl. gen. 144.

Fructus capsularis.

SOWERBAEA Smith. Endl. gen. n. 1138.

1. **Sowerbaea laxiflora** Lindl. foliis triquetris scapum aequantibus, umbella laxiflora, pedicellis perigonio duplo triplove longioribus. Lindley Swan-River n. 276.

In arenosis calcareisque inter frutices ad fluvium Cygnorum, 15. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1552.

CAESIA R.Br. Endl. gen. n. 1151.

1. **Caesia occidentalis** R.Br. foliis filiformibus canaliculatis radicalibus caule paniculato brevioribus, caulino unico, racemis subramosis, pedunculis fasciculatis erectis flore brevioribus. R. Brown prodr. 277.

In solo turfoso-arenoso planitięi prope urbeculam Albany, Perth, 7. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1546.

2. **Caesia micrantha** Lindl. foliis linearibus erectis scapum aequantibus v. superantibus, panicula racemosa, floribus erectis fasciculatis pedicellorum longitudine. Lindley Swan-River n. 275.

a major, caule fere tripedali.

In solo humoso-arenoso pingui sylvae ad amniculum prope oppidulum Perth, 26. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1548.

b minor, caule semipedali.

In Nova Hollandia austro-occidentali. Herb. Preiss. No. 1547.

3. **Caesia spiralis** Endl. „foliis radicalibus spiralibus“ scapo tereti, floribus cymosis, erectis, pedunculis perigonis que glabris.

In arenosis ad portum Princess-Royal-Harbour. Herb. Preiss. No. 1543.

Species ut videtur *C. hirsutae* Lindl. affinis et bene distincta, sed e specimine unico misero aegre stabilienda. Capsula ovato-oblonga, apice triloba, lobis compressis.

4. **Caesia versicolor** Lindl. foliis radicalibus oblongis striatis scapo corymboso-paniculato brevioribus, floribus erectis. Lindley Swan-River n. 274.

In solo limoso-arenoso prope urbeculam Guildford, Perth, 30. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1545.

„Radices carnosae, aquosae, albae, fasciculares. Perigonium caeruleum. Antherae sulphureae“. An satis a *Caesia corymbosa* R.Br. differt?

5. **Caesia (?) paradoxa** Endl. folio radicali lineari (unico) scapo filiformi infra apicem minute bibracteato unifloro brevioris.

In arenosis subhumidis sylvae ad fluvium Canning's-river, 7. Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 1544.

Radix e tuberibus pluribus fasciculatis, et e fibrillis capillaribus ramosis, e collo ortis. Folium unicum emarcidum. Scapus filiformis 4-5 poll. longus, inferne violaceus, superne viridis. Bractae in superiore scapi parte duae, suboppositae, minutae. Flos erectus. „Perigonium cyaneum“. „Antherae croceae“ basi et apice revolutae.

ARTHROPODIUM R.Br. Endl. gen. n. 1146.

1. **Arthropodium capillipes** Endl. foliis radicalibus late linearibus flaccidis marcescentibus, caule elato tereti gracili multo brevioribus, caulinis paucis squamaeformibus, racemo diviso, pedicellis capillaribus geminis v. ternis divaricato-patentibus flore nutante multo longioribus.

In arenosis umbrosis inter Macrozamas et Xanthorrhoeas peninsulae Perth, 13. Febr. 1840. Herb. Preiss. No. 1555.

„Flores subnutantes. Perigonium hexaphyllum, roseo-violaceum, foliis exterioribus oblongis, muricatis, reflexis, interioribus ovato-oblongis.

Filamenta geniculata, sulphurea, *Antherae* lanceolatae, basi kermesino-pannosae. *Stylus* antheris longior“.

2. **Arthropodium Preissii** *Endl.* foliis radicalibus linearibus complicatis acutis erectis caule tereti gracili brevioribus, caulinis paucis squamaeformibus, racemo diviso, pedicellis solitariis subsecundis flore nutante paullo longioribus.

In uliginosis sylvae supra oppidulum Perth, 26. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1567.

„Flores violacei“.

STYPANDRA R.Br. Endl. gen. n. 1149.

1. **Stypandra scabra** *R.Br.* foliis radicalibus linearibus complicatis planisve, caulinis 3-5 subsimilibus, corymbi pedicellis alternis perigonisque hispidulis. *R. Brown prodr.* 279.

In solo limoso-arenoso inter frutices prope Woodbridge, Perth, 31. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1538.

2. **Stypandra scoparia** *Endl.* caule tereti ramoso, ramis approximatis strictis dense foliosis, foliis ad basim ramorum late lanceolatis nervoso-striatis, rameis dense imbricatis subdistichis lineari-filiformibus, vaginis integris, pedicellis corymbosis glaberrimis.

In umbrosis inter fragmenta rupium graniticarum ad latus meridionale montis Brown, 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1550.

3. **Stypandra virgata** *Endl.* caule suffruticoso tereti virgato, foliis ad basim ramorum ovato-lanceolatis, rameis linearibus nervosis imbricatis, vaginis integris, pedicellis corymboso-racemosis glaberrimis.

In solo limoso-arenoso inter frutices prope urbeculam Guildford, Perth, 25. Jul. 1839 et in rupestribus colli Strawberryhill, Plantagenet. 23. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1549.

A praecedente, cui simillima, distinguitur etiam habitu multo robustiore et floribus duplo majoribus.

TRICORYNE R.Br. Endl. gen. n. 1153.

1. **Tricoryne elatior** *R.Br.* caule tereti folioso ramisque laevibus paniculatis angulato-striatis, foliis planis, umbellis 5-7-floris. *R. Brown prodr.* 278. *Ferd. Bauer Illustr.* t. 11. *Endl. Iconogr.* t. 61.

In arenosis inter frutices densos prope urbeculam Perth, 20. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 2227.

Planta littoris occidentalis nisi statura paullo robustiore ab orientali vix differt.

2. **Tricoryne tenella** *R.Br.* caule filiformi dichotomo laevi aphylo stipulato, umbellis terminalibus 2-3-floris. *R. Brown prodr.* 278.

In arenosis inter frutices haud longe ab oppido Perth, 4. Oct. 1839. *Herb. Preiss. No.* 2224.

3. **Tricoryne humilis** *Endl.* caule subramoso ancipiti glabro, foliis lanceolatis planis nervosis margine laevibus, umbellis terminalibus multifloris, pedicellis capillaribus involucrium foliaceum aequantibus v. superantibus.

In subarenosis sylvae districtus Hay, 8. Nov. 1840. *Herb. Preiss. No.* 1605.

T. simplici *R.Br.* etiam statura 3-5-pollicari similis, involucrio foliaceo inter congeneres singularis.

4. **Tricoryne anceps** *R.Br.* caule ramosissimo aphylo stipulato angulato laevi, ramis ancipitibus, umbellis paucifloris. *R. Brown prodr. pag.* 278.

In clivulis arenosis ad litus maris prope promontorium Cape Riche, d. 21. Nov. a. 1841. *Herb. Preiss. No.* 1715.

Rami florentes recurvi. An distincta species? Flores non sufficiunt. (Nees ab Esenb.)

THYSANOTUS *R.Br.* *Endl.* gen. n. 1150.

* Hexandri.

1. **Thysanotus micranthus** *Endl.* caule suffruticoso semitereti sulcato glabro, repetitive dichotomo ramosissimo, ramis divaricato-patentissimis hinc deliquescentibus, ramulis apice sphacelatis, pedunculis in ramulis lateralibus solitariis unifloris, basi minutissime bibracteatis, foliis stipulaeformibus.

a minor, humilior, gracilior.

In arenosis supra oppidulum Perth, 28. Nov. 1839. *Herb. Preiss. No.* 1576.

b major, robustior, ramis magis divaricatis. An species propria?

In districtu Wellington, Dec. 1839. *Herb. Preiss. No.* 1566.

Species admodum singularis, sequenti proxima et per hanc *Th. Manglesiano* affinis. Flores vix 3 lin. longi.

2. **Thysanotus Lindleyanus** *Endl.* caule suffruticoso semitereti sulcato glabro, repetito-dichotome ramosissimo, ramis divaricato-patentibus hinc deliquescentibus, ramulis acutis apice sphacelatis, pedunculis in ramulis terminalibus solitariis unifloris basi minute bibracteatis, foliis stipulaeformibus.

In arenosis inter frutices densos planitiei haud longe a praedio rustico Mad-dington, Perth, 1. Nov. 1839. *Herb. Preiss. No.* 1569.

Flores magnitudine florum *Th. Manglesiani*.

3. **Thysanotus Manglesianus** *Kunth.* caule volubili ramosissimo, ramis dichotomis quinquangularibus glabris, pedunculis in apice ramorum solitariis, unifloris basi minutissime bibracteatis, foliis stipulaeformibus. *Kunth.* Enum. IV. 616.

In arenosis ad fluvium Cygnorum frutices scandens, 23. Sept. 1839. *Herb. Preiss.* No. 1568. ex parte.

4. **Thysanotus anceps** *Lindl.* foliis radicalibus linearibus marcidis caule paniculato ancipiti sulcato scabro multoties brevioribus, caulinis stipulaeformibus ovatis, umbellis terminalibus paucifloris. *Lindley Swan-River* n. 277.

In arenosis umbrosis inter frutices sylvae ad montem Elizamountain, 2. Oct. 1839. *Herb. Preiss.* No. 1564.

5. **Thysanotus intricatus** *Lindl.* foliis radicalibus linearibus flaccidis marcescentibus, caule tereti glabro sulcato multoties brevioribus, ramis divaricatis rigidis, ramulis elongatis furcatis ancipitibus, umbellis subbifloris, pedicellis flore brevioribus. *Lindley in Bot. Reg.* 1840. t. 4.

In arenosis inter frutices prope oppidulum Freemantle, 14. Dec. 1838. *Herb. Preiss.* No. 1563.

6. **Thysanotus spartens** *R.Br.* foliis radicalibus caule tereti subtilissime striato stricto, apice paniculato, foliis caulinis stipulaeformibus adpressis scariosis distantibus, ramis elongatis teretibus, umbellis subquadrifloris, pedicellis flore brevioribus. *R. Brown prodr.* 283.

In solo turfoso sylvae haud longe ab oppidulo Albany et ad fluvium Cygnorum, 10. Nov. 1840. *Herb. Preiss.* No. 1565.

7. **Thysanotus tenuis** *Lindl.* foliis junceis erectis glabris scapum ramosum aequantibus, umbellis terminalibus subquadrifloris, bracteis ovatis membranaceo-marginatis mucronatis, pedicelli articulum inferiorem aequantibus, stigmatate papilloso. *Lindley in Bot. Reg.* 1838. t. 50.

In arenosis umbrosis sylvae ad montem Elizamountain, 23. Sept. 1839. *Herb. Preiss.* No. 1570.

8. **Thysanotus scaber** *Endl.* radicibus fibrosis, foliis late linearibus flaccidis nervosis scabris scapum sulcatum ramosum subaequantibus, umbellis terminalibus paucifloris, bracteis late ovatis membranaceo marginatis mucronatis pedicelli articulo inferiore brevioribus, stigmatate glabro.

In arenosis ad fluvium Cygnorum. *Herb. Preiss.* No. 1578.

9. **Thysanotus tenellus** *Endl.* radicibus foliis filiformibus flaccidis scapum erectum apice ramosum aequantibus, umbellis unifloris, bracteis acutissimis pedicelli articulo inferiore longioribus, articulo superiore floris longitudinem aequante.

In regionibus interioribus Novae Hollandiae austro-occidentalis, Oct. 1840. *Herb. Preiss.* No. 1577.

Herba bi-quadripollicaris, glaberrima. *Caulis* sulcatus, ramis subsecundis, basi bractea foliacea lineari aequilonga stipatis. *Inflorescentiae* bractea lanceolatae, acuminatae, margine scariosae. *Flores* quatuor lineas longi.

* **Triandri.**

10. **Thysanotus glaucus** *Endl.* radicibus fibrosis, foliis radicalibus setaceo-filiformibus glaberrimis glaucis scapo tereti apice paniculatim ramoso brevioribus, umbellis unguadrifloris, pedicelli articulo inferiore brevissimo, superiore bracteas membranaceas, late lanceolatas binerves et bimucronatas triente superante, flore brevior.

In arenosis sylvae prope Bull's-creek, Perth, Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 1575.

Herba pedalis, admodum gracilis, *Caulis* inferne simplicis, superne ramosi rami stricti, fastigiati. *Antherae* longe falcatae, cum stylo deflexae.

11. **Thysanotus nanus** *Endl.* radicibus fibrosis, foliis radicalibus anguste linearibus obtusis canaliculatis strictis ciliato-hispidis, scapo simplicissimo laevi brevioribus, umbellis subquadrifloris, pedicelli articulo inferiore brevissimo, superiore bracteas acuminatas vix aequante.

In solo glareoso districtus Hay, 7. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1574.

12. **Thysanotus triandrus** *R.Br.* radicibus fibrosis, foliis radicalibus anguste linearibus acutis canaliculatis ciliato-hispidis scapum simplicissimum superne laevem aequantibus, umbellis multifloris, pedicelli articulo inferiore bracteas, superiore longiore florem superante. *R. Brown* prodr. 284.

Ornithogalum triandrum *Labill.* Nov. Holl. I. 84. t. 110.

Inter frutices sylvae ad montem Elizamountain, 25. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1571.

13. **Thysanotus brevipes** *Endl.* radicibus fibrosis, foliis radicalibus anguste linearibus obtusis canaliculatis glabris scapum simplicissimum laevem subaequantibus, umbella multiflora, pedicelli articulo inferiore bractea dimidio brevior, superiore multoties longiore florem longe superante.

In arenosis prope oppidulum Albany, Plantagenet, et ad fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 1573.

14. **Thysanotus proliferus** *Lindl.* radicibus fibrosis, foliis radicalibus late linearibus longissimis acutis canaliculatis glabris, scapum simplicissimum laevem interdum proliferum subaequantibus, umbella multiflora, pedicelli articulo inferiore bracteam, superiore multo longiore florem superante. *Lindley* Bot. Reg. 1838. t. 8.

In arenosis ad lacum Kei-er-mulu et in porrectis hieme inundatis prope Basandeen, Perth, 9. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 1572.

„Flores aperiuntur meridie, clauduntur hora pomeridiana secunda“.

Subordo II. ASPARAGEAE Endl. gen. n. 150.

Fructus baccatus.

DIANELLA Lam. Endl. gen. n. 1160.

1. **Dianella revoluta** R.Br. foliis radicalibus elongato-linearibus strictis, caulem tetragonum aequantibus, vaginis margine utroque reflexis, laminis arcte revolutis, caulinis paucis remotis linearibus planis, paniculae ramis subdichotomis strictis. R. Brown prodr. 280.

In arenosis inter frutices prope urbiculum Freemantle, 26. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1537.

Planta littoris occidentalis ab orientali non nisi statura multo robustiore, paniculisque magis divisis differt.

LILIACEIS AFFINES.

XANTHORRHOEA Smith. R.Br. Endl. gen. n. 1173.

1. **Xanthorrhoea gracilis** Endl. acaulis, foliis subsemiteretibus, antice infra medium parum elevatis (subspiralibus?), scapo tereti amentum subconicum (2-pollicare) multoties superante (quinquepedali) bracteis perigonium vix aequantibus foliolisque barbato tomentosus.

In limoso-calculosis jugi montium Darling's-range, Perth, 16. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 1619.

2. **Xanthorrhoea Brunonis** Endl. acaulis, foliis (tripedalibus) longitudinaliter tetraquetris, basi lanatis scapo (resinifluo) amentum cylindricum (bipedale) parum superante, bracteis fasciculorum flore vix longioribus, omnibus perigoniisque imberbibus.

In arenosis ad fluvium Cygnorum. 20. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1621.

3. **Xanthorrhoea Preissii** Endl. caulescens, foliis longitudinaliter acute tetragonis, scapo (resinifluo) amentum cylindricum (bipedale, basi subinterruptum) plus duplo superante, bracteis fasciculorum flore vix longioribus, omnibus perigoniisque imberbibus.

In solo sublimoso prope Bójekar, York, 22. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 1620.

„Truncus 3-4-pedalis“.

APHYLLANTHEAE Endl. gen. p. 151.

(Auctore ST. ENDLICHER.)

JOHNSONIA R.Br. Endl. gen. n. 1172.

1. **Johnsonia lupulina** R.Br. scapo compresso foliisque linearibus scapo brevioribus v. subaequalibus glabris. var. β robustior.

Johnsonia lupulina R. Brown prodr. 287. Ferd. Bauer Illustr. pl. Nov. Holl. t. 1.

In solo arenoso ad portum Princess-Royal-Harbour et in arenosis districtus Sussex, 20. Dec. 1839 et 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1579.

Specimina ab Hügelio et Preissio ad Swan-River collecta Bauerianis ex ora australi, et Hügelianis e sinu Regis Georgii relatis, multo robustiora, caeterum nullo modo diversa.

2. **Johnsonia teretifolia** Endl. scapo tereti foliisque teretiusculis scapo brevioribus glabris. Endl. Enum. pl. Hügel. II. inedit.

In solo sublimoso-arenoso promontorii Cape Riche, 20. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1582.

Herba rigida, praecedente, 'quam omnino refert multo gracilior. *Rhizoma* horizontale, pennae anserinae crassitie, fibris validis firmatum. *Scapus* sesquipedalis, teres, glaberrimus, striatus. *Folia* basi late vaginantia, breviora longioribus mixta, longissima pedalia, brevissima vix pollicem superantia, omnia e vaginis margine membranaceis, bi-tripollicaribusque teretia, superne compressa, acuta, glaberrima. *Spica* paullo infra scapi apicem acutum patentes, pollicares sesquipollicaresque, omnino spicarum *J. lupulina* forma et colore.

3. **Johnsonia mucronata** Endl. scapo tereti incano pubescente, foliis anguste linearibus acutis inferne cano-pubescentibus, superne glabris, scapo longioribus, spicis subcylindricis, strictis, bracteis mucronatis, ciliatis, pubescentibus. Endl. Enum. pl. Hügel. II. inedit.

In arenosis inter frutices oppiduli Perth, 26. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1580.

Johnsoniae hirtae Lindl. Swan-River n. 270. t. 7. f. B. similis, sed multo gracilior, foliis scapum semper triente, interdum etiam duplo superantibus, pube rariore, in superiore foliorum parte omnino evanida et bracteis mucronatis diversa. *Radix* e fibris rigidis, filiformibus, ramosis composita. *Scapi* tri-quadrupollicares, teretes, incano-hirti. *Bractea* infima foliacea, spicam pollicarem aequans v. interdum longe superans, basi manifestius quam in reliquis speciebus vaginatim dilatata. *Folia* anguste linearia, rigida, stricta, striata, apice non raro torta, valde inaequalia, nonnulla pede longiora, dimidia linea vix latiora, dense cano-pubescentia, versus dimidium superius glabrata, inferne pube quam in scapo breviora et rariore.

4. **Johnsonia longifolia** Endl. scapo tereti hirta foliis angustissime linearibus pubescentibus multo breviora, spicis subcylindricis, strictis, bracteis acutis glaberrimis.

In arenosis sylvae prope Bull's-creek, districtus Perth, Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 1584.

Johnsoniae pubescenti Lindl. Swan-River n. 271. similis, foliis scapum plus duplo superantibus, pubescentibus, et spica sesquipollicari bracteis glaberrimis, quae in illa ciliata et puberula, facillime distinguenda. Iisdem bractearum notis a *Johnsonia hirta* et a *J. mucronata* differt, ab utraque simul foliorum pube laxiore et molliore, nec ut in *J. mucronata* demum evanescente diversa est. *Radix* fibrosa, fibris validioribus, minus tamen ramosis quam in speciebus affinibus. *Scapi* bi-tripollicares. *Folia* angustissime linearia, vix dimidiam lineam lata, pedalia et sesquipedalia. *Spicae* pollicares et sesquipollicares, in sicco fuscae (profundius quam in *J. pubescenti* tinctae). *Bractea* infima foliacea spicam aequans, reliquae rigidius scariosae, nec margine membranaceo-attenuatae, glaberrimae.

5. **Johnsonia acaulis** Endl. glaberrima, foliis linearibus subfalcatis spicam inter folia sessilem longe superantibus.

In solo arenoso inter frutices sylvae ad radices montis Bokkenbop v. Barker, districtus Plantagenet, 9. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1581.

Radix e fibris paucis, rigidis, strictis, simplicibus, sesquipollicaribus bipollicaribusque. Foliorum aversorum, basi equitantium caespites solitarii v. pauci aggregati. *Folia* bipollicaria, lineam lata, erecta, subfalcata, striata, glaberrima. *Spica* 8-9 lin. longa, inter folia sessilis, erecta, demum deflexa, bracteis quam in congeneribus rigidioribus et profundius rubro tinctis, margine subtilissime ciliatis. *Flores* et *fructus* congenerum. *Semina* non vidi.

ARNOCRINUM Endl. et Lehm.

Perigonium corollinum infundibuliforme, limbo sexpartito aequali, demum spiraliter convoluto, marcescendo persistens. Stamina 6, perigonii fauci inserta, filamenta filiformia libera, antherae biloculares in conum stylo pervium connatae, poro apicis dehiscentes. Germen liberum, obovatum, acute triquetrum, triloculare. Gemmulae in quovis loculo geminae, superpositae, semianatropae, superior adscendens, inferior pendula. Stylus terminalis filiformis; stigma subcapitatum, obsolete trilobum. Fructus.

Herbae perennes, rigidae, ramosae. Radices fibrosae. Folia radicalia linearia, plana, brevissima, ad basim caulis congesta, basibus dilatatis densissima lana alba tomentosis, annotinis persistentibus, ita ut planta denso velleri tanquam culcitae cauli suppositae insident, unde generis Liliaceas affinitate contingentis, nomen. Caules simplices v. ramosi, aphylli, angulato-striati. Rami basi folii rudimento subtendenti squamaeformi, et altero introrsum sublaterali, in axilla dense lanato stipati. Spicae ramos terminantes ovatae, acutae, bracteis undique imbricatis membranaceis acuminatis, margine lanatis v. fimbriatis, bracteolis membranaceis perigonii tubum amplexantibus apice bifidis.

1. **Arnocrinum Drummondii** Endl. foliis linearibus planis piloso-hispidulis, caule simplici, bracteis margine membranaceo lato, fimbriato.

In Nova Hollandia austro-occidentali. Herb. Preiss. No. 2640. (Drummond, No. 777. in Herb. Mus. palat. Vindob.)

2. **Arnocrinum Preissii** *Lehm.* foliis radicalibus anguste linearibus subcomplicatis glabris, caule ramoso, bracteis margine simplicibus dense piloso lanatis.

In arenosis inter frutices sylvae prope oppidulum Perth, 2. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2226. (Drummond No. 778.) (Colitur in horto bot. Hamburg. Lehm.)

LAXMANNIA R.Br. Endl. gen. n. 1169.

1. **Laxmannia grandiflora** *Lindl.* foliis erectis rigidis pungenti-mucronatis scapo multo brevioribus, stipulis trisetis margine integris, capitulis multifloris basi obtusis. Lindley Swan-River n. 269. t. 7. A. Kunth, Enum. IV. 643.

In arenosis prope urbem Perth, 18. Oct. 1841. Herb. Preiss. No. 1586.

2. **Laxmannia squarrosa** *Lindl.* foliis squarroso-recurvis setoso-mucronatis scapo multo brevioribus, stipulis trisetis, setis apice furcatis, margine integris, capitulis paucifloris basi acutis. Lindley Swan-River n. 266.

In arenosis ad latus orientale montis Bakewell, York, 8. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1588.

3. **Laxmannia pauciflora** *Endl.* foliis squarroso-recurvis setoso-mucronatis scapo multo brevioribus, stipulis trisetis, margine fimbriatis, capitulis paucifloris basi acutis.

In rupestribus vallis Cataractae ad caput fluvii Cygnorum. Herb. Preiss. No. 1589.

4. **Laxmannia Roëi** *Endl.* foliis teretiusculis muticis strictis scapo multo brevioribus, stipulis obtusis apice trisetis margine lanato-tomentosis, bracteis obtusis.

In interioribus Novae Hollandiae austro-occidentalis, 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1585.

5. **Laxmannia acuta** *Endl.* foliis teretiusculis muticis laxis scapo multo brevioribus, stipulis acutis trisetis, setis ramosis, margine ramentaceo-pilosis, bracteis acutis.

In rupestribus districtus Grantham, 5. Mart. 1841. Herb. Preiss. No. 1592.

6. **Laxmannia sylvestris** *Endl.* foliis erectis mucronatis scapo multo brevioribus, stipulis acutis trisetis, setis ramosis, margine longe ciliatis.

In arenosis sylvae haud longe a Bull's-creek, Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 1591.

7. **Laxmannia sessilis** *Lindl.* foliis squarroso-recurvis setoso-mucronatis scapo brevissimo longioribus, stipulis trisetis margine integris. Lindley Swan-River n. 267.

In solo sublimoso-arenoso districtus Hay, 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1590.

8. **Laxmannia ramosa** *Lindl.* caule ramoso nitido, ramis apice foliosis, foliis erectis pungentibus scapum brevem aequantibus, stipulis bisetis dense lanato-tomentosis, capitulis paucifloris basi intrusis. Lindley Swan-River n. 268.

In arenosis inter frutices ad fluvium Canning, Perth, 11. Maji 1841. Herb. Preiss. No. 1587.

BORYA R.Br. Endl. gen. n. 1170.

1. **Borya sphaerocephala** *R.Br.* caule simplici erecto scapi longitudine, involucris capitulum ovato-subglobosum aequantibus, bracteis enerviis. R. Brown prodr. 286.

In rupestribus Point-William, King-George's-Sound, 30. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1597.

2. **Borya gracilis** *Endl.* caule ramoso radicante, fibris fibrilloso-ramulosis, scapo ramis longiore, involucris capitulum globosum subsuperantibus, bracteis trinerviis.

In rupestribus jugi Darling's-range, Perth, Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1596.

Cauliculi brevissimi, foliorum vaginis scariosis nigricantibus inclusi, radículas emittunt pollicares semipedalesque, nitidas, undique fibrillis tenuissimis, rigidis, ramulosis ramosas. *Folia* in apicibus ramorum pauca, congesta, minus ac in congeneribus rigida, pollicem v. sesquipollicem longa, lata, basi vaginantia, inferne trinervia, superne convoluto-filiformia, in mucronem sphacelatum desinentia. *Scapus* gracillimus strictus, foliis duplo fere longior, trigonus, angulis in nervum medium foliorum involucralium continuis; haec marginibus membranacea, fusca, medio viridia in acumen foliaceum longe excurrentia. *Capitulum* vix *Pisi* majoris mole, e bracteis nigro-fuscis, nitidis, ovatis, obtusis, trinerviis compositum.

3. **Borya lucens** *Labill.* caule ramoso radicante, fibris simplicissimis nitidis, scapo ramis foliisque duplo longiore, involucris capitulum globosum superantibus, bracteis enerviis.

Borya lucens Labillard. Nov. Holl. 1.81. t. 107. *Daviesia lucens* Lam. ill. suppl. 10. n. 1. *Borya nitida* R. Brown prodr. 286.

In rupestribus ad latus septentrionale montis Melville, 5. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1595.

4. **Borya Cataractae** *Endl.* caule simplici adscendente haud radicante scapo longiore, foliis patentibus scapum subaequantibus, involucris capitulum ovato-conicum superantibus, bracteis enerviis.

In rupestribus vallis Cataractae, ad caput fluvii Cygnorum, 25. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1594.

Planta bipollicaris, statura gracili et multo minore a praecedente et sequente, quibus proxima, facile distinguitur.

5. **Borya scirpoidea** *Lindl.* caule adscendente apice caespitoso-ramoso haud radicante, scapo ramis foliisque strictis longiore, involucris capitulum turbinatum superantibus, bracteis enerviis. Lindley Swan-River n. 269. t. 9. f. A.

In rupestribus ad latus meridionale montis Brown, York, 4. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1593.

MELANTHACEAE R.Br. Endl. gen. pag. 133.

(Auctore ST. ENDLICHER.)

BURCHARDIA R.Br. Endl. gen. n. 1069.

1. **Burchardia umbellata** *R.Br.* foliis elongatis basi convoluto-amplexicaulibus, umbella pauciflora pedicellis elongatis patulis. R. Brown prodr. 273.

In subuliginosis ad portum Princess-Royal-Harbour, Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1607.

2. **Burchardia multiflora** *Lindl.* foliis scapi basi cucullatis, umbella vigintiflora, pedicellis periphericis horizontalibus. Lindley Swan-River n. 280.

In arenosis prope Pointwater, Perth, 17. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1568. ex parte. „Radix carnosae, albae, saccharatae ab aboriginibus editur“.

3. **Burchardia congesta** *Lindl.* foliis scapi basi simplicibus, radicali longissimo lineari, umbella pauciflora congesta, pedicellis florum longitudine. Lindley Swan-River n. 281.

In madidis planities supra oppidulum Guildford, 2. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1604.

ANGUILLARIA R.Br. Endl. gen. n. 1072.

1. **EUANGUILLARIA** Endl. Perigonii foliola omnino libera.

1. **Anguillaria dioica** *R.Br.* foliis elongato-linearibus basi vaginis cucullatis, floribus dioicis spicatis, perigonii unguibus apice vittatis. R. Brown prodr. 273. Endl. Iconogr. t. 10.

a. *Forma major.* In humidis prope oppidulum Albany, Plantagenet, 21. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1603.

b. *Forma gracilior.* In arvis cessatis prope Maddington ad fluvium Canning's-river, Perth, 23. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1602.

c. *Forma rigidior*. In arenoso-conchyliosis humidis depressis prope lacum insulae Rottennest, 19. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1600.

2. **Anguillaria monantha** Endl. foliis elongato linearibus basi cucullatis caulem uniflorum aequantibus, perigonii unguibus apice zona glandulari.

In calcareis clivuli haud longe ab ora maritima, Perth, 18. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 1606.

Ab *A. uniflora* R.Br. differt imprimis glandularum perigonii forma, quae in illa geminae foliolorum margini approximatae et longe discretae, oblongae, nec inter se nexae sunt.

2. **GLOSSOCODON** Endl. Perigonii foliola basi in tubum coalita.

3. **Anguillaria pygmaea** Endl. foliis radicalibus linearibus paucis vagina integra inclusis, scapo simplicissimo uni-bifloro longioribus, floribus sexfidis hexandris.

In limoso arenosis humidis ad fluvium Cygnorum prope villam cl. Mitchell, Perth, 1. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1599.

Tuber radicale, nucis *Avellanae* minoris magnitudine foliorum vaginis coriaceis truncatum, *vaginam* gignit membranaceam fere pollicarem clausam, limbo brevi, ovato, patentiusculo, mucronato, includentem *folia* 2, anguste linearia, acuta, planiuscula v. complicata, demta parte vagina inclusa, duos circiter pollices longa, sesquilineam lata. Inter folia exsurgit *scapus* pollicaris, filiformis, flore terminali unico, interdum etiam altero, supra medium scapi sessili. *Perigonium* subcampanulatum, sexfidum, tubo unam lineam longo, amplo, laciniis tubo fere longioribus, erectiusculis, acutis, ante anthesim marginibus involutis stamina amplexantibus, basi supra staminum insertionem vitta semicirculari elevata notatis. *Stamina* ad basim laciniarum inserta, iisdem paullo breviora. *Germen* ovato-trigonum: *stylis* 3, filiformibus, reflexis.

4. **Anguillaria tenella** Endl. foliis radicalibus lineari-filiformibus paucis vagina integra inclusis, caule unifloro longioribus, caulinis duobus, alternis, approximatis basi cucullatis apice acuminatis, floribus octofidis, octandris.

Crescit cum praecedente. Herb. Preiss. No. 1598.

Prioris fere facies et statura. „Perigonium album, laciniis linearibus, subacutis, medio purpureo-punctatis“.

PHILYDREAE Endl. gen. pag. 132.

HETAERIA Endl. gen. n. 1060.

1. **Hetaeria pygmaea** Endl. Herba 2-5-pollicaris, erecta, glabra, simplicissima. *Folia* radicalia pauca, linearia, complicata, scapi basim vaginantia. *Spica* 3-5-flora stricta, bracteis ovatis, acutissimis, complicatis, demum de-

flexis. *Perigonii* sulphurei foliolum anticum sub anthesi patentissimum, posticum erectum.

Philydrum pygmaeum R. Brown prodr. pag. 264.

In turfoso-arenosis hieme inundatis planitiei supra oppidulum Perth, 26. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2223.

JUNCEAE DeCand.

La Harpe monogr. des vraies Joncées,
in Mém. d. l. soc. d'hist. nat. d. Paris,
Tom. III. JUNCACEAE Kunth. enum. III.
pag. 295. sqq.

(Auctore E. MEYER.)

JUNCUS Linn. E. Meyer synopsis Juncor.

1. **Juncus maritimus** Lam. scapo foliisque teretibus, spatha tereti elongata pungente, anthela supradecomposita, perianthio capsulam ellipticam obtusam mucronatam aequante, seminibus scobiformibus. Lam. encycl. Vol. III. pag. 264. R. Brown prodr. pag. 258. E. Mey. l. c. pag. 53. Kunth. l. c. pag. 322.

Ad fluvium Cygnorum prope oppidum Perth, d. 19. m. Jan. 1839. Herb. Preiss. No. 1865.

2. **Juncus vaginatus** R.Br. scapo elongato duro laevi ad basim vestito vaginis amplis, exterioribus obtusis, interioribus elongatis attenuatis, spatha tereti erecta anthelam supradecompositam erectam superante, perianthii foliolis subaequalibus ovatis acutis, capsulam obovato-ellipticam obtusam subaequantibus, staminibus senis. R. Brown l. c. pag. 258. La Harp. l. c. pag. 116.

In solo subarenoso ad Stirling's-terrace, Plantagenet, m. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1864. Specimina immatura. Sed adsunt specimina matura absque numero peculiari inter specimina *Junci maritimi* lecta d. 19. Jan. 1839 ad fluvium Cygnorum prope oppidum Perth No. 1865.

Rhizoma horizontale. *Scapus* saepe quadripedalis et ultra, durus, laevis, sub lente tenuissime striatus, pallide subvirescens, basi vestitus vaginis exterioribus obtusis, interioribus saepe octo pollices longis, medio dimidium pollicem latis, abhinc sensim attenuatis, pallide fuscis, basi brunneis. *Anthela* supradecomposita, ramis flexuoso-erectis, infimis saepe semipedalibus, superata spatha ad basim vaginante, dein tereti erecta subpungente. *Florum* dispositio ut in *Junco multifloro* Desfont., cui et perianthii colore demum stramineo, et capsulae forma haud absimilis.

Observ. *Juncus vaginatus* Sieber. Herb. Nov. Holl. n. 430. minime huc pertinet, sed idem est ac ejusdem herbarii n. 429., cui justum *Junci pallidi* R. Brown nomen adscriptum est, et fortasse idem, quem cl. Kunth in herbario Lucaeano visum, ne legitimus sit, dubitat.

Cultura plantam adeo alterat, ut aegre cognoscatur, maxime propter vaginas tunc arcte appressas, coloris brunnei expertes.

3. ***Juncus caespiticus*** *E. Meyer* foliis radicalibus spathaue erectis canaliculatis angustissimis, scapo subsetaceo laevi, capitulis subternis, terminali subsessili, laterali- bus pedunculatis tri-sexfloris, perianthii foliolis subaequa- libus, exterioribus acutis, interioribus obtusis, capsulam trigono - ellipticam acutam vix superantibus, staminibus senis.

In locis hyeme inundatis ad fluvium Canning, Perth, d. 2. m. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1733.

Radix (annua?) fibrosa exilis. *Scapi* caespitiosi subsetacei uni-tripol- licares, laeves, subinde obsolete angulosi. *Folia* radicalia erecta plana scapo breviora, exteriora circiter semilineam lata canaliculata, interiora ad- huc angustiora nec raro setaceo - convoluta. Capitulum nunc solitarium pseudolaterale sessile, nunc saepius 2-4, sub terminali inaequaliter peduncu- lata, infimi pedunculo arrecto, reliquorum patulis: rarius sub infimi pedun- culi apice pedicellus secundi ordinis singulus arrectus capitulo singulo ter- minatus. *Capitula* plerumque quadriflora, quoad magnitudinem atque colo- rem iis *Junci uliginosi* in siccis nati (*J. supini* Moench) similia. *Stamina* sex dimidium perianthium vix aequantia. *Seminum* testa nucleo conformis et appressa.

Proximus hinc *Juncus planifolius* R. Brown, hinc *Juncus rupestris* Kunth. Sed *illius* statura ter quaterve major est, radix stolonifera haud dubie per- enn timer, anthela multo magis composita, pedunculi patuli (ut in *Luzula ere- cta*), stamina tria dimidio perianthio longiora, capsula (quam cl. La Harpe ad specimina immatura descripsisse videtur) triquetro - obovata, angulis in verticem obtusum medio apiculatum subito desinentibus. *Juncus rupestris*, nostro adhuc similior, recedit praeter patriam Africanam scapo tenuissimo profunde quadrisulcato, foliis dimidio scapo brevioribus omnibus setaceo- complicatis, nervo medio utrinque prominente, pedunculis capillaceis multo magis elongatis saepiusque proliferis, capitulis raro plus quam trifloris flo- ribusque haud raro solitariis, capsula denique triquetro-oblonga, obtusiuscula mucronata (cl. Kunth eandem non nisi immaturam vidisse fatetur).

4. ***Juncus bufonius*** *Linn.* caule subramoso scapove fili- formi, foliis canaliculatis angustissimis, anthela floribus so- litariis segregatis florumve fasciculis remotis composita, perianthii foliolis acuminatis, exterioribus longioribus ca- psulam oblongam obtusam superantibus, staminibus senis, nonnullis saepe imperfectis.

Varietas γ *E. Meyer*: robustior, anthela abbreviata, floribus fasciculatis.

Juncus hybridus Broter. flor. Lusit. Vol. I. pag. 513.

Juncus insulanus Vivian. flor. Corsic. diagn. pag. 5.

Juncus fasciculatus Bertolon. flor. Ital. Tom. IV. pag. 190. (non Schousb.).

In locis hyeme inundatis ad fluvium Canning, Perth, d. 2. Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1734.

Specimina Preissiana, quotquot vidi, ad hanc varietatem, in utraque zona temperata haud procul a torrida abundantem, pertinent, speciminibusque et Europaeis et Africanis sunt simillima. Eam *Junci bufonii* varietatem, quam ill. R. Brown quondam *Junci plebeji* nomine salutavit, inter plantas Preissianas desidero.

LUZULA DC. E. Meyer. synops. luzul.

1. **Luzula campestris** DC. foliis planis ciliatis, postea plerumque glabratis, anthela spiculis ovalibus composita, bracteis spicularum calvis, perianthii foliolis ovatis, exterioribus in mucronem attenuatis, interioribus acutis mucronatis, capsulam obovato-subglobosam obtusam mucronatam superantibus, testa ad basim seminis in processum conicum laneum producta. R. Brown prodr. in appendice. E. Mey. luz. n. 14. La Harp. joncées n. 15. Kunth. enum. III. pag. 307.

Variet. β E. Meyer. l. c. La Harp. l. c. Kunth. l. c. caule magis elongato, anthela subumbelliformi, pedunculis valde inaequilongis erectiusculis (nec post florescentiam evidenter refractis).

Subvariet. $\beta\beta$ robustior, foliis angustioribus inferne subvillosociliatis, pedunculis maxime inaequalibus, perianthio paullo longiori angustiori.

In umbrosis ad fluvium Canning, Perth, d. 2. m. Nov. 1839 et in depressis arenosis supra oppidulum Perth. Herb. Preiss. No. 1805.

„Species in hemisphaerio australi tam mire ludens ac in boreali.“ R. Brown l. c. Specimina Australasica plurima, quae vidi aequae ac Preissianum a varietate β parum recedunt. Alia quidem ad alias varietates Europaeas, excepta δ (*Luz. sudetica* DC.) pertinent, ita tamen, ut fere omnia nostratibus robustiora sint. Flores, fructus, semina nullum discrimen ostendunt praeter perianthii foliola saepe (non semper) paullo longiora atque angustiora.

JUNCEIS AFFINES.

XEROTIDEAE Endl. gen. pag. 132.

(Auctore ST. ENDLICHER.)

XEROTES R.Br. Endl. gen. n. 1056.

1. **Xerotes graminea** Endl. foliis anguste linearibus, elongatis, planis, laevibus glaucis caule subsimplici longioribus, vaginis laxis apice deliquescentibus, racemis simplicibus raris, pedicellis oppositis bractea acuminata brevioribus.

In solo limoso inter frutices densos sylvae ad ripam fluvii Preston, Wellington, 1. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 1557.

2. **Xerotes asparagoides** *Endl.* foliis anguste linearibus planis laevibus caule subramoso brevioribus, vaginis arctis apice abrupto rotundato, racemis simplicibus raris, pedicellis oppositis, bractea acuta longioribus.

In sublimoso-lapidoso umbrosis inter frutices ad latus meridionali-occidentale montis Clarence, Perth, 7. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1556.

3. **Xerotes micrantha** *Endl.* foliis filiformibus elongatis antice canaliculatis subtus sulcato-striatis, racemis masculis parum divisis, ramis alternis, pedicellis subsolitariis flore brevioribus.

In arenosis umbrosis inter frutices sylvae prope planitiem supra urbeculam Perth, 23. Maji 1839. Herb. Preiss. No. 1531.

„Flores polygamo-dioici, atropurpurei“.

4. **Xerotes tenuifolia** *R.Br.* foliis filiformibus elongatis antice canaliculatis subtus striatis, racemis masculis parum divisis, ramis alternis, pedicellis fasciculatis flore longioribus. *R. Brown prodr.* 261.

In arenosis circa urbeculam Perth, 15. Maji 1839. Herb. Preiss. No. 1530.

„Flores polygamo-dioici odorati. Perigonium album. Antherae flavae“.

5. **Xerotes purpurea** *Endl.* foliis linearibus rigidis planis striatis laevibus, margine calloso-incrassatis (bipedalibus), scapo ancipiti foliis subduplo longiore, panícula mascula glomerata, pedicellis perigonio longioribus nutantibus, spica feminea interrupta, glomerulis verticillatis, verticillis inferne remotis apice approximatis.

In solo sublimoso ad radices jugi montium Darling's-range, prope Skelmscott, Perth, Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 1534.

„Flores purpureae, dioici, ♀ rari“.

6. **Xerotes Serra** *Endl.* foliis late linearibus obtusis margine membranaceo retrorsum serrato limbatis, scapo compresso abbreviato monocephalo. capituli bracteis membranaceis, plurifariam imbricatis unifloris, floribus pedicellatis, pedicellis bracteas et perigonium multoties superantibus.

In solo sublimoso-glareoso districtus York et Hay, 25. Apr. et 8. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1539.

Folia 5-6 pollices longa, sesquilinea paullo latiora, rigida, antice plana, dorso convexiuscula, utrinque striata apice obtusissimo sphacelata, margine membranaceo, albo-nitente, fere dimidiam lineam lato, juxta apicem tandem evanescente, inciso-serrato, dentibus retrorsis. *Scapus* pollicaris, compressus, medio unisquamatus. *Capitulum Pisi* majoris mole, subglobosum, e bracteis late ovatis, scariosis, margine membranaceo incisus, dense imbricatis, persistentibus (tandem induratis?), infimis vacuis. *Pedicelli* filiformes, dimidio pollice longiores, apice nutantes, longe e bracteis exserti.

Sub No. 1541. adsunt folia pedalia semiteretia, limbo simili cincta, in asperis districtus Minto 7. Martii 1840 lecta, procul dubio ad ineditam *Xerotis* speciem pertinentia.

7. **Xerotes rigida** *R.Br.* foliis distichis cartilagineis subtus convexis apice bidentato semitruncatis, margine laevibus, scapo compresso abbreviato, paniculae ramis brevibus, glomerulis oppositis. *R. Brown prodr.* 261.

Lomandra rigida *Labill. Nov. Holl. I.* 93. t. 120.

In solo arenoso inter frutices densos sylvae ad radices montis Wuljenup, Plantagenet, 14. Oct. 1840. *Herb. Preiss. No.* 1559. ex parte.

8. **Xerotes Preissii** *Endl.* foliis linearibus cartilagineis, margine laevi calloso cinctis, involutis, (sesquipedalibus) scapo teretiusculo folia superante, racemo masculino spicaeformi simplici verticillis inferne remotis, superne approximato-confluentibus, pedicellis perigonio brevioribus, spica feminea subglobosa.

In arenosis inter frutices juxta urbiculum Perth, 28. Apr. 1839. *Herb. Preiss. No.* 1532.

„Flores polygamo-dioici, viridi-flavi s. purpurascentes“.

9. **Xerotes odora** *Endl.* foliis filiformibus elongatis antice planis dorso convexo striatis apice tabescentibus, scapo ancipiti filiformi multo longioribus, racemi masculi spicaeformis verticillis inferne remotis, superne approximatis confluentibus, pedicellis bracteis superantibus, perigonio vix longioribus.

In turfoso-arenosis umbrosissimis inter gramina alta supra urbiculum Perth, 1. Sept. 1839. *Herb. Preiss. No.* 1529.

„Flores viridi-flavi, odorati. Antherae brunneae“.

10. **Xerotes suaveolens** *Endl.* foliis (pedalibus) anguste linearibus planis, dorso convexiusculis, laevibus, apice tabescente, scapo brevissimo (pollicari) squamis scariosis vestito, subramoso, ramis monostachyis, spica brevi, subglobosa, laxa, perigonii infundibuliformis laciniis acutis.

In solo limoso peninsulae Perth et ad fluvium Canning's-river, 14. Mart. 1841. *Herb. Preiss. No.* 1535.

11. **Xerotes umbrosa** *Endl.* foliis semitereti-filiformibus laevibus, strictis, (5-pollicaribus), apice obtusiusculo tabescente, scapo brevissimo (vix pollicari) compresso, spicae subglobosae glomerulis alternatim approximatis congestis.

In arenosis umbrosis inter frutices prope Pointwater, Perth, 18. Jul. 1839. *Herb. Preiss. No.* 1536.

12. **Xerotes rupestris** *Endl.* foliis semitereti-filiformibus laevibus strictis, (4-5-pollicaribus) glaucis, apice acutissimo tabescentibus, scapo brevissimo tereti (foliorum vaginis incluso) spicae (vix pollicaris) glomerulis approximatis alternis, bractee aequalibus.

In rupestribus clivuli Gordenup, inter montem Manypeak et Cape Riche, 17. Nov. 1840. *Herb. Preiss. No.* 1553.

13. **Xerotes spartea** *Endl.* foliis longissimis (bipedalibus) tereti-filiformibus, laevibus, strictis, apice tabescentibus, scapo abbreviato (bipollicari), spicae masculae verticillis remotiusculis, glomerulis bractea lanceolata, acuminata paullo longioribus.

In asperis jugi montium Darling's-range, Perth, rara, Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 1533.

14. **Xerotes turbinata** *Endl.* foliis teretibus laevibus scapo abbreviato squamis imbricatis tecto multoties longioribus, capituli turbinati bracteis exterioribus lanceolatis acuminatis margine pilosis, squarrosis, sterilibus, interioribus plumoso-multifidis, capsulis transversim rugosis.

In arenosis sylvae prope Bull's-creek, Perth, 17. Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 1540.

15. **Xerotes hastilis** *R.Br.* foliis linearibus cartilagineis planis margine calloso-incrassatis laevibus scapum teretem aequantibus, spica cylindrica elongata, composita, spiculis brevissimis imbricatis, capsulis transversim rugosis. *R. Brown prodr.* 263.

In lapidosis collium Konkoberup-hills, Kent, rara, 19. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1551.

Species dubia.

16. **Xerotes sericea** *Endl.* foliis linearibus, antice planis, dorso convexiusculis, sericeo pilosis, apice tabescentibus.

In confragosis districtus Grantham, 6. Mart. 1841. Herb. Preiss. No. 1542.

BAXTERIA *R.Br.*

Flores perfecti. *Perigonium* hexaphyllum, foliolis biserialis, aequalibus, cartilagineis, ungue brevi concavo, lamina longe lanceolata, canaliculata. *Stamina* sex, perigonii unguibus inserta; filamenta subulata, cornea: *antherae* biloculares, basi insertae, anguste lineares, longitudinaliter dehiscentes, persistentes. *Germen* liberum, triloculare, *gemmulae* in loculis solitariae, e basi anguli centralis adscendentes. *Stylus* filiformis, trigonus, persistens, stigma acutum. *Capsula* coriaceo-cartilaginea, obovata, subsexangularis, trilocularis, septifrage trivalvis, valvis 4 columnam septiferam trigonam nudantibus, demum bipartitis, endocarpio corneo, demum a basi soluto, apice adhaerente. *Semina* in loculis solitaria, ovata, adscendentia.

Herba Novae Hollandiae australis, subcaulis, radicibus fasciculatis. Folia linearia, acuta, elongata, pedalia et sesquipedalia, planiuscula, nervoso-striata, rigida, glaberrima, basibus dilatatis membranaceo-scariosis, multinerviis. Flores pedunculos laterales brevissimos terminantes, multi-bracteati, bractee imbricatae, foliaceae, e basi dilatata ovali concava lineari subulatae, perigonium aequantes.

1. **Baxteria australis** *R.Br.* in Hook. Lond. Journ. of Bot. II. 492. t. 13-15.

In planitie arenosa ad oppidulum Albany, Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1525.

KINGIACEAE.

KINGIA *R.Br.* Endl. gen. n. 1057.

1. **Kingia australis** *R.Br.* foliis elongato-linearibus subtriquetris, adultis glabris, margine infra medium scabris. *R. Brown* in *Kings Voy. of Disc.* II. 530. c. ic.

In arenosis haud longe ab urbecula Guildford, Perth, Apr. 1839. Herb. Preiss. No. 1526. „Caudex 10-25 pedalis“.

2. **Kingia argentea** *Preiss. msc.* foliis elongato-linearibus subtriquetris, undique pilis adpressis brevibus nitentibus tecta.

In glareoso-lapidoso prope montem Manypeak l. Tjilberup, Plantagenet. 23. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1527.

Planta cujus folia pauca, fortassis ea novella, et capitulum defloratum vidi, meo iudicio a praecedente non diversa. „Caudex 6-8 pedalis“.

DASYPOGON *R.Br.* Endl. gen. n. 1058.

(Auctore NEES ab ESENBECK.)

1. **Dasypogon bromeliifolius** *R.Br.* caule basi folioso papillis retro-adpressis subspongioso apice retrorsum setoso, foliis canaliculatis margine calloso-denticulatis superioribus minoribus distantibus. *R. Brown* prodr. 263. *Opp. ed. N. ab E.* III. 1. pag. 119. et in *Flind. Voy.* pag. 608. tab. 8. *R. et Schult. Syst. Veg.* VII. 1. pag. 250. n. 1.

Dasypogon glaber *La Harpe* in *Mém. de la Soc. d'hist. nat.* III. pag. 101. *R. et Schult.* l. c. pag. 281. n. 2. planta fructifera.

In arenosis circa oppidulum Perth, d. 20. Jan. 1839. ♀ Herb. Preiss. No. 1871.

Calyx fructus tubo glabro, laciniis asperulis setis paucis ex plurimis floris residuis. Petala lacero- et pubescenti-ciliolata. Folia inferiora subtus convexa, superiora carinata, carina denticulata.

2. **Dasypogon obliquifolius** *Lehm. msc.* caule ultra medium dense foliosus apice paucifolio pilis subpatulis tuberculis impositis hirsuto, foliis obliquis supra convexis margine subtiliter calloso-denticulatis, supremis multo minoribus distantibus.

In calcareis sylvae ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, d. 23. Nov. a. 1839 fructu jam delapso. ♀ Herb. Preiss. No. 1873.

Differt evidenter a *Dasypogone bromeliifolia* caule tenuiore, a basi ultra medium vaginis foliorum striatis amoene caesio-purpurascens imbricatis, foliis 3-pollicaribus tortis subverticalibus, supra convexis flavo-viridibus sulcatis, subtus planiusculis aut concavulis pallidioribus leniter striatis, marginis denticulis minoribus, tum caule haud papilloso-spongioso, sed tuberculis rarioribus hirsutiem fuscam patentem fulcientibus vestito. De flore et fructu nihil constat.

CALECTASIEAE.

CALECTASIA R.Br. Endl. gen. n. 1059.

Iconogr. tab. 38.

1. **Calectasia cyanea** R.Br. perigonii laciniis basi intus imberbibus limbo concolore. R. Brown prodr. pag. 264. et in Flind. Voy. II. 609. tab. 9.

In arenosis inter frutices prope oppidulum Perth, m. Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 1974.

2. **Calectasia grandiflora** Preiss. perigonii laciniis basi intus lanato-barbatis, limbo discolore.

In solo limoso - calculoso inter frutices ad latus montium Darling's - range, Perth, 1839. Herb. Preiss. No. 1975.

Fruticulus pedalis, erectus, ramulosus, viridi-flavus praecedente multo robustior. *Flores* purpurei nitidi in ramulorum apicibus sessiles, solitarii, majores quam in praecedente. *Perigonii* lacinae lanceolatae, acuminatae margine albo-membranaceae, diaphanae, subtus ad costam adpresse sericeae. *Filamenta* acuta. *Ovarium* basi albo-pilosum. (L. Preiss.)

ALISMACEAE.

(Auctore ST. ENDLICHER.)

TRIGLOCHIN Linn. Endl. gen. n. 1039.

1. **Triglochin decipiens** R.Br. foliis semiteretibus, stipula intrafoliacea indivisa, fructibus subrotundis, capsulis 3, dorso tricarinatis apice muticis, 3 sterilibus alternantibus dissepimentiformibus, stigmatibus destitutis. R. Brown prodr. 343.

a. *Forma minor.* In depressis arenosis ad Princess-Royal-Harbour, 29. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 2408.

b. *Forma major.* In arenosis exsiccatis ad fluvium Cygnorum, prope oppidulum Freemantle, 15. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 2404.

2. **Triglochin mucronatum** *R.Br.* foliis teretiusculis, spica pauciflora, fructibus subturbinatis, capsulis 3, apice mucrone divaricato, 3 sterilibus dissepimentiformibus. *R. Brown prodr.* 343.

In uliginosis planitiei prope Perth, 26. Dec. 1839. *Herb. Preiss.* No. 2402.

3. **Triglochin Neesii** *Endl.* foliis setaceo-filiformibus, scapo capillari uni-bifloro, fructibus subturbinatis, capsulis 3, apice mucrone divaricato, tribus sterilibus dissepimentiformibus.

In arenoso-conchyliosis prope lacum insulae Rottennest, 21. Aug. 1839. *Herb. Preiss.* No. 2417.

4. **Triglochin trichophorum** *Nees msc.* foliis filiformi-setaceis laxis culmo brevioribus, fructibus erecto-patentibus pedicellatis, oblongo-linearibus trisulcatis apice leviter angustatis.

In arenoso-conchyliosis humidis prope lacum insulae Rottennest, 20. Aug. 1839. *Herb. Preiss.* No. 2411.

Variat scapo unifloro.

Gracile, parvum, vix digitale. *Radix* fibrosa, rhizomate capillari repente. *Folia* omnia fere radicalia, vaginis membranaceis, ligula brevi, lamina plana at propter angustiam ad speciem capillari. *Scapus* obliquus *Eremophilam vernam* refert. *Flores* excepta varietate uniflora, 2-7 distantes pedunculo fructu longiori patulo. *Flos Triglochinis mucronati*, sepalis magis approximatis, acutis; exterioribus brevioribus latioribusque. *Carpella* aequalia, at interiora angustiora, plana, stigmatate papilliformi subcapitata, tanquam dissepimenta referentia; tria exteriora mono-(di?)-sperma, semine pendulo, barba seu coma filorum tenuissimorum, ab apice carpelli descendente, altera contra a basi adscendente extra semen impleta, apice subtriloba, lobulis lateralibus obtusis medio denticuliformi, sterilia carpella basi utrinque denticulo armata. ☉

Aliena quidem in hac specie videtur coma interna fructuum, sed cuncta reliqua cum genere congruunt. (N. ab E. msc.)

5. **Triglochin centrocarpum** *Hook.* foliis filiformibus, laxis basi membranaceo-dilatatis scapos floriferos aequantibus fructiferis brevioribus, spicis glomeratis, capsulis sessilibus strictis, clavato-pyramidatis, carpellis carinatis, angulis alatis in calcare obtusum basi excurrentibus. *Hook. Icon. plant. tab.* 728.

In arenosis aquosis planitiei prope Perth, d. 26. Sept. 1839. *Herb. Preiss.* No. 2409.

6. **Triglochin racemosum** *Endl.* foliis linearibus planis acuminatis scapo tereti brevioribus, racemo laxo, pedicellis bracteas acutas superantibus flore duplo longioribus strictis.

In depressis conchyliosis prope lacum insulae Rottennest. *Herb. Preiss.* No. 2407. Herba 4-6-pollicaris. Pedicelli 3 lin. longi. Fructus ignotus.

7. **Triglochin lineare** *Endl.* foliis late linearibus planis scapo tereti brevioribus, fructibus ovatis sulcatis hexacoccis, stigmatibus recurvis.

In depressis hieme inundatis ad fluvium Cygnorum, Middle Sevon., 1. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2406.

CYCNOGETON Endl. gen. suppl. I. 1664. 1.

1. **Cycnogeton Hügelii** Endl. foliis gramineis basi vaginante scapum amplectentibus, spica terminali stricta, laxiflora. Endl. in Annal. Wien. Mus. II. 210. Iconogr. t. 73.

In coenosis ad marginem lacus Kei-er-mulu v. Monger'slake, 2. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2405.

COMMELYNACEAE.

CARTONEMA R.Br. Endl. gen. n. 1035.

1. **Cartonema spicatum** R.Br. Herba perennis, pilosopubescens, caule simplici vel parum ramoso, foliis linearibus elongatis, amplexicaulibus, spica terminali multiflora. R. Brown prodr. pag. 271. Ferd. Bauer Illustr. plant. Nov. Holl. tab. 7.

In arenosis sylvae prope oppidulum Perth, 2. Dec. 1839. Herb. Preiss. No. 2228.

XYRIDEAE.

(Auctore ST. ENDLICHER.)

XYRIS Linn. Endl. gen. n. 1025.

a. EUXYRIS Endl. l. c.

1. **Xyris aemula** Endl. culmo filiformi tortili, foliisque filiformibus strictis laevibus, capituli ovati squamis quinquefarium imbricatis centro discoloribus, apice emarginatis inciso-laceris, infimis minoribus ramis.

In solo turfoso ad Princess-Royal-Harbour, 12. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2221.

b. POMATOXYRIS Endl. l. c.

2. **Xyris lanata** R.Br. culmo tereti laevi, basi subtorto superne stricto, foliis angusto-linearibus tortilibus, squa-

mis quinquefariis apice (nigro-) lanatis, inferioribus sensim minoribus vacis. R. Brown prodr. 257.

In subarenosis inter frutices ad Stirling's-terrace, Plantagenet, 11. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2222.

RESTIACEAE R.Br.

Endl. gen. pag. 120. Meissn. gen. pag. 406. (312.)

(Auctore NEES ab ESENBECK.)

DESMOCLADUS N. ab E.

(Restionis species R.Br.)

Spiculae diclines. *Masculae* bi-triflorae, *squamis* membranaceis, exterioribus majoribus mucronatis, interioribus perianthii foliolis similibus. *Perianthii* foliola 5, lanceolata, mucronata, mollia, carinata, subaequalia. Stamina tria, distincta. Antherae unilocellatae, peltatae, mucronatae.

Femineae distichae, *squamis* paucis coriaceis, terminali minore pistillum amplectente. *Perianthii* loco squama brevis rotundata a latere exteriori pistillum amplectens (Hypogynium). Rudimenta staminum nulla. *Stylus* filiformis cum apice inflato bulbiformi ovarii confluentis, basi incrassata; *stigma* simplex, villosopenicillatum. *Ovarium* (semimaturum) apice inflato-rostratum, uniovulatum, compressulum, altero latere magis gibboso. *Fructus* maturus ignotus.

Culmus simplex vaginis brevifoliis, hinc fissis ciliatis, ore barbatis. *Rami* axillares fasciculati, plures in fasciculo, simplices; alii steriles, longiores, subulati setacei in planta mascula saepe subsecundi, recurvi, alii breves, quin etiam brevissimi, in utroque sexu monostachyi.

Genus nulli cognitorum apprime conjunctum ad *Hypolaenam* attamen accedens, *Cladias*. et inprimis *Elynanthi* genus, *Restiaceis* adjungens. Affine *Loxocaryae* R.Br. sed non nisi ex longinquo.

1. **Desmocladius Brunonianus** N. ab E. culmis teretibus vaginis ore barbatis: ramis alternatim fasciculatis simplicissimis strictis: sterilibus subulatis: fertilibus monostachyis, amentis ovalibus paucifloris.

Restio fasciculatus R.Br. prodr. pag. 247. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 103. n. 21. Kunth. Enum. III. pag. 409. n. 80.?

In depressis arenosis ad fluvium Cygnorum. ♀ Herb. Preiss. No. 1723. ♀
In arenosis ad portum Princess Royal Harbour, m. Dec. 1840. Herb. Preiss. No. 1722. ♂

Rhizoma horizontale, flexuosum, tunicato-squamosum. *Culmi* semipedales, erecti, rhizomati articulo inserti, teretes, striati, scabri, basi incrassati; masculini breviores hirsuti. *Vaginae* latae, obtusae, emarginatae, striatae, pubescentes, scabrae hirsutaeve, ore et margine villosa-ciliatae, testaceae, altero latere fissae: supremae emarcidae: infimae foliolo 3 lin. longo, subulato supra planiusculo praeditae. *Ramuli* in angulis vaginarum superiorum 12-30, parum inaequales, ad summum pollicares, tetragono-compressi, pilis raris, patentibus inspersi, plerique steriles acuti, in ♀ recti, in mare homomallo-secundi; 3-6 apice, monostachyi, „breviores, recti; nonnulli vix lin.“ longi. *Spiculae* 2½-3 lin. longae, masculinae paullo minores ovali-oblongae, compressulae, testaceae, masculinae e squamis duabus exterioribus chartaceo-membranaceis ovatis obtusis cum mucrone carinatis scabris ore ciliatis et una alterave minori interiori perianthialibus foliolis simili constructa. *Perianthia* longitudine squamarum, interiora subconfluentia, omnia ad basin usque 5-partita, laciniis lanceolatis carinatis mucronatis mucronulo subbarbato basi attenuatis membranaceis testaceis. *Stamina* tria; antherae *Restionis* diu persistentes, e squamis 4, vaginis similibus, subcartilagineis distichis constantes, quarum tres inferiores steriles scabrae, subtiliter nervoso-striatae, ore ciliatae, folioloque brevi subulato mucronatae; tertia mutica, laevis, pistillum arcte amplectens. Apex rachillae scutatus. *Perianthium* revera nullum sed ejus loco squamula integra rotundata ovarium altero latere cingens, apice patula. *Ovarium* ovale, basi paullo angustius, in vertice abiens in bulbum conico-cylindricum, inflatum, pallidum. *Ovulum* unum, pendulum. *Stylus* filiformis, basi paullo crassior, glaber, stigma exsertum, simplex, hirsuto-plumosum.

RESTIO Linn.

Endl. gen. n. 1021. Meissn. gen. p. 408. (312.)

1. **Restio cinerascens** R.Br. culmis teretibus cinerascenscentibus, panicula simplici pauciflora: pedicellis tomentosis, amentis pendulis ovalibus, squamis ellipticis mucronulatis, perianthiis 6-glumis: foliolis acutiusculis. R.Br. Prodr. pag. 246. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 102. n. 11. Kunth. En. III. pag. 417. n. 70. (exclus. Syn. Sieb.)

In Australia meridionali occidentali. ♂ ♀. Herb. Preiss. No. 1704.

Foliola perianthii 5, lineari-lanceolata mucronata, interiora lineari-subspathulata mucronulo breviori. *Stamina* 13.

A *Restione nutante* R.Br. (*R. Brownii* Kth.) aliis characteribus longius distat, licet sepalis etiam 5. instructus sit.

2. **Restio tenellus** N. ab E. culmis compressiusculis cinerascenscentibus, vaginis apice late hyalinis, panicula simplici abbreviata pedunculis fasciculatis capillaribus floccoso-tomentosis fasciculo gemini (solitariove terminali) spiculis nutantibus ovalibus, squamis ovato-oblongis attenuatis apicem versus late hyalino-marginatis mucronatis, perianthiis 6-sepalis, sepalis linearibus acuminatis, tribus interioribus duplo brevioribus. ♂.

In solo turfoso planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet. Oct. 1840. ♂ ♀. Herb. Preiss. No. 1713.

Restioni cinerascenscenti subsimilis, differt *culmo* humiliore digito paullo altiore, graciliore, compressiusculo, *vaginis* minus arctis, ad ¼ ab apice

marginibusque convolutis, albo-hyalinis, apice obliquo obtuso, acumine setaceo fusco a parte inferiore in partem hyalinam intrante neque excurrente, *spiculis* paucioribus, quaternis in fasciculo, vel solo terminali umbelliformi, vel et altero inferiore. (*Vaginae bracteales* reliquis conformes.) *Sepala* tria linearia, uninervia acuminata nervo lutescente, tria (subinde duo tantummodo) interiora setacea, multo breviora. *Stamina* tria; antherae ovales unilocellatae.

3. **Restio setuligerus** *N. ab E.* culmis simplicibus teretibus subtilissimeque punctulatis panicula effusa laxa, ramis fasciculatis inaequalibus divisis, spiculis oblongis multifloris, squamis omnibus membranaceo-marginatis setaceo-acuminatis, perianthio ♂ pentasepalo sepalis acuminatis.

In Australia occidentali. ♂ 4. Herb. Preiss. No. 1707.

Differt a *Restione microstachyo* spiculis 12-20-floris squamis omnibus testaceis margine albo sursum latiori in acumen setiforme abeunte, perianthii masculi sepalis acuminatis (ovatis coloratis margine sparsim pubescentia crispa rara conspersis), a *R. tropico* ramis ramulisque haud alternis sed fasciculatis. Mas ignotum.

Culmus bipedalis flavescenti-canescens. *Vaginae* arcte, apice, ubi integrae sunt, in *laminam* hyalinam ovatam acutam adpressam abeuntes, in cujus basin nervus fortior cuspiduli ad instar intrat. An hae species *Thamnochorti* sunt generis?

4. **Restio clavatus** *R.Br.* culmis ramosis filiformibus, paniculis effusis tremulis: ramis parum divisis simplicibusve, amentis pendulis oblongo-clavatis, squamis ovatis acutiusculis, perianthiis 6-glumis. *R.Br. Prodr.* pag. 246. *Opp. ed. N. ab E. III. 1.* pag. 102. n. 15. *Kunth. En. III.* pag. 418. n. 74. ♂.

In solo turfoso-arenoso inter frutices planitiei prope urbiculum Albany, Plantagenet, m. Oct. a. 1840. ♂ 4. Herb. Preiss. No. 1703.

Glauescit vaginae apice lacero-membranaceae, subulato-acuminatae. *Pedicelli* tomentosi. *Spiculae* ovali-oblongae, basi quandoque angustiores, ferrugineae. *Perianthii* foliola rigidula, rufa, ovata, obtusa, apicem versus inaequaliter serrata. *Stamina* tria.

A *Restionibus cinerascete, microstachyo. tenello* etc. differt perianthio chartaceo nec membranaceo tenuissimoque.

5. **Restio (?) trisepalus** *N. ab E.* culmis simplicibus teretibus laevibus, panicula composita laxa, spiculis nutantibus subglobosis, squamis acuminatis hyalino-marginatis nitentibus, perianthio trisepalo, sepalis obovatis cum mucrone apicem versus dentatis. ♂.

In Australia meridionali-occidentali, cum *Leptocarpo cano*?, (cujus equidem ♂ esse negem). Herb. Preiss. No. 1705. ex parte.

Spiculae late ovatae, multiflorae. *Squamae* ovato-oblongae, acuminatae, nitide ferrugineae, hyalino-marginatae. *Perianthium* trisepalum, sepalis aequalibus obovatis, circa apicem dentatis, e sinu apicis brevimucronatis, basi carinaque coloratis, tenuibus, duobus lateralibus, uno postico. *Stamina* tria, sepalis opposita; antherae unilocellatae.

Habitus *Restionum ciliaris, tenelli et cinerascantis*. *Culmus* simplex, teres, lutescenti-glaucus, laevis. *Vaginae* apice membranaceae cum mucrone subinde phylloideo. *Panicula* composita, e binis (in nostris) con-

stans fasciculis ramorum. *Spiculae* pendulae sive nutantes, *Pisi* magnitudine.

Novi generis typus esse videtur.

6. **Restio microstachys** *R.Br.* Prodr. pag. 246. *Opp.* ed. N. ab *E.* pag. 102. n. 14. *Kunth.* En. III. pag. 417. n. 73.

α Squamis spiculae omnibus mucronatis, superioribus acutis, (spiculis scil. junioribus squamarum apice membranaceo, in inferioribus squamis emarginato cum mucronulo, in superioribus cum acumine confluyente adhuc superstite), culmo modo flavescente modo cinerascete.

Restio microstachys *R.Br.* l. c.

β Squamis spiculae, destructo jam apice membranaceo, plerisque, supremis exceptis, obtusiusculis, culmo ut in praecedente variabili.

Restio laxus *R.Br.* Prodr. l. c. n. 12.? *Restio cinerascens* *Sieb.* Agrostoth. n. 41. *Kunth.* En. III. pag. 417. n. 70. (culmo cinerascete).

Variet. *α* et *β* promiscuae in Australia meridionali-occidentali. ♂ ♀. *Herb.* Preiss. No. 1709. et 1726.

Panicula depressa, brevis, ramis laxis saepe pendulis. *Spiculae* fuscae, nitidulae, squamis apicem versus albo-marginatae. *Perianthii* sepalia, (3), 4-5, ovata, acutiuscula, tum tenera, apicem versus inaequaliter obtuse serrata; adultiora magis acutata, rufa; tenera hyalina. *Stamina* tria connectivo rufo. — Specimina, quae vidi, omnia longe ante anthesin decerpta sunt.

7. **Restio nitens** *N. ab E.* pubescens, culmis ramosis ramis curvatis compressis rigidulis, spiculis femineis in ramis racemosis subglobosis, squamis ovatis mucronatis margine pubescenti-ciliatis vaginisque rufo-castaneis nitidis his ore lanatis mucronatis, perianthii glabri sepalis quinque obtusiusculis, tribus exterioribus latioribus.

Fructu uredinoso, ovato, rostrato, rostro bidentato, utriculum *Caricis* optime referente.

In arenosis porrectis sylvae prope Bassandeen, Perth, m. Nov. a. 1839 et in arenosis ad fluvium Cygnorum supra oppidulum Perth. ♀ ♀. *Herb.* Preiss. No. 1696.

Statura et ramificatione similis *Caloropho denso* et *aspero*, sed structura longe distat et probabiliter proprii est generis. *Culmus* semipedalis, lanuginoso-canus, simplex, cum rhizomate vaginis arcte imbricatis mucronatis laevissimis nitidissimis rufo-testaceis vestitus, a medio ramosus. *Rami* alterni, subfastigiati, semicylindraco-compressi, flexuoso-curvi, rigiduli, pubescentes, vagina baseos et aliis ad ortum pedunculorum obconicis oblique truncatis brevi mucronatis castaneis, laevibus, nitidis basi pallidioribus ore lanatis. *Pedunculi* a basi fere rami alterni, aequidistantes, erecti, rigidi, pubescentes, monostachyi, spicula longiores. *Spiculae* globosae magnitudine vix *Pisi*, castaneo-nitidae; squamae ovatae, mucrone patulo, subinde muticae, margine ciliatae. *Perianthii* sepalia 3 exteriora, praesertim anticum, late ovalia; duo posteriora lanceolata, omnia chartaceo-membranacea obtusiuscula, margine nuda, flavescencia. *Fructus* morbosi squama paullo longiores, ovati, hinc planiusculi, a latere squamae gibbosi, fu-

sci, in rostrum bicornem attenuati, intus bilocellati. *Stylus* probabiliter bifidus est.

Pulvis niger, quo cavum ovarii repletur, constat e corpusculis subglobosis subtuberculatis, pressione in globulos multos simplices pellucidos, fusco-hyalinos arcte conglutinatos secedentibus, statu integro autem consideratis, tanquam episporio celluloso nucleum obscurum includente praeditis; est igitur species *Uredinis* Cord. Iconogr. II. pag. 2. v. pag. 3. et *Uredini utriculosae* (*Polygonorum*) Cord. Iconogr. II. t. 8. f. 12. et ejus quidem simillimae, nec fere nisi colore, forma minus regulari, et ovarii hoc morbo laborantis diversa structura distinguendae.

Uredo Restionum *N. ab E.* sporarum globulis subrotundis atris cavum ovarii indurescentis rostratique clausi implentibus.

In *Restionum* diversorum Novae Hollandiae v. c. *Restionis nitentis* ovario.

8. **Restio abortivus** *N. ab E.* culmis superne paniculatis ramis fastigiatis coarctatis, ramulis subflexuosis, vaginis mucronatis ore ciliatis, spicis (♂) alternis sessilibus pluribus abortivis minoribus, squamis ovatis mucronatis nudis, perianthiis sexglumibus.

In promontorio Cape Riche, m. Nov. a. 1840. ♀ Herb. Preiss. No. 1719 ♂

An *Restionis crispatis* var.? Differt ramis florentibus vix aut raro flexuosis, fasciculato-dichotomis, spiculis vere sessilibus, nonnullis autem in ramulis unifloris ad speciem pedunculatis, in longioribus ramulis autem una spicula alterave tantummodo perfecta, reliquis multo minoribus abortivis. *Culmus* teres, striatus, gracilis.

LEPYRODIA R.Br.

Meissn. gen. pag. 408. (312.?)

1. **Lepyrodia succedanea** *N. ab E.* culmis bifidis, ramo culmum fructiferum superante, vaginis strictis, spicae (paniculae angustae) compositae ramis inferioribus remotiusculis, perianthii (♀) rigiduli foliolis exterioribus paullo brevioribus. Mas latet.

In solo turfoso humido planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet, m. Oct. a. 1840. ♀ 4. Herb. Preiss. No. 1710.

Quod ad habitum accedit *Lepyrodiae strictae*, differt autem ramo (raro gemino) e vagina superiore orto culmi primordialis apicem superante, ramulis strictioribus, perianthiis rigidioribus basi fere cartilagineis. A *Lepyrodia gracili* differt culmo validiore, dicto modo ramificante, ramis paniculae validioribus, perianthio rigidiore. — Spiculae aliae solitariae, aliae geminae in pedicello brevi. Bractee 2-3 ad basin floris singuli, cuspidato-acuminatae, perianthio (♀) teneriores. Perianthii foliola ovata cuspidulata purpurea. Capsula omnino ut in *L. gracili*.

2. **Lepyrodia macra** *L. et N.* culmis simplicissimis flexuosis, vaginis foliatis strictis, spica simplici pauciflora.

Ad flumen Cygnorum, Drummond in herb. Lindl. ♂ ♀. Herb. Preiss. sine No.

Culmi spithamaei, curvati, subspongiosi, graciles. *Vaginae* herbaceae, striatae, truncatae, ore membranaceo, foliolo subulato obtuso 3-4-lineari.

erecto. *Vaginae* superiores basi solubiles ut in *Restionibus*, sed flores intra squamam bibracteolati. *Spica* tam mascula, quam feminea 3-4-flora. *Bracteae* communes oblongae, membranaceae. *Sepala* aequalia. *Flos masculus* (defloratus) angustior.

LYGINIA R.Br.

Endl. gen. n. 1017. Meissn. gen. pag. 408. (312.)

1. **Lyginia imberbis** R.Br. vaginis spathisque imberbibus, fasciculis masculis femineisque multifloris. R.Br. prodr. 1. pag. 248. Opp. ed. N. ab E. pag. 104. n. 1.

Schoenodum tenax Labill. tab. 229. f. 1.

Ad flumen Cygnorum, Drummond in herb. Lindl. Herb. Preiss. sine No.

Ovarium in stylum longum crassum apice solummodo trifidum attenuatum, monospermum videtur. *Perianthium* sexfidum, laciniis oblongo-lanceolatis muticis membranaceis aequalibus. *Bracteae* late ovatae, setaceo-mucronatae, fuscae.

Spica terminalis solitaria. Reliqua ut in caractere naturali a cl. Brown tradito. *Vaginae* aristato-cuspidatae. *Culmi* lutei, laeves, simplicissimi.

2. **Lyginia barbata** R.Br. vaginis spathisque ore barbatis, fasciculis masculis paucifloris, femineis unifloris subsolitariis. R.Br. Prodr. pag. 248. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 104. n. 2. Kunth. En. III. pag. 479. n. 2.

In arenosis sylvae prope oppidulum Perth et Freemantle, m. Mart. et Jan. a. 1839 ♀ et ♂ 4, Herb. Preiss. No. 1700.; in arenosis apertis sylvae haud longe a praedio rustico Bassandeen, m. Nov. a. 1839 ♂, No. 1701.; et in solo subturfoso-arenoso inter frutices planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet, m. Oct. a. 1840 ♂ ♀, No. 1699.

ANARTHRIA R.Br.

Endl. gen. n. 1016. Meissn. gen. pag. 408. (312.)

1. **Anarthria scabra** R.Br. culmis simplicissimis planis foliisque margine scabris, perianthii masculi foliolis linearibus: feminei interioribus minoribus. R.Br. Prodr. pag. 249. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 105. n. 1. Kunth. En. III. pag. 477. n. 1.

In solo humoso ad margines lacuum haud procul ab oppidulo Perth, m. Aug. a. 1840. 4 Herb. Preiss. No. 1764. (ex parte cum *Lepidospermate exaltato*). ♂ In solo subarenoso ad Stirling's-terrace, Plantagenet, m. Dec. a. 1840. ♀ 2, No. 1730.

Scapi et *folia* cartilagineo-denticulata. *Semina* lenticularia fusca, imperfecta autem candida.

2. **Anarthria laevis** R.Br. culmis simplicissimis planiusculis foliisque margine scabris, perianthii masculi foliolis ovali-lanceolatis: feminei subaequalibus. R.Br. Prodr. pag. 249. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 105. n. 2. Kunth. En. III. pag. 478. n. 2. 4

In solo limoso planitiei ad flumen Vasse-river, Sussex, ♂, m. Dec. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1813. In planitie arenosa prope oppidulum Albany, Plantagenet, m. Dec. a. 1840, No. 1814. ♂; in regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Nov. a. 1840, No. 1818.; et in solo turfoso humido inter frutices planitiei inter montes Melville et Elphinstone, Plantagenet, m. Oct. a. 1840 ♀, No. 1817.

β **Anarthria prolifera** R.Br. culmis prolifero-ramosis an-cipitibus foliosis, floribus subspicatis solitariisve. R.Br. Prodr. pag. 249. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 105. n. 5. Kunth. En. III. pag. 478. n. 5.

In solo turfoso-arenoso inter frutices densos ad Stirling's-terrace, Plantagenet, m. Sept. a. 1840. ♀ Herb. Preiss. No. 1727. ♂ ♀.

3. **Anarthria ischaemoides** N. ab E. culmis simplicis-simis compressis strictis altero latere subunisulcatis, fo-liisque culmo longioribus conformibus margine obtuso lae-vibus, spica racemosa simplici arcte contracta, sepalis lanceolatis exterioribus carinatis acuminatis, interioribus planis acutis in flore femineo brevioribus.

♂ *Anarthria pauciflora* R.Br. Prodr. pag. 249. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 105. n. 4.? Kunth. En. III. pag. 478. n. 4.?

♀ In solo turfoso inter frutices planitiei prope urbeculam Albany, Plantagenet, m. Oct. a. 1840. ♀ Herb. Preiss. No. 1815.

♂ In solo arenoso inter frutices densos ad Stirling's-terrace, Plantagenet, m. Sept. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1816.

Differt ab *A. gracili* R.Br. culmo rigidiore latiore (fere $\frac{1}{2}$ lin. lato, qui isti vix $\frac{1}{4}$ lin. latitudine est, simulque humiliore et rigido tum floribus (♀) multo majoribus (2 lin. altis).

Fem. culmus semipedalis, utrinque convexus hinc sulco medio obsoleto praeditus. *Folia* culmo (?) subduplo longiora, attenuata caeterum eidem persimilia. *Paniculae* rami 3 rhachi hinc planae adpressi, scabri. *Bracteae* communes jam defluxere. *Flores* (?) gemini, altero sessili, altero pedunculato, adpressi. *Pedunculi* scabri. *Bractea* propria brevis, ovata, setaceo-cuspidata. *Bracteola* floris sessilis una, pedicellati duae bracteae propriae similis. *Sepala* roseo-pallida; exteriora rigida, interiora tria $\frac{1}{3}$ breviora, teneriora. *Stigmata* tria, crassa, hirsuta. *Ovarium* conicum.

Mas. Culmus pedalis gracilior, altero latere plano, altero convexulo magis striato sulculoque medio notato. *Bracteae* lanceolatae, acuminatae panicula longiores. *Panicula* ut in femina paullo brevior minusque rigida. *Flores* lutescentes molliores; *sepala* aequalia. *Stamina* tria, brevia.

4. **Anarthria canaliculata** N. ab E. culmis simplicissimis compressis biconvexis subtilissime striatis folisque superioribus conformibus margine obtuso laevibus, foliis culmi infimis latere supero canaliculatis, spica racemosa divisa patula laxiuscula, sepalis (♂) lanceolatis acuminatis aequalibus omnibus carinatis. ♂ Femina ignota.

In subturfosis hieme inundatis planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet, m. Jan. a. 1841. ♀ Herb. Preiss. No. 1803.

Ab *Anarthria gracili* R.Br. differt statura multo firmiore, quam quae filo compararetur, floribus duplo majoribus ($2\frac{1}{4}$ lin. longis), foliis infimis culmi in pagina superiore sat profunde canaliculatis.

Partium configuratione et volumine *Anarthriae ischaemoidi* mari propinquior, differt inflorescentiae ramis subcompositis, magis patulis, floribus purpureo-fuscis, sepalis angustioribus omnino conformibus. Specimen nostrum defloratum est et mancum. *Culmus* sesquipedalis, biconvexus angulis obtusis, nullis sulci alterius lateris vestigiis. *Folia* culmo paullo longiora. *Stamina* tria.

5. **Anarthria grandiflora** L. et N. culmis simplicibus teretibus foliisque compressiusculis striatis, racemo composito denso oblongo, floribus masculis nutantibus bracteolis geminis, sepalis (♂) lanceolatis compresso-carinatis.

Ad flumen Cygnorum Drummond in herb. Lindl. Herb. Preiss. sine No.

Squamae bracteales longae, lanceolatae ♀ racemo minori contracto, ramis 2-3 minus divisis rigidis, floribus minoribus, sepalis rigidis.

6. **Anarthria humilis** N. ab E. culmis simplicibus teretibus filiformibus foliisque compressis striatis, racemo (♂) bi-trifloro, bracteolis singulis, sepalis lanceolatis obtuse carinatis.

Ad flumen Cygnorum Drummond in herb. Lindl. Herb. Preiss. sine No.

Culmus semipedalis. *Sepala* lanceolata, subulato-acuta, brunnea.

7. **Anarthria polyphylla** N. ab E. culmo dichotomo fastigiato ramis disticho-foliosis subulatis sulcatis pungentibus, pedunculis (♂) axillaribus bifloris foliis brevioribus, bracteolis singulis, sepalis lanceolatis acutis.

In asperis sylvae cis fluvium Gordon, Hay, m. Oct. 1840. 5 Herb. Preiss. No. 1691. ♂.

Fruticulus digito paullo longior, dense dichotomus, ramis fastigiatis vaginis equitantibus tectis, inferne foliis denudatis. *Folia* pollicaria et paullo longiora, teretia, incurvula, rigida, striato-sulcata apice sphacelato pungente. *Pedunculi* (♂) axillares, $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ poll. longi, rigiduli, striati, incurvi. *Flores* masculi duo in apice pedunculi approximati, inferior subsessilis, superior terminalis. *Bractea* inferior ovata-lanceolata, perianthio longior, membranacea; bracteola bractee opposita perianthio brevior, oblonga, superioris floris bractea brevis amplectens, bracteola aequae longa at angustior. *Sepala* aequalia, $1\frac{1}{4}$ lin. longa. *Stamina* generis.

LEPTOCARPUS R.Br.

Endl. gen. n. 1008. Meissn. gen. pag. 408. (312.)

1. **Leptocarpus simplex** R.Br. fasciculis alternis, femineis superioribus aggregatis, perianthii glumis lanceolatis, exterioribus mucronatis, culmo simplicissimo. R.Br. prodr. 1. pag. 250. Opp. ed. N. ab E. III. pag. 107. n. 2. (excl. syn. Willd.).

In insula Van Diemen. Gunn. in herb. Lindl. No. 969, ex parte.

Perianthii sepala exteriora oblongo-lanceolata, apice subulata, interiora lineari-oblonga submucronata. *Vaginae* culmi truncatae cum mucronulo brevissimo.

2. **Leptocarpus canus** *L. et N.* spiculis in glomerulos distantes laterales spicatos dispositis, squamis acuminatis, rhachilla pilosa, perianthii glumis omnibus margine lanatis, culmo simplicissimo cano.

Ad flumen Cygnorum, Drummond in herb. Lindl. ♀ in Australia meridionali-occidentali, m. Nov. a. 1840. ♀ Herb. Preiss. No. 1705. (cum *Restione* (?) *trisepto* ♂) et No. 1862.

Culmi 1-1½-pedales, teretes. *Vaginae* fuscae, mucronatae. *Spiculae* geminae-quaternae a medio culmo in glomerulos distantes agglomeratae, bractea setacea brevi vaginata cinerea suffultae. *Flores* bibracteolati. *Nux* oblonga, trigona, stylo trifido longe persistente.? *Mas.* *Spicis* subglobosis, inferioribus fasciculatis ternis quaternis fasciculis distantibus, superioribus solitariis alternis, squamis ovatis mucronatis ferrugineis perianthio longioribus, *perianthii* foliolis lanceolatis glabris margine subciliatis, *staminibus* 3.

3. **Leptocarpus ciliaris** *N. ab E.* spiculis masculis paniculatis, femineis spicato-compositis in paniculas (♂) l. spicas (♀) compositas breves distantes laterales dispositis, axillis maris nudis feminae longe barbatis, squamis sepalisque perianthii ovatis mucronato-acutatis, feminae margine minute ciliatis, culmo simplicissimo sericeo-cano stricto. ♂. ♀.

♀ In arenosis sublimosis editis sylvae supra oppidulum Guildford, Perth, m. Aug. a. 1839 et in limosis humidis ad radices jugi montium Darling's-range haud procul a Cataracta ad caput fl. Cygnorum, m. Aug. a. 1839, Herb. Preiss. No. 1702. ♂ solo limoso amniculi, prope oppidulum Guildford, Perth, m. Aug. a. 1839. No. 1712.

Radices fasciculatae, pallidae, flexuosae. *Culmi* recti, stricti, amoene cani. *Vaginae* et *bracteae* communes scariosae, membranaceae lacerae, in nostro aphyllae. *Spiculae* masculae oblongae, multiflorae et plurifariae in anthelas ½-¾ poll. longas laterales distantes dispositae brevissime pedicellatae, nutantes, spiculis *Restionis cinerascens* similes, at longiores, oblongo-ellipticae. *Squamae* ovatae, mucronatae laxae incumbentes. *Perianthii* sepala 6, ovali-lanceolata, acuta, tenera, aequalia, integerrima margine nuda. *Stamina* 3. *Antherae* unilocellatae. *Spiculae* parvae, e spiculis minoribus compositae, a medio culmo *spiculas*, sive paniculas breves spicatas, 3-6 lin. longas, distantes, erectas formant. *Bracteolae* omnium ordinum ovatae, mucronato-acuminatae, margine ciliolatae. *Rhachillae* circa axillas pilis longis densis barbatae. *Perianthii* foliola 6, aequalia, ovato-cuspidulata ciliolata, saepe tantummodo denticulato-ciliata. *Stigmata* tria, longa fere ad basin usque distincta. *Mas* latet.

Leptocarpus canus *Herb. Drummondiani* differt sepalis ad margines dense lanato-subtomentosis, in spicas parvas simplices agglomeratis, rhachilla haud barbata. *Leptocarpus scariosus* R.Br. magis etiam propinquus esse videtur, differre autem videtur perianthii foliolis interioribus margine dense lanatis; neque coloris meminit vir cl.

4. **Leptocarpus glaucus** *N. ab E.* fasciculis capituliformibus paniculatis, perianthii foliolis mucronatis nudis aequalibus, culmis simplicissimis teretiusculis, vaginis laxis mucronatis patulis. ♂.

In uliginosis ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, m. Oct. a. 1839. ♂ 4. Herb. Preiss. No. 1693.

Culmi bipedales et altiores, habitu fere *Lepyrodiae strictae*, laeves, inferne subcompressi, glauci, molles et admodum laeves. *Spathae* fuscae, oblongo-lanceolatae, totae dehiscentes et convolutae, obtusae cum mucronulo brevi. *Panicula* semipedalis, vaginis minoribus interstincta. Rami paniculae fasciculati, flexuosi, inferioribus magis distantibus. Fasciculi florum parvi subglobosi, nonnihil compressi, bi-quadriflori, bracteolis totidem ovatis setaceo-cuspidatis florum longitudine membranaceis cincti. *Bracteolae* propriae nullae. *Perianthii* foliola bracteis similia, aequalia, exteriorum duo lateralia unum posticum, haec longiore cuspidate; tria interiora convoluto-concava, *stamina* (immatura) involventia. *Antherae* unilocellatae.

Quod ad habitum sane simillimus *Lepyrodiae strictae*, sed hujus tamen generis maximeque conjunctus *Leptocarpo spathaceo*, ut, nisi comparandi speciminis perfectionis occasio deesset, marem hujus speciei esse nostram plantam dicerem. Judicent alii.

5. **Leptocarpus coangustatus** N. ab E. spiculis ♂ ovato-oblongis (juvenilibus lanceolatis) spicatis solitariisque in pedunculis fasciculato-paniculatis compressis flexuosis scabris, femineis decompositis spicatis pedunculis rectis, bracteolis squamisque acuminatis margine membranaceis, feminearum axillis barbatis, perianthii ♂ sepalis quinque lanceolatis mucronatis margine nudis, culmo tereti ramoso coarctato cinerascete, vaginis subulato-mucronatis.

Fem: Genus habitu *Leptocarpi* N. ab E. in Rest. Drummond.

♂ In depressis uliginosis prope Halfwayhouse, Darling's-range, m. Septembris a. 1839 (statu praemature). Herb. Preiss. No. 1708. ♀ In uliginosis planitie ad fluvium Cygnorum supra oppidulum Perth, m. Octobri a. 1839 (statu imperfecto, No. 1706. Drummond, in Herb. Lindl.

Culmi bipedales, tenuiter striati, ramosi ramis juvenilibus dense vaginatis. *Vaginae* ovaes, subventricosae cum mucronulo canescentes. *Paniculae* angustae rami ramorumque divisiones, si adsunt, alterni ramorum ramulus unus vel alter, compressus, serpentino flexus spiculis sessilibus alternis bracteatis 4-6 praeditus, cum 2-3 pedunculis monostachyis fasciculum format e sinu vaginae prodeuntem, cujusmodi fasciculi 3-6, parum distantes, ramum in paniculam transformant. *Spiculae* e squamis 12-16, fuscis, acuminatis hyalino-marginatis, in nostris valde juveniles, una, quae paulo perfectior erat, monstrabat *perianthium* hexasepalum, *stamina* tria antheris unilocellatis.

Adnot. An hujus loci *Restio tropicus* R.Br.? Congruunt sane multi characteres cum *Restione tropico* R.Br. Sed repugnat locus inter *Restionem laxum* et *microstachyn*, maximeque „panicula effusa“, quae nostro, quod ad ramos horumque ramificationem contracta et stricta, solis pedunculis plurifloris tenuibus flexuosisque. *Femina* statu praemature. — *Spiculae* e spiculis oblongis compositae parvae, imbricatae spicularum decompositam oblongam formantes bracteis bracteolisque conformibus ovatis cuspidatis rufo-castaneis nitidis apicem versus hyalino-marginatis interstinctae, racemum spiciformem compositum decompositumve angustum construunt. *Axillae* spicularum propriarum squamarumque earum prolixae barbatae. *Spiculae* propriae ipsi pauciflorae, subcompressae, squamis duabus inferioribus angustioribus setaceo-acuminatis sterilibus, reliquis (saepe 4) fertilibus tenerioribus. *Squamula*, hoc in statu, perianthialis una tantum apparet a latere rhachillae posita, obtusa, tenerrima. *Pistillum*: ovarium lanceolatum, glabrum; *stylus* brevis, aequalis; *stigmata* tria, praelonga, papillato-dentata,

purpurea. Igitur, nisi cum tempore succrescat perianthium, proprii generis esse, vix est, quod dubites.

Leptocarpus scariosus R.Br. quod ad spicularum feminearum structuram congruere videtur, sed *culmo* gaudet simplicissimo et *perianthio* probabiliter longe alio.

LEPIDOBOLUS N. ab E.

Perianthium pentasepalum, squama spicae tectum ebracteatum, mari et feminae conforme, sepalis lateralibus aequalibus nec dorso alatis.

Mas: *stamina* tria, libera, *antherae* unilocellatae, peracta anthesi contortae.

Femina: *stylus* simplex, *stigmatibus* longoflexuosis hirsutis. *Pericarpium* clausum, monospermum, styli basi mucronatum. *Culmi* e rhizomate repente squamoso simplices. *Vaginae*, hiantes, planae, obtusae cum mucronulo, deciduae, annulo baseos relicto. *Spiculae* paucae versus apicem culmi alternae, vel una tantum terminalis utriusque generis conformes, multiflorae, squamis deciduis femineae squamis inferioribus sterilibus.

1. *Lepidobolus Preissianus* N. ab E.

In arenosis clivuli Bellevue, ad flumen Cygnorum m. Augusto a. 1839 et in limoso-arenosis porrectis districtus York, m. Septembris a. 1839 ♂. ♀. 4. Herb. Preiss. No. 1755 et 1756 ex parte.

β *Volubilis*. humilis culmis sterilibus convoluto-contextis. ♂.

Var. β in districtu York cum No. 1756. Herb. Preiss. No. 1757.

Spiculae 1—3, ovatae. *Squamae* ovatae, aristato-cuspidatae, margine ciliatae, brunneae, basi pallidiores, siccae demum deciduae relicto axi subulato cicatricoso 4—5 lin. longo stramineo. *Vagina* bractealis culmeis similis. *Perianthium* utriusque sexus 2 lin. longum, 5 - sepalum, sepalis oblongo-lanceolatis mucronatis apice subbarbatis pallidis. *Stylus* longus, stigmatibus autem brevior. *Culmi* pedales, graciles, teretes, flavescens, nodis circiter sex, facile dissolubilibus. *Vaginae* a basi patentes et planae, chartaceae, semiunciales, 2 lin. latae, obtusae cum mucrone, planae, roseo-purpurascens apice pallidiore, deciduae.

Quod ad habitum e longinquo accedit *Elegiae* sed nullo alio caractere. Inter *Restiones* affines sunt *R. laxus* et *R. australis*.

CALOROPHUS Labill. Fl. Nov. Holl. II.

p. 7. t. 228.

Flores dioeci. *Perianthium* sexvalve, basi nudum. *Flos masculus* squama spiculae multiflorae singula suffultus. *Stamina* tria. *Antherae* unilocellatae.

Flos femineus in spicula inferne sterili terminalis. *Squamae* spiculae paucae (3—4), trifariae. *Stylus* brevis, conicus, persistens; *stigmata* tria subpersistencia, recurvata. *Nux* trigona, laevis, stylo brevimucronata et stigmatibus retortis saepe coronata, basi perianthio brevi obtuso membranaceo cincta.

Inflorescentia spicata, amentiformis. Spicula mascula sub omnibus squamis florifera, feminea uniflora, disco hypogyno infra florem terminalem obsoleto cupulari.

Genus proximum *Hypolaenae* generi, a quo imprimis differt: *spiculis* masculis paucifloris *squamis* plerumque trifariis et *nuce* trigona mucronata, nec ovata aut subglobosa obtusa aut stylo cadente umbilicata, tum habitu laxiusculo, vaginis foliifero-mucronatis, ramulis flexuosis, fructiferis apice saepe nudis uncinatisque.

1. **Calorophus densus** L. et N. culmis subspongiosis apice ramosis fastigiatis, ramulis subcompressis curvatis apice spiciferis, spicis masculis approximatis (paucis) sessilibus oblongo-lanceolatis, bractearum mucrone recto squamis cuspidatis fuscis vaginisque nudis, his mucronatis, perianthiis (♂) 6-glumibus.

Ad flumen Cygnorum legit cl. Preiss. (Drummond. in herb. Lindl.)

2. **Calorophus asper** N. ab E. culmis tuberculato-asperis a medio ramosis, ramis fastigiatis parce divisis teretibus curvatis ramulisque dissite spiculiferis, spiculis (masculis) sessilibus ovalibus, squamis cuspidatis, testaceis vaginisque nudis, bracteis mucronatis mucrone recto, perianthiis 6-phyllis.

In arenosis colliculosis umbrosis sylvae haud longe ab ore maris (Perth) m. Septembri a. 1839 et in glareosis sylvae inter praedia rustica v. cl. Barker et Lennard m. Aprili a. 1840. Herb. Preiss. No. 1716 (ex parte, cum *Hypolaena pubescente*) et 1694. ♂.

Simillima sane species *Calorophus denso* L. et N. in *Rest. Drummond.* sed nimis differt spicularum distributio, forma et color. *Rhizoma* nodosum. *Culmi* $\frac{1}{2}$ -1 pedem alti, tuberculis crebris exasperati, serpentino-curvati, juveniles pubescenti-cani. *Vaginae* ovatae, striatae, foliolo lineari-subulato canaliculato 4-1 (infimis 6-8) lin. longo, erecto-patente praeditae, scabrae, testaceae, inferiores fuscae laceraeque. *Spiculae* in ramulis apice saepe recurvis 3-4, distantes, laterales (fere ut in *Calorophus elongato*), pluriflorae, testaceae, ovals aut subglobosae, bracteam cum ejus foliolo subaequantes. *Squamae* ovatae obtusae retusaeve, mucrone viridi subulato scabro recto, in inferioribus longiori; harum costa basin versus trinervi, reliquarum simplex. *Perianthii* foliola 6, ovali-oblonga obtusa, plana, laevia, tenuia, pallide testacea. *Stamina* 3, structurae generis.

3. **Calorophus crispatus** N. ab E. culmis supra paniculatis: ramulis flexuosis, amentis alternis subpedunculatis, squamis ovatis mucronulatis nudis, perianthiis (masculis) 6-glumibus.

Restio crispatus R.Br. Prodr. p. 246. Opp. ed. N. ab E. III. 1. p. 102. n. 18. Kunth. En. III. p. 418. n. 77.

In rupestribus umbrosis sylvae ad latus septentrionale montis Melville, Plantagenet, m. Octobri a. 1840. ♂. fragmentum cum *Calorophus flexuoso*. 4. Herb. Preiss. No. 1717. (ex parte!)

A *Calorophus flexuoso* differt: culmo superne ramoso neque ramis patentibus subdiviso, spiculis masculis lanceolatis 2-3. versus apices ramulorum approximatis. perianthii laciniis oblongis obtusis purpureis margine pallidis.

4. **Calorophus flexuosus** N. ab E. culmis ramosissimis: ramis flexuosis, vaginis mucronatis ore lanatis nunc ramulis sterilibus fasciculatis brevissimis, amentis (masculis) terminalibus paucifloris, squamis mucronatis, perianthiis sexglumis.

Restio flexuosus. R.Br. Prodr. p. 247. Opp. ed. N. ab E. III. 1. p. 103. n. 25. Kunth. En. III. p. 420. n. 82.

In rupestribus umbrosis sylvae ad latus septentrionale montis Melville, Plantagenet, m. Octobri a. 1840 ♂, et in calcareis inter frutices densos ad tergum montis Baldhead m. Octobri a. 1840. ♂. ♀. Herb. Preiss. No. 1717. (cum fragmento *C. crispatis*). In limoso-calculosis districtus York m. Septembri a. 1839 (surculus juvenilis) No. 1695.

Culmus et rami laxi. *Vaginae* laxae, patentes, ore longe lanatae. *Spiculae* masculae subglobosae, 4-5-florae, pleraeque solitariae ramuli apice ultra protenso recurvo, subinde et binae, alternae, sessiles. *Perianthii* (♂) foliola lanceolato-lineararia, acuta, pallida apiceve purpurascens.

5. **Calorophus elongatus** N. ab E. culmis filiformibus elongatis ramosis laevibus ramulisque dissite spiculiferis, spiculis sessilibus oblongo-ovalibus, squamis cuspidatis pallidis, vaginis ore lanatis, bracteis mucronatis mucrone reflexo, perianthiis hexaphyllis.

Calorophus elongatus N. ab E. in Rest. Drummond. Labill. Nov. Holl. II. p. 7. t. 228. fig. 1. ♂.

Restio lateriflorus R.Br. Prodr. p. 247. Opp. ed. N. ab E. III. 1. p. 103. n. 22. Kunth. En. III. p. 419. n. 81. Sieb. Agrostoth. n. 39* (♀).

Leptocarpus squarrosus N. ab E. in Sieb. Agrostoth. n. 38. ♂.

In humidis umbrosisque inter frutices densos ad amniculum inter oppidula Perth et Guildford, m. Septembri a. 1839 et in solo turfoso inter frutices planitiei prope urbiculum Albany, Plantagenet, m. Octobri a. 1840. ♂. ♀. Herb. Preiss. No. 1711 et 1714.

Culmo filiformi, pluripedali glabro et *bractearum* mucronibus reflexo-squarrosis a confinis facili opera dignoscitur.

♀ *Restio lateriflorus* N. ab E. in Sieb. Agrostoth. n. 29. et R.Br. Prodr. I. p. 247. Opp. ed. N. ab E. I. c.

Van Diemen insula. Gunn in herb. Lindl. No. 599.

Culmi filiformes, longissimi. *Vaginae* ore barbatae. *Spiculae* laterales, distantes, bractea setacea, basi vaginante ciliata cinctae, subsessiles. *Squamae* propriae tres, membranaceae, ciliatae, obtusae. *Sepala* sex, tenuissime membranacea, subrotundo-ovalia, obtusa, aequalia, ciliata, nucem aequantia eidemque arcte adpressa. *Nux* trigona, laevis, stigmatibus tribus in spiras revolutis persistentibus coronata.

Haec vera femina est *Calorophi elongatae* Labill. Quam tanquam plantam femineam in eadem tabula pinxit Labillardière (fig. 2) ad *Hypolaenam exsulcam* R.Br. aut aliam hujus generis speciem pertinere puto.

*) Apud Kunth. I. c. p. 420 pro Sieb. Agrostoth. n. 42. legendum est n. 39.

HYPOLAENA R.Br.

Endl. gen. n. 1011. Meisn. gen. pag. 409. (313.)

Flores dioici. *Perianthium* 6-glume. Masculina, *spicula* multiflora, squamis plurifariis. Feminea: *stylus* bi-tripartitus, deciduus. *Nux* ossea ovata aut subglobosa, vertice nudo aut umbilicato, monosperma, basi perianthio breviori cincta, spicam imbricatam unifloram terminans.

1. **Hypolaena pubescens** N. ab E. culmis ramosis: ramis alternis paniculatis pubescentibus curvatis, amentis terminalibus subaggregatis squamisque ovatis obtusiusculis nudis perianthiis (masculis) 6-glumis subaequalibus.

Restio pubescens R.Br. Prodr. p. 247. Opp. ed. N. ab E. III. 1. p. 103. n. 40. Kunth. En. IV. p. 419. n. 79. ♂.

Femina nunc primum inventa.

β **Hirsuta**, culmo vaginisque hirsutis ♂.

In arenosis porrectis (?) sylvae haud procul a „Bassandeen“ ad fluvium Cygnorum m. Martio a. 1839. 4. Herb. Preiss. No. 1720. ♂. ♀. — Var. β in depressis arenosis umbrosis sylvae supra oppidum Perth m. Septembri a. 1839, et in arenosis colliculosis umbrosis sylvae haud longe ab ora maris (Perth) m. Septembri a. 1839, tum in limoso-calculosis prope fontem Preiss'swell, Darling's-range, m. Jan. 1840 (surculos juveniles) No. 1721 ♂ et 1716 ♂ (cum *Caloropho aspero* ♂) et 1692.

Planta ♀. masculinae similis ramis longioribus, *spiculis* in ramulis semper solitariis, oblongis, squamis exterioribus foliaceo-aristatis. *Perianthii* foliola 6-ovata, obtusa, fructu duplo breviora. *Nux* subglobosa, a stylo cadente umbilicata. *Perianthia* maris 3-4-phylla inveni. *Antherae* emisso polline cordatae.

2. **Hypolaena fastigiata** R.Br. culmis ramosis teretibus striatis cinerascentibus: ramis subfastigiatis, perianthii fructiferi glumis ovalibus. R.Br. Prodr. p. 251. Opp. ed. N. ab E. III. 1. p. 107. n. 1. Kunth. En. III. p. 451. n. 1.

In solo subturfoso - arenoso inter frutices planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet, m. Octobri a. 1840. ♀ c. fr. mat. Herb. Preiss. No. 1724.

3. **Hypolaena exsulca** R.Br. culmis ramosis teretibus laevibus: ramis alternis simplicissimis, perianthii fructiferi glumis subrotundis. R.Br. l. c. n. 2. Kunth. l. c. n. 2.

In subarenosis ad flumen Cygnorum ♀. Herb. Preiss. No. 1783.

Differt a *H. fastigiata* culmo graciliore lutescente vix striato, squamis femineis tenerioribus lanceolatis, exterioribus incanis interioribus rufescentibus. *Perianthii* ♀ foliola exigua.

Bulbus styli pateriformis crassus.

DESVAUXIEAE. Bartl.

CENTROLEPIDEAE Desv. in Ann. des 'sc. nat.
13. p. 36. Endl. gen. p. 119. Meisn.
p. 406. (313).

(Auctore NEES ab ESENBECK.)

DESVAUXIA R.Br.

CENTROLEPIS Labill. Nov. Holl. p. 7. t. 1. Endl.
gen. n. 1006. Meissn. gen. 409. (313).

1. **Desvauxia strigosa R.Br.** receptaculo paleaceo, stylis 5-7 distinctis, spathis mucronatis: valvulis ambabus hispidis, scapo adulto glabro foliis hispidulis triplo longiori. R.Br. Prodr. p. 252. Opp. ed. N. ab E. III. 1. p. 108. n. 3.
Centrolepis strigosa Kunth. En. III. p. 489. n. 3. Guillem. ic. lithogr. t. 17.

In insula Mistaken-island, m. Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1737. ☉.

2. **Desvauxia brevifolia N. ab E.** receptaculo nudo, flosculis inferioribus (involucris inferioris) femineis superioris masculis, stylis 3-4 basi connatis, involucris foliolis laevibus mucrone valvula sua duplo brevioris, foliis capillari-setaceis scapo glabro 4-5-plo brevioribus.

In rupestribus umbrosis summi montis Clarence, Plantagenet; m. Septembri a. 1840. Herb. Preiss. N. 1749. ☉.

Culmi 1-1½ poll. longi, cyanei, quidam in caespitulo brevissimi capitulo igitur inter vaginas radicales sessili. *Folia* 4-5 lin. longa, dense caespitosa.

Differt a *Desvauxia Drummondii* statura minore, foliis brevioribus et firmioribus *capitulo* haud oblongo sed ovali oblongo, denique *flosculis* (an semper?) 4 superioribus a vagina involucrali superiori collectis, masculis, illis autem, quae inferiori respondent involucro, femineis, ovarii 2-4 conjunctis. ☉.

3. **Desvauxia Drummondii N. ab E.** receptaculo subpaleaceo, stylis 6-7 basi connatis, valvulis asperis infra apicem obtusum aristato-mucronatis mucrone valvula sua duplo breviori, foliis capillaribus scabris scapo glabro duplo brevioribus. Nees ab Esenb. in Cyp. Drummond.

Ad flumen Cygnorum. Drummond. in Herb. Lindl. In depressis arenosis umbrosis inter frutices sylvae ad flumen Cygnorum supra oppidulum Perth, m. Septembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1809.

D. Billardieri R.Br. affinis.

4. **Desvauxia aristata** *R.Br.* receptaculo epaleaceo, stylis 6-7 basi connatis, spathis elongato-aristatis glabris, scapo ancipiti *R.Br.* l. c. p. 253 (109). n. 9. Kunth. l. c. p. 490. n. 10.

In subarenosis depressis ad Princess-Royal-Harbour, m. Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1731.

Flosculi bivalves, valvula inferiore duplo minore, quare potius inter paleigeras referenda. ☉.

5. **Desvauxia alepyroides** *N. ab E.* receptaculo epaleaceo, stylis 4 per paria connatis, spatha utraque foliacea aristata glabra, scapo ancipiti capillari.

In arenosis aquaticis planitiei ad radices jugi montani Darling's-range, Perth, m. Oct. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1739.

Culmi tenerrimi, gracillimi, foliis duabus ad basin brevissimis. *Styli* intra valvulas duo, bifidi, cruribus introrsum ut in *Alepyro* dentatis, ovariis 2 uno super altero positus. *Stamen* unum. *Valvulae* membranaceae; exterior brevior setaceo-cuspidata; interior oblonga mutica.

Media quasi est species inter *Alepyrum* et *Desvauxiam*. ☉.

ALEPYRUM *R.Br.*

Endl. gen. n. 1005. Meisn. gen. p. 409 (313).

1. **Alepyrum polygynum** *R.Br.* spathis unifloris: valvula exteriori foliaceo-aristata, ovariis 15-18, scapo foliis 2-3-plove longiori. *R.Br.* Prodr. pag. 253. Opp. ed. *N. ab E.* III. 1. pag. 109. n. 1.

Alepyrum polygamum Kunth. En. III. pag. 488. n. 1.

In insula Mistaken-island m. Oct. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1736. ☉.

APHELIA *R.Br.*

Endl. gen. n. 1004. Meisn. gen. p. 409 (313).

1. **Aphelia cyperoides** *R.Br.* Prodr. pag. 252. Opp. ed. Nees ab *E.* III. pag. 108. Kunth. En. III. pag. 488. Desv. in Ann. des sciences nat. 1828. 1. pag. 42. t. 2. f. 1.

In turfoso-humidis aridisque circa urbem Albany, Plantagenet, m. Oct. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1748. ☉.

CYPERACEAE DC.

(Auctore NEES ab ESENBECK.)

Tribus 1. **CYPEREAE** N. ab E. Synops. Cyp. in Schlechtend. Linn. IX. 3. pag. 282.

PYCREUS P. de B. N. ab E. l. c. n. 5.

1. **Pycreus laevigatus** N. ab E. spiculis aggregatis ad speciem lateralibus lanceolatis compresso-teretibus multifloris, squamis ovatis obtusis arctissime imbricatis albidis griseo-variis, caryopsi rhachillae parallela subrotunda planoconvexa, involucri diphylli foliolo altero stricto culmum continuante, altero infero spiculas aequante aut superante, culmis seriatis teretiusculis apice trigonis strictis basi vaginatis, vagina microphylla (*mucronata*), radice horizontali repente.

Cyperus laevigatus Mey. in Nov. Act. Ac. Nat. Cur. 19. Suppl. 1. pag. 54. n. 2. et in Linn. X. pag. 130.

Cyperus laevigatus Linn. Mant. pag. 179.

Cyperus mucronatus a Kunth. En. II. pag. 17. (ex parte).

Cyperus junciformis Desf. Fl. Atl.

In turfosis udis ad flumen Cygnorum prope oppidulum Freemantle, Dec. a. 1838. Herb. Preiss. No. 1808. 4.

CYPERUS Palis. de Beauv. N. ab E. in Linn. IX. 3. pag. 283. n. 6.

1. **Cyperus carinatus** R.Br. umbella 6-7-radiata composita capitulis polystachyis, spiculis linearibus incisis 12-14-floris, squamis nervosis acutiusculis, involucri triphylli foliolis 2 umbellam superantibus, foliis carinatis culmo obtusangulo laevi brevioribus. Brown Prodr. pag. 216. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 72. n. 27. Kunth. En. II. pag. 112. n. 337.

In ossa prope oppidulum Perth, Januar. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1812. 4.

Radii capitulis densissimis, saepe compositis, radiolis brevissimis latentibus. *Squamae* 7-9-nerves, in disco virescentes limbo purpureo. *Rhachela* alata alis apice dehiscentibus. *Stamina* 3. *Caryopsis* oblonga.

Tribus 3. **CHRYSITRICHEAE** N. ab E. gen. Cyp. in Schlechtend. Linn. IX. pag. 288. Endl. gen. pag. 115.

CHORIZANDRA R.Br.

Meisn. gen. pag. 413. (316.) Lepironia div. b
Endl. gen. pag. 116.

1. **Chorizandra enodis** N. ab E. capitulo globoso exserto, culmo aequali striato.

In planitie hieme inundata ad fluvium Cygnorum supra oppidulum Perth, Oct. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1867; et in lapidosis subhumidis ad fluvium Canning, Perth, Jul. 1839. No. 1869. (juvenilis.)

Quod ad inflorescentiam et squamarum structuram eximie congruit cum *Chorizandra sphaerocephala*, differt autem maxime culmo graciliore, striato, septis extrinsecus vix nec nisi certo lucis incedentis reflexu conspicuis, crebris, textura autem interna deoperta extemplo in conspectum venientibus.

Rhizoma repens, validum. *Culmi* pedales et paulo altiores, graciles, rigidi, (Junci glauci). *Folium* ad basin culmi setaceum modo $\frac{1}{2}$ -1 poll. longum, modo culmum aequans, vagina hiante striata brevius. Fasciculorum, culmis interjectorum folia 3-4 poll. longa. *Culmi* apex 3-4 poll. longus, setaceo-attenuatus, incurvus rectusve. *Squamae* fusco-sanguineae basi lutescentes, spathulatae, setaceo-cuspidatae, apice ciliato-dentatae, (pleraeque potius apice bidentatae, dente medio longiori setaceo), scabrae.

Tribus 4. **SCIRPEAE** N. ab E. Cyp. l. c. pag. 289.

ISOLEPIS R.Br. N. ab E. n. 28. Endl. gen. n. 999. Meisn. gen. pag. 44. (314, 371).

1. **Isolepis nodosa** R.Br. culmis tereti-compressis basi vaginatis, capitulo globoso polystachyo, spiculis ovatis, squamis obtusis, stylis tripartitis. Brown Prodr. pag. 221. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 77. n. 2. Kunth. En. II. pag. 199. n. 40.

In arenosis oppiduli Freemantle, Dec. a. 1838. Herb. Preiss. No. 1870. 4.

2. **Isolepis cartilaginea** R.Br. culmis setaceis basi unifoliis, spiculis 1-3 ovatis culmi apicem subaequantibus brevioribusve, squamis cartilagineis carinatis nervosis triandris, caryopsibus triquetris scabriusculis. Brown Prodr. pag. 222. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 78. n. 7.

Var. *a* R.Br. spiculis pluribus: *, culmi apicem aequantibus; *β*, culmi apice brevioribus.

Var. *β* **Parva**, monostachya, spiculae squamis sanguineofascis. ☉.

Var. α^* in limosis hieme inundatis supra oppidulum Perth, Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1746; — in depressis arenosis umbrosis inter frutices sylvae ad flumen Cygnorum supra oppidulum Perth, Sept. a. 1839. No. 1741.

Var. α^{**} in arenosis conchyliosis humidis prope lacum insulae Rottennest, Aug. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1738 et 1742.

Var. β in arenosis humidis planitiei supra oppidulum Perth, Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1744.

Var. β^* **Pauciflora**; spicula solitaria pauciflora apice culmi multo brevior. ☉.

In arenosis conchyliosis humidis prope lacum insulae Rottennest, Aug. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1740.

Var. α^{**} ludit spiculis majoribus et minoribus. Forma illa macrostachya in ripa lacus insulae Rottennest, Aug. a. 1839 lecta est.

Var. γ **Elatior**, N. ab E. in Cyp. Drummond.

In arenosis aquaticis planitiei supra oppidulum Perth, Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1743.

γ^* **Minor**, rigidula, ad α^{**} accedens.

In rupium cavernulis humidis ad latus orientale montis Melville, Plantagenet, Oct. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1750.

3. **Isolepis notata** N. ab E. culmis setaceis compressis basi unifoliis folio culmum subaequante, spiculis 1-2 ovatis involucre brevioribus, squamis cartilagineis carinatis mucronatis nervoso-striatis plaga laterali sanguinea notatis monandris, caryopsi ovali-trigona subtilissime punctulato-scabra.

In arenosis ad Princess Royal Harbour, Sept. a. 1840. et in clivulo arenoso prope oppidulum Albany, Plantagenet, Sept. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1751 et 1752.

Similis sane *I. cartilagineae*, sed differre videtur suis characteribus. *Radix* fibrosa. *Culmi* dense caespitosi, triquetro-compressi, 1-1½ poll. alti. *Vagina* pallida aut purpurascens, folio culmum aequante eove breviori complicato-setaceo. *Involucri* foliolum e basi ovata squamae spiculae simillima complicato-setaceum, spiculis triplo longius; alterum, si adest, squamam alterius spiculae infimam, paulo longiori mucronulo, refert. *Spiculae* vel una vel duae, ovatae, acute triangulae. *Squamae* alte carinatae, ovatae, obtusae cum mucronulo brevi herbaceo incurvo, pallidae, pleraeque macula ovata sanguinea utriusque lateris pictae, nervoso-striatae. *Stamen* unum, semel 2 vidi stamina. *Caryopsis* fulva, vix tuberculata, opaca, obtusa, oblongo-ovalis, lateribus convexis angulis obtusis. ☉.

4. **Isolepis riparia** R.Br. culmis setaceis basi vaginatis, spica solitaria ovata pauciflora, squamis obtusis subrotundis triandris, caryopsi obtuse triquetra scabriuscula. Brown Prodr. pag. 222. ed. N. ab E. III. 1. pag. 78. n. 9. Kunth. En. pag. 218. n. 101.

In regionibus interioribus Australiae occidentalis. Herb. Preiss. No. 1729.

Variat spiculis geminis.

Radix repens. *Culmi* digitales-pedales, graciles. *Vagina* truncata, purpurea. *Spicula*, ubi singula, squamam involucralem ex oblonga basi subulato-acutam aequans. *Squamae* spiculae membranaceae, pallidae, halitu purpureo afflatae, nervo carinali viridi, reliquis omnibus obsoletis subtilissimis. *Stamina* 3. ☉.

5. **Isolepis congrua** N. ab E. culmis setaceis basi monophyllis, spica ovata, vel solitaria vel geminis apicem involucrem aequantibus, squamis carinatis obtusiusculis enervibus, caryopsi triquetra punctulata.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis. Nov. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1747.

Propius ad *I. propinquam* accedit, quam ad *I. ripariam*, quae vagina baseos aphylla squamisque obtusissimis differt. Ab *I. propinqua* differt gracilitate culmi et caryopsi haud laevi, sed punctulis exiguis asperula.

Culmus fere capillaris, 1-2 poll. longus. Folium culmo brevius, in aliis brevissimum. ☉.

SCIRPUS Linn. N. ab E. Synops. Cyp. l. c. pag. 293. n. 39. Endl. gen. n. 1000. Subdiv. b α .

1. **Scirpus Meyenii** N. ab E. culmo tereti glauco, involucre communi pungente recto semitereti basi subcanaliculato cyma multo breviori, partialibus aphyllis scariosis, cyma laxe patente decomposita ramis elongatis, spiculis subcylindricis (conicisve) geminis ternisve, squamis glabris emarginatis mucronatis fimbriatis, stylo bifido.

Cyperus Meyenii in Nov. Act. Ac. N. C. Suppl. 1. pag. 92.

Var. β spiculis conicis paulo minoribus.

Scirpus lacustris R.Br. Prodr. p. 223. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 79. n. 1.

Ad fluvium Cygnorum prope oppidulum Perth, Jan. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1872.

Adnot. In diagnosi l. c. addito post „spiculis... subcylindricis“ *conicisve* omnino congruit noster cum *Sandvicensi*. Anthelae rami recurvo-nutantes in omnibus, color culmi glaucescens. Siccando culmus veluti angulatus evadit; satis tamen a *Scirpo Duvalii* recedit. 2.

Tribus 6. CLADIEAE N. ab E. in Linn. l. c. pag. 297.

BAUMEA Gaudich. N. ab E. l. c. pag. 297. n. 56. Meisn. gen. pag. 412. (315).

1. **Baumea Preissii** N. ab E. panicula ramosissima laxa, ramis gracilibus ramulisque curvatis, spiculis solitariis-ternis pedicellatis unifloris, ovario oblongo, stylo basi conico scabro, fructu....

In coenosis, ad radices montis Elizamountain, Perth et in monte Lehmann, Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1735.

Persimilis *Baumeae mariscoidi* Gaud. diversa attamen videtur panicula laxiori ramis ramulisque curvatis. *Squamae* 5, 4ta fertilis, triandra; quinta minor, scabra. 4.

CHAPELLIERA N. ab E. l. c. p̄ag. 298. n. 57.

Meisn. gen. pag. 412. (315.)

Adde Characteri:

Spiculae 1-3-florae, e squamis paucis (4-6) carinatis plerisque margine ciliatis*). Folia culmea brevia, vaginis longis apice dehiscentibus. Culmi teretes vel ancipites. Panicula vaginis membranaceis mucronatis bracteata. Caryopsis trigona, bulbo styli connato mucronulato coronata.

Adnot. *Cladia Brauniana* pleraque, v. c. *articulata*, *teretifolia*, *glomerata*, *juncea*, *pauciflora*, probabiliter et *Cl. schoenoides*, hujus sunt generis.

1. **Chapelliera riparia** N. ab E. culmo ancipiti altero latere magis gibbo subangulato, foliis culmeis brevissimis ensiformibus acutis, radicalibus elongatis compressis biconvexis, spiculis unifloris.

Ad margines lacus Ke-cer-mu-lu vel Monger'slake, Perth, Oct. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1778.

Habitu omnino accedit *Chapellierae iridifoliae*, sed panicula ei est laxior, spiculis subgeminis ternisve pedicellatis, squamis 4, tribus subaequalibus ovatis ciliatis, tertia fertili, quarta minore vel sterili vel mascula. Flos ut in *Chapelliera arthrophylla*. Stolones squamati. 4.

2. **Chapelliera laxa** N. ab E. culmo compresso altero latere plano altero leniter convexo striatoque, foliis lineari-ensiformibus altero latere convexis altero concavis, radicalibus culmum subaequantibus caulinis brevioribus, paniculae ramis elongatis filiformibus, spiculis bifloris.

In depressis subturfosis umbrosis prope praedium rusticum cl. Andrews ad fluvium Cygnorum, Sept. a. 1839. et in solo turfoso humido planitiei prope urbiculam Albany, Plantagenet, Oct. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1763.

Culmi 1½-2 pedes alti, graciles, rhizomate repente articulato, basi diphylli, in medio, ubi panicula incipit, monophylli. *Vaginae* pallidae. *Folium* radicale infimum pedale et longius, proximum radicale semipedale. *Folium* florale inferius breve, ensiformi-falcatum, incurvum. *Panicula* semipedalis, probabiliter et pedalis, laxa. *Rami* terni-quaterni, inaequales, vagina plus duplo longiores, a medio aut ultra divisi. *Ramuli* bi-trimeri. *Spiculae* 1½ lin. longae, purpurascens, ternae brevipedicellatae, squamis quinque, 2 et 4-floriferis, hac abortiva, omnibus parce breviterque ciliatis. *Stamina* 3; filamenta persistentia. *Antherae* lineari-oblongae, mucronatae.

*) Dispositio squamarum et bracteolarum spiculae in universum haec est: Spiculis ternis bracteolae sunt duae, squamis latiores, spiculis lateralibus a latere incumbentes. Squamae sunt distichae: inferior paulo minor et sterilis; secunda fertilis ♀; tertia isti aequalis, sterilis; quarta minor, flore hermaphrodito saepe abortivo; quinta inclusa exigua.

Stylus trifidus, filiformis, basi breviter expansa in ovarium transiens, glabra. 4.

3. **Chapelliera arthropphylla** N. ab E. culmo tereti, foliis vagina brevioribus subulatis articulatis.

In arenosis calcareisque haud procul ab ora maritima, Perth, a. 1840. Herb. Preiss. No. 1781. (ex parte cum *Elynantho grandifloro*.)

Stolones horizontales, arrhizi, dense squamosi. *Culmus* bipedalis, teres, striatus; basi vaginis 1-2 acutis laxis, vaginis 1-2 mediis folio semipollicari subulato confertim articulato-noduloso. *Panicula* semipedalis, vaginis aphyllis mucronatis apice dehiscens interstincta, contracta. Ramorum fasciculi distantes. *Spiculae* in ramis simili modo dispositae, in pedunculis seu ramulis glomerato-terni, bracteis ovatis mucronatis membranaceis tectae, ovatae, distichae compressae. *Squamae* 5, ovatae, mucronatae, purpureae, margine, sicuti bracteolae, ciliatae, extrema et penultima fertiles. *Perigynium* nullum. *Stamina* tria. *Stylus* trifidus, basi incrassata persistente glabra cum ovario oblongo confluens. 4.

ELYNANTHUS P. de B. Nees ab Esenb. l. c. pag. 298. n. 58. Endl. gen. n. 977. (ex parte.) Meisn. gen. pag. 412. (315.)

Characteri adde:

Spiculae polygamae subinde et hermaphroditae, bi-triflorae.

1. **Elynanthus octandrus** N. ab E. culmo compresso-triquetro bulboso, foliis omnibus radicalibus linearibus planis, spiculis spicatis, spicis axillaribus fasciculatis solitariisve, inferioribus remotis superioribus in spicam terminalem compositam coeuntibus, bracteis foliaceis culmi apicem superantibus, rostro fructus ovato-crasso. Nees ab E. in *Cyper*. Drummond.

Ad flumen Cygnorum, Drummond in Herb. Lindl. — In arenosis planitiei montis Elizamountain, Perth, Junio a. 1839. Herb. Preiss. No. 1770., et in arenosis inter frutices densos ad flumen Cygnorum haud procul a civitate Freemantle, Dec. a. 1838. cum *Lepidospermate gladiato* id. sub No. 1771.

Rhizoma repens, crassum. *Culmi* pedales, striati. *Folia* omnia radicalia culmum fere aequantia, 1½ lin. lata, lineari-acuminata, rigida, carinata, striata, glabra, vaginis in bulbum compactis. *Bractee* a medio culmo vagina brevi fusca, foliis similes, decrescentes. Ex singulae bractee vagina surgunt spicae aliquot breves, oblongae, e spiculis 2-6 imbricatis sessilibus constantes, subinde et una sola, vel et pedunculi monostachyi reliquis adjecti; inferiores spicae exserte pedunculatae. *Spiculae* 5-6 lin. longae, oblongo-lanceolatae, compressiusculae. *Squamae* 6-7, subdistichae, carinatae, rigidulae, atro-sanguineae, basi albae membranaceae; inferior brevis ovata acuta, tum duae lanceolatae subulato-acuminatae steriles, dein 2-3 oblongo-lanceolatae acutae fertiles, ultima denique minor lineari-lanceolata sterilis. *Perigynium* nullum. *Stamina* sex-octo, filamentis persistentibus elongatis. *Stylus* trifidus cruribus longis, basi tumens in bulbum ovatum discretum persistentem. *Caryopsis* obovata, utrinque convexa, pallide fusca nitida, costulis aliquot argutis tenuissimis praedita, basi contracta, apice bulbo styli residuo vertice vix duplo angustiori ovato-oblongo obtuse mucronato pallido scabriusculo plus dimidiae longitudinis caryopseos rostrata.

Distincti generis esse videtur, cum *Lampocarya* R.Br. haud consociandi propter squamas spiculae distichas et formam rostri. 4.

2. ***Elynanthus obtusifolius*** N. ab *E.* culmo triangulari compresso bi-trisulco bulboso, foliis omnibus radicalibus linearibus planis obtusissimis, spiculis lanceolatis bifloris triandris fasciculatim geminis ternisve incluse pedunculatis spicam terminalem simplicem referentibus, bracteis foliaceis foliis conformibus culmo brevioribus vaginis coloratis.

Ad portum Princess-Royal-Harbour, m. Nov. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1824.

Species parva, habitu quidem *Elynanthi octandri*, sed distinctissima omnium foliis bracteisque obtusissimis, lineam fere latis, rigidis, glabris, apice subustulatis. *Culmus* poll. 6 altus, rigidulus, irregulariter compresso-obtusangulus, laevis, basi bulbosus, truncis sanguineis. *Spica* terminalis a medio culmo inchoans, linearis. *Vaginae* bracteales, laxiusculae, basi tubulosae, sanguineae, apice hinc fissae, albo-membranaceae, bilobae. *Folium* florale infimum 6 lin. longum, reliqua brevissima. *Spicula* altera fere sessilis subinclusa, altera (vel et binae) pedicello brevi compresso praeditae, exsertae. *Squamae* 5, angustae, tenerae, roseo-pallidae, lanceolatae, acutae, subtilissime puberulae, praesertim in margine; 1, 2 et 5 steriles, 3-4 fertiles. *Stamina* tria, capillaria, aetate crispa: antheris fulvis, mucronatis. Lehm. Pugill. VIII. pag. 56.

3. ***Elynanthus revolutus*** N. ab *E.* culmo trigono-compresso bulboso folioso, foliis linearibus acuminatis marginibus revolutis, vagina oblique-truncata integra, ligula nulla, spiculis glomerato-fasciculatis fasciculis subcorymboso-terminalibus bracteatis, involucrio-di-triphylo foliis simili basi dilatata brevioribus bifloris octo-enneandris.

In locis glareosis inter frutices montis Greenmountain, Perth, 4. Herb. Preiss. No. 1769.

Planta pedalis et altior, culmo stricto, in medio unifolio. *Folium* (statu sicco) revoluta-filiformia singulari caractere, a basi 2 lin. lata, ubi non convoluta, attenuata, subtus carinata, sulcata et scabriuscula, supra laevia, canaliculata. *Spiculae* in fasciculo decomposito irregulari subglomerato, foliis 2-3, 6-3 pollices longis e basi oblonga lineari-attenuatis (bractealibus communibus) involucriatae, bracteolisque ovalibus cuspidatis interstinctae, confertae, lanceolatae, fusco-testaceae. *Squamae* 7, inferiores oblongo-lanceolatae, acuminatae, laeves, rigidulae, uninerves, 3-4 inferiores et 1-2 supremae, quae minores et angustiores, steriles, mediae fertiles. *Stamina* 8-9, filamentis longis: antheris linearibus mucronatis. *Ovarium* ovale, bulbo styli trifidi distincto. Lehm. l. c. pag. 55.

4. ***Elynanthus grandiflorus*** N. ab *E.* culmo trigono bulboso folioso, foliis linearibus planis acuminatis subtus scabris vagina truncata ligula nulla, spiculis fasciculato-paniculatis axillaribus paniculam foliosam angustam formantibus lanceolatis 3-4-floris triandris.

In locis arenosis calcareisque haud procul ab ora maritima, Perth. Herb. Preiss. No. 1781.

Speciosissima hujus generis species. *Rhizoma* repens, nodoso-articulatum. *Culmus* 2-pedalis et altior, firmus, trigonus, a basi foliosus. *Vaginae* internodiis breviores, herbaceae, ore truncato fusco-marginato. *Folia* alti-

tudine culmi, 5-6 lin. lata, attenuata, striata, supra laevia subtus magisque in margine scabra, viridia, sicca marginibus revoluta. *Pedunculi* citra medium iam inchoantes, axillares, fasciculato-bini-terni, vagina longiores, inaequales: alter saepe monostachyus, alter tristachyus, tertius major magisque compositus. *Vaginae* bracteales setaceo-mucronatae. *Spiculae* pallide ferrugineae, 9 lin. longae, lanceolatae, scabrae, e squamis 10-12 constantes. *Squamae* infimae duae setaceo-cuspidatae, minimae, reliquae longitudine crescentes ad 7 vel 8 usque steriles, acumine decrescente; fertiles 6-7 lin. longae, obtusae, carinatae, basi leniter nervoso-striatae. *Stamina* tria: antheris linearibus, longis, mucronatis. *Stylus* tri- (subinde bi-) fidus, basi bulbosus, bulbo ovato, ovario concretus. *Perigynium* nullum. *Squama* extrema parva, linearis, sterilis. Lehm. l. c.

5. **Elynanthus sculptus** N. ab E. culmo compresso folioso basi aequali, foliis lineari-canaliculatis, vaginis imberbibus ligula brevi lata truncata, panicula elongata e spiculis axillaribus fasciculatis brevipedicellatis lanceolato-acuminatis rectis 1-3-floris triandris, nucibus subglobosis tricostatis lateribus convexis porcato-striatis.

In rupestribus montis Elphinstone, Plantagenet, cum *Chaetospira nana*, (fragmentum). Herb. Preiss. No. 1753; in solo limoso-arenoso inter frutices, prope Woodbridge, Aug. 1839; idem No. 1811 et 1863; in limosis hieme inundatis supra oppidulum Perth, Sept. a. 1839. No. 1745.

Fructus est *Fimbristylis*, sed reliqua fere *Schoeni*. *Squamae* 2 inferiores spiculae 2½ lin. longae reliquis multo minores, 3-5 fertiles basi rachillam flexuosam amplectentes; color squamarum amoenus, carina viridis est, latera plerumque rubent, margines albescunt. *Stamina* 3. *Stylus* bifidus. — *Culmus* 1-4 poll. longus, geniculatus subinde tenerrimus. *Folia* lineari-angusta, obtusa, canaliculata, laevia. *Spiculae* in specimine Woodbridgensi uniflorae; in specimine Elphinstonensi una triflora fructifera observabatur. 4.

6. **Elynanthus australis** N. ab E. culmis filiformibus laevibus foliosis, vaginis truncatis folio convoluto-filiformi basi rigide ciliolato multo brevioribus, ligula brevissima truncata, spiculis spicato-fasciculatis in paniculae angustae ramis quinque singulisve bractea brevioribus dispositis lineari-lanceolatis unifloris, squamis sterilibus bracteolisque setaceo-cuspidatis.

Ad flumen Cygnorum Novae Hollandiae Drummond. in Herb. Lindl. — In glareosis sterilibus sylvae inter praedia rustica cl. Barker et Lennard, York, Apr. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1789.

Affinis *Elynantho cuspidato* et *gracili*, at caractere suo distinctus.

Folia stricta, aliquot ad basin, unum in medio plerumque angulo sterili, reliqua bractealia, approximata, decrescentia. *Vaginae* purpurascens, radicales, fissae. *Ligula* ut in gramineis multis lineari-transversa, denticulata. *Spiculae* angustae, appressae, binae ternae in fasciculo quoque. *Bracteae* margine albo-membranaceae. *Squamae* 7-8: infimae majores, cuspidatae; penultima fertilis; extrema minor, tenera, obtusa. *Stamina* tria, antheris linearibus mucronatis. *Ovarium* subcylindricum; stylus bifidus bulbo crasso. *Perigynium* nullum. *Caryopsis* oblonga, obtuse-trigona, bulbo styli brevi ovato subconfluente mucronulato-coronata. 4.

Advers. *Schoenus sparteus* R.Br. *Elynanthi* generis esse videtur, differt a nostro vaginis ore barbatis et spiculis falcatis.

ISOSCHOENUS N. ab E. in Cyp. Drummond. (Schoeni specc. R.Br.)

Spicula disticha, squamis aequalibus, inferioribus fertilibus superioribus sterilibus. *Rhachilla* fructus curvato-sinuata. *Perigynium* nullum. *Stamina* tria, filamentis persistentibus, peracta anthesi elongatis. *Stylus* basi aequali deciduus, trifidus. *Caryopsis* nucamentacea, sculpta, a flexuris rhachillae diutius retenta.

Inflorescentia capitata aut per fasciculos axillares anguste paniculata. *Culmi* ad basin aut etiam superiora versus foliosi. *Vaginae* ligulatae. *Folia* angusta, filiformia aut canaliculato-filiformia.

1. **Isoschoenus flavus** N. ab E. capitulo terminali, culmo rigido subangulato scabro basi foliato foliis filiformibus canaliculatis scabris breviori, squamis spiculae margine nudis, oris vaginalum involueroque basi subciliatis. N. ab E. l. c.

Ad flumen Cygnorum, Drummond. in herb. Lindl. In rupestribus jugi montium Darling's-range, Sept. 1841. Herb. Preiss. No. 1774.

Culmus bi-tripollicaris, quam pro altitudine crassior. *Vaginae* baseos fuscae. Ad basin culmi folia duo, culmo longiora, curvata, margine scaberima. *Vaginae* lobulo oppositifolio membranaceo ovato obtuso. *Capitulum* 3-6-stachyum. *Involucrum* folia duo, basi dilatata membranacea; alterum capitulo multo-alterum eodem paulo longius. *Spiculae* oblongae, ovaes, nitidae, luteae, glabrae. *Squamae* 4; inferior sterilis, ovata, acuta, reliquae oblongo-lanceolatae, acutiusculae, complicatae: 2 et 3 fertiles, 4 sterilis genitalia tertiae involvens. *Rhachilla* curva. *Stamina* 3. *Stylus* profunde trifidus, basi angusta secedens. *Caryopsis* immatura turbinata, scabriuscula. *Perigonium* nullum. 4.

2. **Isoschoenus barbatus** N. ab E. capitulo terminali, culmo subangulato scabro basi foliato foliis filiformibus canaliculatis margine scabris, breviori, squamis spiculae margine lanatis, involuero basi orisque vaginalum barbatis.

In arenosis ad portum Princess-Royal-Harbour, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1732.

Similis *Isoschoeno flavo*, sed differt squamis capituli (angustioris oblongi) rufescentibus nec flavis, margineque albo-lanatis, tum basi involucri diphylli conspicue albo-barbata. — Altitudo plantae 2-4 poll. 2.

3. **Isoschoenus Armeria** N. ab E. culmo simplici tereti aphylo asperulo, foliolo subulato baseos vagina imberbi multo brevior, spiculis marginatis margine nudis 3-4-floris. N. ab E. in plant. Drummond.

Ad flumen Cygnorum. Drummond. in Herb. Lindl. — In glareosis iugi montium Darling's-range, solo limoso-calcareo inter frutices, Aug. et Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1775.

Planta *Chaetosporae curvifoliae* habitu.

Spiculae oblongae, distichae, e squamis quatuor carinatis mucronatis sanguineo-fuscis fertilibus, et binis plerumque minoribus ad basin instructae. *Rhachilla* arcuatim flexa, fructus in sinibus suis continens. *Stamina* tria. antheris mucronatis. *Stylus* aequalis, tri-raro bifidus, ab ovario cadens. *Fructus* nucamentaceus, obovato-gibbus, oblique truncatus, a latere rhachillae sulco planiusculo notatus, scaber, pallidus. *Perigonium* nullum omnino.

Culmi $\frac{1}{2}$ -pedales, caespitosi, stricti, simplices, teretes, tuberculis minutissimis asperuli, basi vaginis multis obtusis nitide fuscis vestiti; extrema vagina longior, arcta, striata, oblique transiens in folium unguiculare subulatum canaliculatum marginibus scabris. *Capitulum* terminale, di-polystachyum, castaneo-fuscum. *Involucrum* diphyllum, foliolis e basi membranacea ovata fusca in folium subulatum excurrentibus, altero capitulum aequante altero breviori. *Squamae* lanceolatae, acuminatae, rigidae, nervo carinulatae, fuscae, apicem versus glutinoso-asperae. 4.

Variat culmo monostachyo.

SCHOENUS Linn. N. ab E. Cyp. l. c. pag. 298. n. 60. Endl. gen. n. 978. Meisn. gen. pag. 412. (315.)

SCHOENOPSIS Lestiboud. N. ab E. l. c. pag. 59.

1. **Schoenus flaviculmis** N. ab E. culmo simplici compresso exsulco apicem versus scabro, vaginis baseos ore barbatis folio filiformi canaliculato scabro brevioribus. spiculis fasciculato-binis ternis (solitariisve) rectis sessilibus 1-2 floris, fasciculo involuero basi barbato breviori, squamis margine nudis, rhachillae apice globoso-incrassato fructifero recurvo.

In districtu Sussex, Dec. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1795.

Similis *Schoeno fasciculari* cuidam graciliori, differt autem, praeter characteres in diagnosi relatos: culmo graciliori (scabro) laete flavo, spicularum squamis inferioribus 4 a prima eaque minima cito crescentibus, tum 5 et 6 fertilibus, sexta sterili rhachillam hinc capitato-incrassatam hispidulam amplectente. — *Caryopsis* obovato-pyriformis, asperula, costis angularibus 3. laevibus angustis, vertice papillato. *Stamina* tria. *Stylus* trifidus. 4.

2. **Schoenus globifer** N. ab E. culmo simplici compresso exsulco laevi recto, vaginis baseos imberbibus foliolo setaceo canaliculato laevi saepe longioribus, spiculis bifloris paucis in fasciculo solitario terminali involuero basi imberbi breviori, squamis acutis margine nudis, rhachillae apice globoso-incrassato hirto, fructifero recurvo.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1797.

A *Schoeno flaviculmi*, cui, quod ad rhachillam apice globosam attinet, similis est: differt: culmo laevi, glauco, vaginis ore, squamis spiculae margine nudis; a *Schoeno imberbi* R.Br. capitulo oligostachyo et spiculis duplo majoribus, tum culmo compresso, laevi nec sulcato. — *Vaginae* baseos 1-3, basi fuscae, nitentes. *Spiculae* brevi-pedicellatae, 3-5, fuscae, oblongo-lanceolatae; squamis 1-4 steriles, 5, 6 fertiles, 7 minor et sterilis globum rhachillae amplectens. *Stamina* 3; filamenta basi dilatata. *Ovarium* trigono-obovatum, rubrum. *Stylus* trifidus, rufus. 4.

3. **Schoenus cygneus** N. ab E. culmo simplici compresso exsulco laevi incurvo, vaginis baseos barbatis foliolo setaceo canaliculato laevi saepe longioribus, spiculis bifloris paucis in fasciculo solitario terminali involuero basi

imberbi breviori, squamis acuminatis margine nudis, rhachillae apice globoso-incrassato hirto, fructifero recurvo.

Chaetospora Cygnea N. ab E. in Cyp. Drummond.

In arenosis ad radices jugi montium Darling's-range, Perth, Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1776.

Similis quidem *Schoeno globulifero*, et forsan ejus est varietas, sed distinximus propter *culmos* incurvos nec rectos, *vaginas* barbatae et *squamis fructiferas* magis acuminatas. Glauescit, ut ille. *Fructus* juveniles, ut illi, rubri; maturi obovati, trigoni transversim undato-rugosi, cinerascens angulis calloso-costatis obscurioribus. 4.

Adnot. Squamulae 2-3 breves, ovarium circumdantes, e rhachilla oriuntur neque cum fructu immaturo cadunt, sed in rhachilla resident, quo comotus, inter *Schoenos* retuli, revera autem tres istae species, hic enumeratae, simili structura praeditae, proprium sibi poscunt genus.

4. **Schoenus fascicularis** N. ab E. culmo simplici compressiusculo exsulco laevi aphylo, vaginis baseos ore barbatis foliolo sublongioribus, spiculis fasciculatim confertis brevissime pedicellatis falcatis subtrifloris, fasciculis geminis, squamis margine ciliatis.

Ad flumen Cygnorum, Drummond in Herb. Lindl. In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Nov. a. 1840.; in calciosis sylvae haud procul a praedio rustico Bassandeen, Perth, Nov. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1802; in depressis umbrosis sylvae ad flumen Cygnorum supra oppidulum Perth, Sept. a. 1839. Ibid.

Proximus *Schoeno brevifolio*, a quo differt: *inflorescentia* plerumque breviori, vix pollicari, ex paucis fasciculis approximatis conflata, rarius iisdem paulo magis discretis, *spiculis* falcatis subsessilibus et *vaginae* foliiferae ore, saltem in juventute, barbato nec nudo. Structura spiculae omnino ut apud Kunthium (En. II. p. 335.) sub *Sch. brevifolio*, sed *squamae* 4-6 inferiores vacuae, 5, 6 et 7 fertiles. — *Vaginae* ad basin culmi 1-3, foliiferae.

MACHAERINA Vahl. N. ab E. Cyp. l. c. n. 62. Endl. gen. n. 971. Meisn. gen. pag. 412. (315.)

In caractere generico l. c. emendes:

Spiculae 1-pluriflorae. *Perigynii* setae 3-6, graciles. *Stylus* 2-3-fidus.

1. **Machaerina resinosa** N. ab E. glauca, culmo ancipiti foliisque basi glutinosis, spicis supradecompositis, ramis apice recurvis, spiculis bifloris.

In rimis rupium ad tergum montis Currie, York, Apr. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1759.

Culmus rigidus, ut folium radicale anceps marginibus laevibus lateribus convexis. *Vaginae* fuscae, nitidae, resinosae, resina amara. *Bractea* inferior foliacea, acutissima, inflorescentia duplo brevior, basi (ut omnes reliquae) nigro-fusca. *Bracteae* superiores et bracteolae breves, mucronatae. *Spiculae* geminae, bracteola inclusae, lanceolatae, viridulae cum purpura, squamis 5-6 obtusis rigidulis, quarum duae inferiores et terminales steriles, subinde sola penultima fertilis. *Perigynii* setae 3-6, ovario saepe longiores,

graciles, piloso-scabrae. *Stamina* 3, antheris mucronatis. *Stylus* bi-trifidus, basi conico-incrassatus; ovarium obovato-oblongum, glabrum, vel compressum (ubi stylus est bifidus) vel trigonum. 4. Lehm. Pugill. VIII. pag. 54.

TRICOSTULARIA N. ab E.

Spicula disticha, squamis inferioribus paucis (3-5) minoribus sterilibus, 4 vel 6 mascula, 5-7 hermaphrodita, vel 8 sterili. Perigynii setae tres, breves, cum staminibus alternae discoque utriusque communi calloso insertae. Stylus trifidus, basi aequalis, deciduus. Nux subtrigona, tricostata, mutica (scabra).

Inflorescentia spicata, spica simplici, terminali, bracteata. *Spiculae* solitariae vel geminae, sessilibus. *Squamae* membranaceae, uninerves. *Bracteae* nervoso-striatae, aphyllae.

Culmi simplices, basi vaginati, vagina microphylla. Habitus Restionis.

1. **Tricostularia compressa** N. ab E. culmo compresso hinc convexiusculo, bracteis spicae laxiusculae spiculas vix aequantibus, squamis spiculae ovatis plerisque obtusis.

In locis rupestribus collium Konkoberup-Hills. Herb. Preiss. No. 1800.

Culmi semipedales, filiformes, stricti, caespitosi e rhizomate repente. *Vagina* baseos arcta, pallide fusca, mucronulo brevissimo concolore. *Spica* 4-5 lin. longa, e spiculis paucis imbricatis e bractearum 3-4 angulis geminatim prodeuntibus, sessilibus constans. *Bracteae* lanceolatae, obtusiusculae, striatae, basi vaginantes; inferioris vagina longior. *Spiculae* 2 lin. longae, oblongae. *Squamae* 5, enerves, carinatae, laeves, ovatae, obtusae, apice sanguineae, basi carinaque basin versus pallidae, omnes distichae; 1-3 minores, steriles earumque prior acuta; 4 major, mascula, staminibus tribus basi annulo conjunctis setulisque totidem alternantibus; 5 ejusdem magnitudinis hermaphrodita. *Stamina* tria: filamentis persistentibus, 1 anticum, 2 postica ad latus posita. *Setulae* tres, staminibus alternae, planae, nonnullae serratura una alterave praeditae, subulato-acutae, pallidae, fructu duplo breviores. *Stylus* filiformis, stigmatibus trifido, deciduus. *Caryopsis* obovata, trigona, setulis brevissimis scabra, vertice minute papillata, basi angustior annuloque tori, cui stamina cum setulis perigynii (staminibus imperfectis) inserta, cincta, ad angulos callo filiformi sursum evanescente marginata. Lehm. l. c. pag. 51.

2. **Tricostularia Neesi** Lehm. culmo filiformi tereti, bracteis spicae dense imbricatae squamulisque oblongo-lanceolatis.

In Australia occidentali. 4. Herb. Preiss. No. 1728. Colitur in hort. bot. Hamburg.

Culmus pedalis et altior, gracilis, enodis, laevis, flavescens basi vaginatus. *Spica* terminalis, 6 lin. longa, obconica, densa, tota testacea. *Bracteae* oblongo-lanceolatae, subulato-mucronatae, spiculis (2 saltem inferiores) paulo longiores, 9-nerves, scabrae. *Spiculae* geminae vel singulae, oblongae, parum compressae, 4 lin. longae, bracteis concolores. *Squama* infima lineari-lanceolata, 2-3 lanceolatae, hae acuminatae; 4 et 5 ovato-oblongae, mucronulatae, illa ♂, haec ♀, 6 paulo minor, sterilis; cunctae uninerves, membranaceae, molliusculae. *Stamina* tria fertilia, disco cupulari inserta, interjectis tribus castratis brevibus setuliformibus. Nux magnitudine seminis

Brassicae, canescens, obovata, obtusa, leviter trigona, lateribus convexis subtiliter setuloso-scabris, angulis obtusis, costulaque filiformi obtusa pallidior, a basi ad verticem procurrente marginatis; basis nucis angustior, setulis brevibus filamentisque disco hypogyno calloso insertis cincta. Lehm. l. c.

CHAETOSPORA R.Br. N. ab E. l. c. pag. 299. n. 65. Endl. gen. n. 968. (excluso genere *Carpha*.) Meisn. gen. pag. 412. (315.)

1. ***Chaetospora curvifolia*** R.Br. culmo nudo teretiusculo subangulato, foliis radicalibus subsetaceis incurvis, capitulo terminali globoso involucri 3-6-phyllo brevioris, spiculis 2-3-floris, squamis imberbibus, setis hypogynis plumosis. 4. Brown Prodr. pag. 232. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 88. n. 1. Kunth. En. pag. 326. n. 8.

In arenosis sylvae prope oppidulum Perth, Jun. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1777. (Specimina floribus nondum perfectis); in arenosis colliculosis sylvae prope Pointwater, Perth, Jul. a. 1839. (paulo perfectior). No. 1773.

2. ***Chaetospora lanata*** R.Br. culmo tereti laevi basi foliato, vaginis ore barbatis, fasciculo subturbinato 3-6-stachyo, involucri 1-2-phyllo altero elongato, spiculis subsessilibus, squamis margine lanatis, setis hypogynis plumosis nuce longioribus. 4. Brown Prodr. pag. 232. Opp. ed. N. ab E. III. 2. pag. 88. n. 4. Kunth. En. II. pag. 326. n. 11.

Schoenus lanatus Labill. Nov. Holl. I. p. 19. t. 20.

In colliculis calcareis prope Woodman's-point, Perth, Aug. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1792.

3. ***Chaetospora microstachya*** N. ab E. culmo compressiusculo striato basi vaginante vaginis sulcatis imberbibus, superiori brevifolia, folio setaceo canaliculato, capitulo terminali globoso involucri di-triphyllo breviori bracteis interstincto, spiculis subbifloris, squamis in singula spicula quaternis obtusiusculis enervibus, setis perigynii basi longe plumosis apice scabris.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis. Herb. Preiss. No. 1725.

Species distinctissima. *Culmi* rhizomate repente caespitosi, glaucescentes $\frac{1}{3}$ -1 ped. alti, basi vaginis ternis, infimis acutis, aphyllis sanguineis, supra foliolo 1-1 $\frac{1}{2}$ poll. longa. *Capitulum* magnitudine pisi vel dimidio minus. *Involucrum* folia basi haud dilatata nec discoloria, subulata, profunde canaliculata; alterum fere pollicare, alterum duplo brevius; capitulis majoribus tria sunt folia involucralia, quorum inferius sesqui-pollicare; capitulum ipsum bracteis 3-4 distinguitur subulatis, canaliculatis, 5-2 lin. longis. *Spiculae* dense confertae, sessiles, squamis ovatis acutis interstinctae, lineam longae, oblongae, obtusae. *Squamae* perfecte distichae, ovatae, obtusiusculae, carinatae, laeves, basi pallidae, apicem versus purpureae; inferiores 2 steriles, paullo minores. *Rhachilla* brevis. *Perigynii* setae sex, ovario ovato

trigono duplo longiores, basi longe ciliato-barbatae. *Stylus* crassiusculus, deciduus; stigmata 3. *Caryopsis* obovata, trigona, angulis calloso-marginatis, laevissima, margaritacea, styli basi mucronata, matura a perigynio filamentisque, in rhachilla residuis, diffluens. Lehm. l. c. pag. 53.

4. **Chaetospora nana** *N. ab E.* culmo humili rigidulo folioso striato, foliis canaliculatis laevibus vaginis imberbibus, spiculis axillaribus terminalibusque fasciculato-capitatis 3-floris, squamis carina laevibus.

In locis rupestribus montis Elphinstone, Plantagenet. Herb. Preiss. No. 1753.

Culmus 1-1½ poll. longus, incurvus, basi saepe diphyllus, in medio monophyllus, subinde et in medio aphyllus. *Vaginae* purpureae. *Folia* culmo breviora. *Spiculae* fasciculato-ternae, quaternae, in fasciculum seu capitulum compositum, foliis bractealibus 2-3 interstinctum, congestae; accedit in aliis fasciculus lateralis, simplex, pedunculatus, in angulo folii culme-medii. *Stipulae* per se lanceolatae, squamis oblongis obtusis laevibus, carinatis, carina viridi edentula, lateribus rubris, marginibus pallidis; squamae 2 inferiores minores et steriles; 3-5 fertiles aequales, 6 steriles. *Rhachilla* curvata, glabra. *Stamina* tria. *Perigynii* setae 6, planae, subulatae, pubescenti-ciliatae, caryopsi paulo longiores, basi cohaerentes. *Stylus* trifidus. *Caryopsis* subglobosa, obsolete trigona, rugosa, cinerea, crustacea. Lehm. l. c.

5. **Chaetospora compressa** *N. ab E.* culmo folioque basali culmum subaequante setaceo canaliculato compressis striatis, vaginis imberbibus, capitulo terminali paucifloro, involucreo diphylo foliolis basi dilatatis carinatis striatis coloratis, altero longissimo, spiculis unifloris, squamis quaternis quinisque enervibus, setis perigynii plumosis.

In Australiae occidentalis arenosis aquaticis, plantitiei supra oppidulum Perth, Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1754 et 1782.

Habitus omnino *Carphae*, sed differt setis perigynii brevibus.

Culmo compresso (digitali-semipedali) et involucreo altero culmum aequante, altero breviori capitulo tamen longiore, a *Chaetosporis* reliquis distinguitur.

Deficiente fructu, de hac specie et proxime affini *Chaetospora cruenta* dubius haereo, utrum, mutato characterе generico, *Carpham* dicam esse an *Chaetosporam*. Si caryopsis hisce est basi styli cuspidata, tum setarum longitudinem solam non tanti esse censeo, ut formas maxime similes unam ab altera in diversa genera distributa divellamus; contra, si cum setis brevioribus caryopsis mutica congrua erit (id quod saltem de *Chaetospora compressa* fere constat), tum et cum genere conjungi *Chaetosporam compressam* et *cruentam*, disjungi *Carpham deustam* nihil obstat.

Radix fibrosa, densa. *Squama* spiculae inferior minor, 2-4 minores, subaequales, 4 lin. longae, laeves, purpureae, basi albidae, carina viridi, oblongae, obtusiusculae, carinatae. *Stamina* tria. *Ovarium* oblongum, laeve: *stylus* filiformis, basi haud incrassatus, rufus, colore saltem, nisi articulo vero, ab ovario distinctus. 4.

6. **Chaetospora cruenta** *N. ab E.* culmo teretiusculo. folio ad basin tereti-compresso laevi, vagina imberbi, fasciculo terminali, involucreo diphylo elongato basibus dilatatis sanguineis concoloribus, spiculis bifloris, squamis quinis senisque, setis perigynii subulatis sericeo-plumulosis ovarium aequantibus.

In solo turfoso ad radices montis Melville, Plantagenet, Oct. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1790. (ex parte.)

Similis *Carphae deustae*, differt: folio crassiori, involucri basi sanguinea margine concolore, squamis spiculae obtusiusculis sanguineis basi albis, tum perigynio brevi. 4.

7. **Chaetospora tetragona** R.Br. fasciculo elongato involucreto paleaceo, culmo angulato unifolio. Brown Prodr. l. c. n. 14.?

In arenosis sylvae ad portum Lechenault, Wellington, Dec. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1807.

Planta incompleta, ante anthesin decerpta, caractere generico probabiliter praecedentis.

Culmus pedalis, bipedalis, obtuse trigonus, lateribus inaequaliter sulcatis scabris. *Vaginae* carinatae. *Ligula* biloba lobis rotundatis, subfuscis. *Folia* longa, canaliculata, subtus costata. *Involucrum* bivalve, capitulo multo longius, basi late ovata emarginata fusca rigida. *Capitulum* involu-cellis similibus acumine breviori herbaceo rigido interstinctum, compositum ex spiculis glomeratis lanceolatis. *Squamae* 5-6, lineari-lanceolatae, complicatae, distichae, carinatae, pallide rufescentes, enerves, acumine subulato herbaceo scabro. *Genitalia* nondum evoluta. 4.

CYATHOCHAETA N. ab E. Cyper. in Linn.

l. c. n. 71. Meisn. gen. pag. 411. (314.)

Carphae spec. R.Br.

Perigynium membranaceum, margine in setas 3-5 capillares longas excurrentes. *Stamina* 2(-3). *Stylus* bifidus, basi conico-incrassatus, ovario continuus. *Caryopsis* cylindraceuto-compressa, styli basi longe rostrata.

Spiculae subulatae, e squamis quatuor rigidulis exstructae, quarum duae inferiores paulo breviores steriles, tertia mascula, quarta, quae paulo angustior est, hermaphrodita.

Culmus articulatus, obtuse trigonus, foliosus. *Vaginae* superne a latere fissae. *Folia* rigida, angusta, canaliculata (subtrigona). *Paniculae* contractae angustae rami spicatim spiculigeri, inferiores folio, superiores vagina suffulti. *Spiculae* fere pollicares, pallidae, cum afflatu purpurae.

Habitus *Cyathocomae* N. ab E. et *Ideleriae* Kth.

1. **Cyathochaeta diandra** N. ab E. panicula subcoarctata, spiculis bifloris, squamis aristato-acuminatis diandris, setulis hypogynis 5-6 capillaribus edentulis basi ciliatis, culmo folioso teretiusculo.

Carpha diandra R. Brown Prodr. pag. 231. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 87. n. 4. Kunth. En. II. pag. 322. n. 4. 4.

In arenosis sylvae ad caput fluminis Cygnorum Jan. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1836.

CLADIUM R. Brown. N. ab E. Cyp. l. c. n. 75.

1. **Cladium Filum** R.Br. panicula coarctata elongata foliata glomerulis alternis compositis, spiculis subulatis, squamis aristato-acuminatis tetrandris, culmo tereti folioso, foliis involutis elongatis asperis. Brown Prodr. pag. 237. Opp. ed. N. ab E. III. pag. 93. n. 12. Kunth. En. II. pag. 305. n. 13. (ex cl. syn. Sieb. Agrost. n. 11.)

Schoenus Filum Labill. Nov. Holl. I. pag. 18. t. 19.

In planitie arenosa hieme inundata ad fluvium Cygnorum supra oppidulum Perth, Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1780. 4.

GAHNIA Forster gen. pag. 51.

MELACHNE Schrad. in Schult. S. Veg. VII. pag. CXXXV. **DIDYMONEMA** Presl. Symb. I. pag. 5. t. 3. **LAMPOCARYA** R.Br.

Spiculae hemiologamo-uniflorae. *Squamae* duae vel quatuor inferiores majores distichae, acuminatae, saepe teneriores, oppositae-cruciataevae, steriles, duae vel tres interiores minores, obtusae mucronatae vel breviacutatae, subinde firmiores, quarum exterior mascula, bi-triandra, quae sequitur cum tertia (si adest) flosculum continens hermaphroditum, 3-4-6-andrum. *Perigynium* nullum. *Filamenta* persistentia, demum elongata, antherae lineares, mucronatae. *Stylus* bi-trifidus cruribus subinde bifidis. *Caryopsis* tri-quadrangularis, crassa, bulbo seu basi conica styli coronata.

Inflorescentia paniculata, laxa, vel plus minus contracta, ramificationibus primariis folio suffultis. Spiculae 2-4 in angulae vaginulae bractealis confertae, fasciculatae, pedicellatae, squamae steriles saltem coloratae.

Observ. *Gahnia* Labill. et R.Br. a *Gahnia* Forst. quo ad genus diversa, *Psittacoschoenum* appello.

Ad *Gahniam* pertinent: *Gahnia procera* Forst. (teste specimine originali), *Gahnia schoenoides* Forst. (teste specimine originali), *Gahnia Sieberia* (*Melachne Sieberi*, *Didymonema filifolia* Presl.), *Lampocaryae Braunianae*, porro quae sequitur.

1. **Gahnia Preissii** N. ab E. panicula supradecomposita laxa, spiculis fasciculato-ternis quaternisve subincluse pedicellatis, squamis duabus inferioribus sterilibus majoribusque, tribus interioribus multo minoribus subcartilagineis obtusis laevibus margine ciliatis, staminibus floris hermaphroditi quaternis.

In densetis umbrosis humidis ad Bull's-creek, Perth, Nov. a. 1841. Herb. Preiss. No. 1806.

Planta speciosa, *Lampocaryae asperae* conjunctior, a qua differt inflorescentia magis composita laxiore, spiculis haud congestis sed fasciculatis, squamis interioribus chartaceo-cartilagineis margine ciliatis. 4.

Adnot. Altera hujus generis species affinis, nisi eadem prorsus, solis squamis et bracteis (valde immaturis) fusco-nigris distinguenda, est: *Cladium Filum* Sieb. Agrostoth. n. 11.

CAUSTIS R.Br. Endl. gen. n. 983. Meisn. gen. pag. 412. (315.)

1. **Caustis hexandra** N. ab E. panicula contracta, ramis uncinato-curvatis fasciculato-sexfidis, ramulis ultimis margine scabris, spiculis lanceolato-subulatis, pubescentibus bifloris, floribus hermaphroditis hexandris.

In collibus calcareis asperis haud procul a monte Manypeak vel Tjilberup, Plantagenet, Nov. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1698. et in arenosis sylvae haud procul a praedio rustico Bassandeen, Perth, Nov. a. 1839. No. 1697. ♂.

Differt a *Causti uncinata* N. ab E. (Sieb. Agrostoth. n. 35 ex parte) caule apice tantum simpliciterque ramoso-paniculato nec ramoso-decomposito, ramulis duplo fere latioribus magis scabris; a *Causti dioica* R.Br. spiculis tenuioribus hermaphroditis. (an hujus var.? aut potius planta feminea, scil. staminibus abortientibus?) — *Ovarium* pubescenti-canum. 4.

MESOMELAENA N. ab E.

Spiculae distichae, squamis aequalibus (in speciebus cognitis aristato-acuminatis acumine inferiorum in statu sicco recurvo) uninervibus rigidulis, basi tenuioribus; inferioribus (3-7) sterilibus antipenultima subinde mascula abortiva, penultima fertili, extrema minore. *Perigynii* setae (staminum exteriorum filamenta sterilia) tres, paleaceo-subulatae, scabrae, fructu longiores, perianthium tripartitum laciniis anguste lanceolato-linearibus fingentibus. *Stamina* (fertilia) tria setis perigynii alterna interiora, antherae lineares, mucronatae; filamenta persistentia. *Stylus* basin versus crassior, pubescens; stigmata tria. *Caryopsis* subcylindrica obtusa (an rostrata).

Inflorescentia capitata, involucrata, involuero diphylo basi dilatato fusco, margine subinde pallido apice sphacelato; altero majore culmum continuante.

Culmi simplices, rigidi, basi vaginati foliosique. *Vaginae* tubulosae ore obliquo, vel ligulato vel membranaceo-ochreato.

Genus *Carphae* propinquum, diversum autem perigynio vaginisque tubulosis ochreatis ligulatisve, forsan et fructu.

1. **Mesomelaena Preissii** N. ab E. vaginae ore hyalino-ochreatis, spicularum squamis tribus inferis sterilibus.

In paludosis haud procul ab Halfwayhouse, Darling's-range, Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1791.

Folium semipollicare, subulatum, supra planiusculum. Pars hyalina vaginae seu ochrea, a folio libera, fere longitudine folii, laxa, candida, demi-

que lacera. *Culmus* pedalis, teres, striatus, glaucescens. *Capitulum* ad speciem laterale magnitudine nucis moschatae, coloris luride fusci. *Involucris* folia basi ovata, fusco-nigra, margine hyalino. *Squamae* basi late testaceae, molliores quam in sequente. 4.

2. **Mesomelaena stygia** N. ab E. ligula membranacea, plerisque libera, ovata obtusa, spicularum squamis 5-6 inferioribus sterilibus.

Chaetospora stygia R.Br. Prodr. pag. 233. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 89. n. 15. Kunth. En. II. pag. 327. n. 22. (nisi haec synonyma potius ad *Lepidosperma uncinatum* pertinent.)

β *Ligula fusca.*

In exsiccatis prope oppidulum Freemantle, Dec. a. 1838. Herb. Preiss. No. 1786; in arenosis peninsulae Perth, Apr. No. 1761; in arenosis turfosisque inter frutices supra oppidulum Perth, Apr. a. 1839. No. 1760.

Var. β . In districtu Sussex, Dec. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1796.

Statura praecedentis. *Culmus* flavescens, laevis. *Vagina* basilaris una arcta, folio pollicari, subulato-compresso, canaliculato incurvo. *Ligula* plerisque magna, libera, oblonga, culmum amplectens ut in Graminibus, subinde solo basis ligulae residua esse videtur, obtuse trigona vaginae adnata. *Inflorescentia* paulo minor quam in praecedente. *Involucris* bases fuscae, immarginatae. *Spiculae* lanceolatae. *Squamae* distichae, enerves aequales: 5-6 inferiores steriles, acumine setaceo recurvo, 7 subinde abortu mascula, 8 hermaphrodita, 9 angustior sterilis. *Filamenta* sex, basi dilatata, persistentia; exteriora (vel in flore inferiore omnia) sterilia, paleaeformia nuda, basi scabra, interiora antherifera, filiformia; antherae lineares mucronatae. *Perigynium* proprium nullum. *Stylus* trifidus basi subulata scabra ovario oblongo continua.

EVANDRA R.Br. Endl. gen. n. 984. Meisn. gen. pag. 113. (316.)

1. **Evandra aristata** R.Br. culmo folioso, spiculis paniculatis axillaribus terminalibusque, squamis aristatis. 4. Brown Prodr. pag. 239. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 95. n. 1. Kunth. En. II. pag. 367. n. 1.

In solo subturfoso-arenoso ad Stirling's-terrace, Plantagenet, Sept. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1779.

LEPIDOSPERMA Labill. Endl. gen. n. 973. Meisn. gen. pag. 412. (315.)

1. **Lepidosperma gladiatum** Labill. panicula coarctata, ramis decompositis, culmo complanato axi utrinque elevato marginibus foliisque laevibus, spicularum squamis acutiusculis. Labill. Nov. Holl. 1. pag. 15. t. 12. R.Br. 1. c. pag. 234. (ed. N. ab E. pag. 90. n. 1.) Kunth. En. II. pag. 316. n. 1. 4.

In arenosis inter frutices densos ad fluvium Cygnorum haud procul a civitate Freemantle. Aboriginibus Kerbein, Dec. a. 1838. Herb. Preiss. No. 1771.

2. **Lepidosperma Sieberi** *Kunth.*, panicula ramosa patula, ramis solitariis, inferioribus remotis, spicis sessilibus lanceolatis teretiusculis, perigynii squamulis in setulam capillarem apice puberulam productis, culmo compresso-ancipiti hinc plano inde convexiusculo foliisque margine scabris lineari-ensiformibus. *Kunth. En. II. pag. 320. n. 21. Sieber. Agrosth. n. 10.*

In glareosis sylvae inter praedia rustica virr. cl. Barker et Lennard, Apr. a. 1840. *Herb. Preiss. No. 1767.*

Forma culmo hinc plano inde convexo. Rami spicae contracti subadpressi.

Confer. *Lepidosperma laterale* R.Br. Sed bractea inferior inflorescentia brevior est.

3. **Lepidosperma exaltatum** *R.Br.* panicula elongata, ramis compositis alternis, spiculis congestis, bracteis vagina brevioribus, culmo utrinque convexiusculo marginibus laevibus. — *Brown Prodr. pag. 234. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 90. n. 7. Kunth. En. pag. 317. n. 7. 4.*

In solo humoso ad lacus prope oppidulum Perth, Aug. 1840. *Herb. Preiss. No. 1758 et 1764. (ex parte cum Anarthria scabra R.Br.).*

4. **Lepidosperma lineare** *R.Br.* spica composita lanceolata, ramis spiculisque approximatis, squamis acutis, squamulis hypogynis lanceolatis, culmo complanato utrinque convexiusculo marginibus scabris. *Brown Prodr. pag. 235. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 91. n. 13. Kunth. En. II. pag. 318. n. 13. Sieb. Agrostoth. n. 9.*

β Humile (semipedale).

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Nov. a. 1840. *Herb. Preiss. No. 1810.*

Culmi et folia margine valde scabra. *Rhizoma* squamatum. *Inflorescentia* (imperfecta) fusca. 4.

5. **Lepidosperma tetraquetrum** *N. ab E.* panicula decomposita coarctata, culmo foliisque acute quadrangulis lateribus costatis.

In dumetis umbrosis ad radices jugi montium Darling's-range, Oct. a. 1841. *Herb. Preiss. No. 1762.*

A *Lepidospermate tetragono* Labill. differt culmo acutangulo, inaequilatero-tetraquetro, statura multo majore 3-4-pedali. — *Rhizoma* repens fibris validis. *Caryopsis* ovata. *Perigynii* lacinae breves, subulatae. 4.

6. **Lepidosperma tuberculatum** *N. ab E.* panicula elongata flaccidula subcoarctata ramis decompositis multifloris, culmo complanato hinc concavo inde convexiusculo foliisque margine tuberculato-muricatis, squamis spicularum superioribus acuminatis, squamulis perigynii ovatis mucronatis setuligerisve, vaginis radicalibus resinosis.

In rupestribus ad tergum montis Currie, York, Apr. a. 1840. *Herb. Preiss. No. 1765.*

Lepidospermati concavo simile, differt ab isto sicuti ab omnibus speciebus nobis notis, tuberculis crassis, plerisque conicis, aliis subglobosis fu-

scis distantibus in culmi foliorumque marginibus simplici serie dispositis. Planta speciosa, bipedalis et altior, inflorescentia semipedali, in nostris (an casu) nutante. *Spiculae* mediocres, opacae, fuscae, squamis resinoso-scabris, ovatis, 3-4 inferioribus mucronato-acutis, 4- vel 5-6 acuminatis. 4.

7. **Lepidosperma fimbriatum** N. ab E. panicula coarctata simplici angusta, ramis alternis inferioribus distantibus, spiculis fucatis, culmo plano foliisque margine setuloso-fimbriatis asperis, basibus viscidis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1793.

Spiculae nimis juveniles sunt et incompletae, squamis fere distichis. At vero propter summam cum *Lepidospermatis viscidi* diagnosi congruentiam huc retuli, quippe quae, nisi scabros tantum nec hispidos, ut debuisset, designaret foliorum et culmum margines, vix aliam atque hanc nostram plantam significaret.

Rhizoma repens, squamosum. *Bractea* inferior panicula longior, foliis conformis. *Squamae* spiculae purpureo-fuscae, resinosae, acutae, scabrae, basi pallida. *Stigma* trifidum. *Stamina* 3. 4.

8. **Lepidosperma viscidum** R.Br. panicula coarctata simplici, ramis spiculisque confertis fucatis, culmo plano foliisque margine scabris, basibus viscidis. Brown Prodr. pag. 234. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 90. n. 8. Kunth. En. II. pag. 317. n. 8.

In solo sublimoso-lapidoso inter frutices montis Clarence, Plantagenet, Dec. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1766.

A *Lepidospermate Sieberi* Kunth. inprimis differt culmo foliisque margine tuberculato-asperimis neque asperulis tantum. Culmus haud omnino planus ut in *Lepidospermate fimbriato*, attamen utrinque lenissime convexulus, folia hinc plana, inde convexula. Vereor autem, ut haec culmi configurationes in una eademque stirpe sibi vere constent, neque magis ea, quae circa paniculam vel spicam, paniculam elongatam vel brevem et densam versantur. Haec enim vix certis finibus continentur. Sic v. c. e binis speciminibus *Lepidospermatis Sieberi* Kunth., quae collectio nostra asservat, uni culmus est utrinque in medio obtuse leniterque costatus, alteri culmus hinc planus inde convexulus, utrisque panicula brevis et densa, quam in suis exemplis laxiorem ramis inferioribus remotis vidit cl. Kunthius: igitur alterum specimen nostrae collectionis *Lepidospermati longitudinali* Labill., alterum contra *Lepidospermati laterali* R.Br. adscribi posset. — *Lepidosperma viscidum* nostrum differt a dictis exemplis, (quibus squamulae fructus setuligerae communes sunt), spiculae squamis 5 latioribus amoene rufescentibus, brevimucronatis, 6 et 7 multo minoribus, 4 et 5 fertili. 4.

9. **Lepidosperma squamatum** Labill. panicula composita et decomposita oblique brevi conferta ramis patulis confertifloris culmo foliisque ancipitibus conformibus margine laevibus in medio utrinque convexis basi glutinosis, perigynii squamis brevibus obtusiusculis.

Lepidosperma squamatum Labill. Nov. Holl. I. pag. 17. t. 16. (nec R.Br.)

In clivis arenosis haud procul ab ora maritima districtus Perth, Jun. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1785. In arenosis sylvae prope lacum Kei-er-mu-lu vel Monger's-lake, Perth, Oct. a. 1839. No. 1804. et in calcareis inter frutices densos haud procul ab oppidulo Freemantle. Dec. a. 1838. (idem) statu juvenili.

Accedit ad *Lepidosperma Sieberii* Kunth., sed differt culmo et foliis utrinque ut in *L. gladiato* costa obtusa convexa instructis margine laevibus et panicula brevi fere pyramidata ramis patentibus involucre erecto lineari-ensiforme paulo longiori et oblique ad latus conversa.

Culmi et *folia* lin. l. lata, basi, uti et involucrum fusca. *Spiculae* confertae, vix $1\frac{1}{2}$ lin. longae, oblongo-lanceolatae, fuscae, squamis 6-7 ovatis, inferioribus obtusiusculis supremis acutis; antipenultima saepe flore sterili praedita. *Caryopsis* ovata, basi contracta, *perigynii* squamis inaequalibus obtusiusculis stipitem vix superantibus. 24.

Adnot. *Lepidosperma squamatum* R.Br. „spica lanceolata“ diversa species est.

10. *Lepidosperma Brunonianum* N. ab E. spica composita lanceolata, ramis spiculisque imbricatis, squamis acutis, culmo hinc plano inde convexiusculo, marginibus scabris, foliorum basibus equitantibus nitidis.

Lepidosperma squamatum R.Br. Prodr. pag. 235. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 91. n. 11. (diagnos. excl. syn. Labill.)

Var. *vaginis infimis resinosis.*

In glareosis inter frutices montis Greenmountain, Perth, Apr. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1768.

Planta inflorescentia maxime juvenili longiuscula, spiculis magis distantibus, ceterum speciminibus Drummondianis *Lepidospermatis squamati* R.Br. optime congrua. Rami ipsi quidem virides sunt resinoso-nitidi, sed bractee resinoso-infuscaetae, sicuti et vaginae radicales. *Culmus* altero latere planus altero leniter convexulus repugnat diagnosi *Lepidospermatis viscidi*, cui culmus planus esse dicitur. *Culmi* et *folia* in margine tuberculis fuscis resinosis aspera. 24.

11. *Lepidosperma costale* N. ab E. spica composita angusta lanceolata, spiculis oblongis, squamis perigynii obtusis, culmo ancipiti costa media utrinque elevata striata marginibus tenuibus scabris.

* *Ustilaginosum.*

In solo sublimoso-arenoso planitiei prope praedium rusticum cl. Viveach, York, Apr. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1798. — Forma * morbosa, ustilagine ovarii correpta: in rupestribus haud procul a fonte St. Ronan'swell, York, Apr. a. 1840. No. 1799.

Proxima species *Lepidospermatis globoso* Labill., a quo solummodo differt spiculis haud subglobosis sed oblongis; an propter aetatem provectionem?

A *L. lineuri* differt culmo utrinque costato nec leniter convexulo, squamisque perigynii latioribus et obtusiusculis.

Squamae spiculae superiores acuminatae. *Caryopsis* oblongo-ovalis. Costa culmi et foliorum utriusque lateris subangulata proptereaue striata aut potius sulculis aliquot notata.

12. *Lepidosperma scabrum* N. ab E. spica supracomposita et decomposita brevi saepe obliqua densa, spiculis approximatis imbricatisve apice subulatis, culmo tereti striato foliisque tereti-subcompressis basi scaberrimis.

In Australia occidentali, Apr. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1788. — In solo arenoso planitiei ad flumen Cygnorum supra oppidulum Perth, Aug. a. 1840. No. 1787.

Differt a *Lepidospermate striato* imprimis culmo haud laevi sed a basi ad medium, sicuti et foliis inde a basi setulis brevibus scaberrimis. Folia basin versus angustiora, compressa, brevi tractu sulculo lateris superi notata, dein eodem margine acuto denique obtuso excurrente, et igitur maximam partem fere teretia leniterque a latere compressa. *Panicula* sive spica dum floret fere ut in *Lepidospermate squamato*, at paulo magis expansa spiculis patentibus, magis discretis, fructifera spica ovata aut oblonga imbricata. *Squamae* 7, ovatae, obtusae, scabrae: intima angustior genitalia amplectens. *Ovarium* ovale apice obtuso subbulboso; *stylus* trifidus, ramis et basi styli setuloso-hispidissimis. *Caryopsis* ovalis obtusa grisea lineis ramosis fuscis picta, *perigynii* squamis 6 subulatis brevibus.

An eadem ac *Lepidosperma striatum*? 4.

13. *Lepidosperma confine* N. ab E. spica composita contracta bracteata, bracteolis monostachyis basi utrinque lanatis squamis subdistichis acutis, culmo (aphyllo?) teretiusculo superne canaliculato leviter striato.

In scaturiginosis ad lacum Dünshāmbūs haud procul ab oppidulo Perth, Jan. a. 1831. Herb. Preiss. No. 1794.

Similis *Lepidospermati Neesii* Kunth., differt praecipue bracteolis ovato-oblongis minus evidenter nervoso-striatis monostachyis basi utrinque et rhachilla ad eorum insertionem puberulo-lanatis, tum ramis apice magis elongatis et spiculis pallidioribus.

Culmi bipedales, non nihil torti, leviter striati et apicem versus sulculo alterius lateris notati. *Folia* nostris desunt. *Bractea* inferior foliolo rigidulo subulato canaliculato pollicari terminata, reliquae cuspidatae. *Spiculae* (florentes) lanceolatae, e squamis 5 carinatis acuminatis testaceis laevibus subaequalibus constant, quarum duae inferiores et suprema steriles, 3-4 fertiles. *Stamina* tria antheris cuspidatis. *Stigmata* 3. 4.

Adnot. An hujus loci *Lepidosperma striatum* R.Br.?

14. *Lepidosperma uncinatum* N. ab E. capitulo laterali involuero culmum continente brevior, spiculis compressiusculis, squamis aristato-acuminatis inferiorum acumine recurvo, perigynio trifido obtuso, culmo teretiusculo basi brevifolio.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1772.

Mirifice simile est *Mesomelaenae stygiae*, sed fructu gaudet *Lepidospermatis*; differt ab hac, quam diximus, statura minore, involuero superiore, i. e. minore, illo, deficiente, spicularum squamis trifariis earumque interioribus conformiter aristato-acuminatis acumine tamen haud ita recurvo, denique floris inferioris abortientis defectu setisque perigynii omnino nullis, neque residuis earum conspicuis.

Verum cum *Carphae stygiae* non nisi flores viderim, *Lepidospermatis uncinatae* contra soli fructus inventi sint, dubitare licet, num illa tempore maturitatis fructus in hanc transeat et *Chaetospora stygia* R.Br., rejecto *Lepidospermatis uncinati* novo titulo inter *Lepidospermata* denique sit referenda.

Involucrum folium strictum, apice semiteres, ustulatum. *Folium radicale* subulatum, canaliculatum, ligula ovali membranacea libera. *Perigynium* fructus cartilagineum, urceolatum, trifidum laciniis obtusis; in uno fructu 4-fidum, scil. binis laciniis formae solitae, tertia autem in duas partes subulatas divisa. 4.

Tribus 9. **CARICEAE** N. ab E. Cyp. in Linn. 9. pag. 305. Endl. gen. pag. 110.

CAREX Mich. Linn. N. ab E. l. c. n. 96. Endl. gen. n. 957. Meisn. gen. pag. 413. (316.)

a. *Vignea* N. ab E. l. c.

§. 2. N. ab E. in W. et W. Arn. Contrib. pag. 120. Div. I. 5. d. Kunth. En.

1. **Carex appressa** R.Br. spica decomposita subelongata, partialibus appressis, inferioribus distinctis, spiculis ovatis apice masculis, squamis acutis, fructibus ovatis plano-convexis utrinque nervosis, marginibus extrorsum denticulatis. Brown Prodr. pag. 242. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 98. n. 3. Kunth. En. II. pag. 389. n. 54.

Var. β **elatior** N. ab E. culmo stricto alto, spicis partialibus brevibus approximatis, inferioribus conicis superioribus imbricatis.

In solo humoso ad marginem paludis prope praedium rusticum cl. Bull. (Wellington) Dec. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1866.

Culmus 3-pedalis et altior, firmus. *Inflorescentia* quam pro statura stirpis brevior, sed densa, spiculis partialibus 3-2 lin. longis, basi latis acutis densis glomerato-compositis. Reliqua non differunt. 2.

b. *Carex* N. ab E. l. c.

§. 8. N. ab E. in W. et W. Arn. Contrib. II. pag. 125. Div. II. 20. a Kunth. En.

2. **Carex Preissii** N. ab E. spiculis androgynis subsenis distantibus solitariis cylindricis apice masculis inferioribus exserte pedunculatis superioribus duabus sessilibus approximatis masculae terminali subclavatae (subinde et ea basi feminea), stigmatibus ternis, fructibus oblongis dorso gibbosis striatisque latere grosse binervibus apice bidentatis squamas ovatas cuspidato-mucronatas uninerves herbaceo-virides pallidasve aequantibus, culmis trigonis, foliis bracteisque linearibus margine serrulato-scabris culmi longitudine.

In arenosis subumbrosis prope Pointwater, Perth, Jul. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1861. In arenosis insulae Rottennest, Aug. a. 1839. No. 1825. (humilior.)

Inter affines distinctissima est characteribus datis, colore insuper subglaucos, *spica* mascula crassiore dum floret apicem versus magis incrassata deflorata cylindrica angusta squamis latioribus magis acuminatis, adjecta 1-2 androgynis minoribus sessilibus bractea brevissima suffultis; tunc 3 distantibus, pedunculatis longioribus, quarum infima multo infra culmum medium sita; denique *fructu*, nervo carinali unoque utriusque crasso costiformi notato, tergo inter has gibboso nervoso-striato, apice bidentato neque tamen rostrato. *Radix* stolonifera. *Spicae* masculae squamae defloratae rufescentes. 2.

GRAMINEAE Juss.

(Auctore NEES ab ESENBECK.)

Tribus 2. PANICEAE N. ab E. in Lindl. Syst. pag. 378.
Endl. gen. pag. 82.

NEURACHNE R.Br.

Endl. gen. n. 792. Meisn. gen. p. 418. (320.)

Characteri generico addas:

flosculo inferiori vel neutro vel masculino.

1. **Neurachne alopecuroides** R.Br. gluma biflora bivalvi, valvulis nervosis acutis hispidis coriaceis subaequalibus, exteriori parum minori, fructiferis induratis. —

Flores dissimiles; exterior neuter, bivalvis, valvula exteriori glumae subsimili; interior hermaphroditus, hyalino-membranaceus, bivalvis. Squamulae 2 hypogynae. Stamina 3. Styli 2. Stigmata plumosa. Semen liberum, e perianthio membranaceo decidens.

Gramen perenne. Culmus multiplex, erectus, geniculis sericeo-barbatis. Folia plana, brevissima. Spica unica, ovata, (*Alopecuri*), simplex, involucris nullis. Brown Prodr. pag. 196. Opp. ed. N. ab E. III. 1. p. 52. Kunth. En. I. pag. 175.

In solo limoso-arenoso clivuli prope Woodbridge, Perth, Aug. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1840.

Flosculus in nostro inferior masculus in omnibus. *Glumae* subulato-acutatae, hirtae, ad latera, inprimis in medio, piloso-ciliatae. *Flosculi* inferioris valvula superior brevior, bifida; stamina tria. *Gluma* inferior 7-nervis, superior paulo longior, 9-11-nervis; nervi punctati. *Valvula* inferior flosculi inferioris 7-nervis, superioris flosculi valvula inferior 5-nervis.

Folia hirsuta. *Culmus* spithamaeus, basi geniculatus. 2.

SPINIFEX Linn.

Endl. gen. n. 791. Meisn. gen. pag. 417. (319.)

1. **Spinifex longifolius** R.Br. glaber, foliis inermibus flaccidis semiteretibus, marginibus longitudinaliter laevibus rhachi fructifera ter longioribus, glumis masculis scabris. Br. Prodr. pag. 198. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 54. n. 1. Kunth. En. I. pag. 174. n. 1.

Cyperus. Peron Voy. aux terres aust. I. pag. 113.

In littore arenoso prope oppidulum Freemantle, Dec. a. 1838. ♀ Herb. Preiss. No. 1833. (ex parte.)

„Antherae fulvae“ (Preiss.)

Variant axes feminei inter plurimos structurae solitae setaceos aliis nonnullis crassioribus brevioribusque apice suo alteram spiculam femineam vere terminalem gerentibus. Mascula specimina desiderantur. 2.

Spinifex fragilis R.Br. an vere distinctus a longifolio?

2. **Spinifex alterniflorus** N. ab E. sericeus, foliis infermibus subtus vaginisque villosis supra glabris, acumine racheos masculae spicam aequante, spiculis disticho alternis distinctis.

Cum praecedente. ♂. Herb. Preiss. No. 1833. (ex parte.)

Differt a *Spinifex hirsuto* spicis masculis in capitulis 2-3, uno terminali, paucioribus patulo-subrecurvis tetra-hexastachyis, spiculis disticho-alternis, neque ut in isto imbricatis.

Tribus 4. SACCHARINAE N. ab E. in Lindl. Sys. ed. 2. pag. 379. Andropogoneae Kunth. Endl. gen. pag. 106.

ANDROPOGON Linn.

Endl. n. 950. a, b, c. Meisn. gen. p. 428. (328.)

1. **Andropogon bombycinus** R.Br. panicula coarctata, spathis margine scariosis, aristis spica aliquoties brevioribus obsolete, rachibus densissime lanatis, glumis glabris, exteriori hermaphroditae binervi cum rudimento tertii, marium multinervi, culmo simplici laevi, geniculis tomentosus. Brown Prodr. I. pag. 202. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 58. n. 12. Kunth. En. I. pag. 493. n. 49.

In districtu York, Mart. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1842.

Gluma inferior in plerisque quadrinervis cum rudimento nervi quinti, margine membranacea, apice repando-tridentata. *Arista* spicula dimidio longior, gracilis. *Genicula* dense pubescentia. 2.

ANTHISTIRIA Linn.

Endl. gen. n. 945. Meisn. gen. pag. 428. (327.)

1. **Anthistiria australis** R.Br. glumis involuerisque imberbibus strigisque paucissimis, foliis vaginisque glabris, culmo tereti. Brown Prodr. pag. 200. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 56. n. 1. Kunth. En. I. pag. 482. n. 9. Sieb. Fl. Nov. Holl. n. 61.

In solo humoso ad flumen Serpentine, Wellington, Dec. a. 1839; in solo sublimoso montis Tood-jaykatta, Victoria, Mart. a. 1841; in promontorio Riche, Nov. a. 1840, et in solo sublimoso ad flumen Canning, Perth, Jul. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1843.

Tribus 8. AGROSTIDEAE N. ab E. l. c. pag. 380. Endl.
gen. pag. 88.

SPOROBOLUS R.Br.

Endl. gen. n. 809. Meisn. gen. pag. 419. (321.)

1. **Sporobolus Matrella** N. ab E. paniculae linearis spiciformis abbreviatae ramis racemosis paucifloris, glumis laevissimis carina scabriusculis, inferiore valvulis parum brevioribus, superiore eas aequante acuta, culmo filiformi ramoso, foliis distichis erectis convoluto-setaceis, collo utrinque barbato. N. ab E. Fl. Afr. austr. illustr. I. pag. 152. n. 1.

Vilfa Matrella N. ab E. in Mart. Fl. Bras. II. pag. 400.

Agrostis virginica R.Br. Prodr. pag. 170. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 26. n. 1. Labill. Fl. Nov. Holl. I. pag. 20. t. 23. 4.

In humidis umbrosisque non procul ab oppidulo Freemantle, Dec. a. 1838. Herb. Preiss. No. 1841.

LACHNAGROSTIS Trin. Fund.

1. **Lachnagrostis Preissii** N. ab E. panicula contracta ramis capillaribus, glumis lineari-lanceolatis acutissimis flosculo adpresse piloso subtriplo longioribus, arista infraapicali glumis duplo longiori geniculata, culmis caespitosis (humilibus) foliis complicato-setaceis scabriusculis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1846.

Culmi plures e radice, probabiliter repente, caespitosi, incurvi, $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$, pedes alti, graciles, foliosi, extrema vagina paniculam vaginante. *Vaginae* strictae, hiantes. *Ligula* lanceolata. *Folia* 1-2 poll. longa, valde attenuata et complicato-setacea, angusta. *Panicula* bipollicaris, lanceolata, laxiuscule contracta. *Glumae* 2 lin. longae, hyalinae aut purpurascens, uninerves, carina scabrae, subaequales, setaceo-acuminatae. *Flosculus* $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ lin. longus, oblongus, pilis adpressis vestitus, basi pilis setulaque ad latus ventrale plumulosa cinctus. *Valvula* inferiora apice bidentata, paulo infra apicem aristata. *Arista* validiuscula, apice purpurea. *Stamina* 3. 4.

2. **Lachnagrostis Willdenovii** Trin. panicula patente, glumis oblongis acutis perianthio pilosulo $\frac{1}{3}$ longioribus, arista glumas excedente geniculata. Trin. Gram. uniflor. et sesquifl. pag. 217.

Deyeuxia aemula Kunth. En. I. pag. 244. n. 38.

Agrostis aemula R.Br. Prodr. pag. 172. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 28. n. 12.

In turfosis exsiccatis prope oppidum Freemantle, Dec. a. 1838. Herb. Preiss. No. 1827.

Setulae valvulae incumbentes. 4.

Tribus 9. STIPEAE N. ab E. in Lindl. Syst. ed. 2. pag. 381. Stipaceae Endl. gen. pag. 87.

ARTHRATHERUM Pal. de Beauv.

Pal. de Beauv. Agrostogr. t. 8. f. 8, 9. N. ab E. Fl. Afr. austr. illustr. 1. p. 174.

1. **Arthratherum arenarium** N. ab E. culmis caespitosis ramosis, foliis convoluto-setaceis scabriusculis curvatis, panicula subramosa, aristis sesqui-bipollicaribus subaequalibus.

Aristida arenaria Gaudich. in Freyc. it. Bot. pag. 407. Kunth. En. I. pag. 194. n. 52.

In rupestribus ad latus meridionale montis Brown, York, Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1837.

Aristae, demto stipite, inferiorum spicularum 1-1½ poll. ut apud Gaudichaudium l. c., superiorum 2-2½ poll. Ab *Arthrathero stipoide* differt solummodo foliis brevioribus et glumis pallide purpureis, tum culmo etiam humiliori, circiter pedali ramosoque. 4.

DICHELACHNE Endl.

Gen. n. 796. Meisn. gen. pag. 419. (320.)
Stipae spec. R.Br.

In caractere generico loco: imberbibus (antherarum loculis) addas: „vel imberbibus vel setula barbata terminatis.“

1. **Dichelachne setacea** N. ab E. aristis nudis geniculatis, perianthiis pubescentibus, glumis setaceo-acuminatis laevibus, foliis involutis vaginisque glabris, ligulis elongatis integris geniculisque nudis, panicula effusa.

Stipa setacea R.Br. Prodr. pag. 174. Opp. ed. N. ab E. pag. 30. n. 4. Kunth. En. I. pag. 183. n. 33.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis. Nov. Herb. Preiss. No. 1854.

STIPA Linn.

N. ab E. Fl. Afr. austr. illustr. 1. pag. 169. Endl. gen. n. 798. Meisn. gen. pag. 419. (320.)

1. **Stipa crinita** Gaudich. culmis caespitosis folisque erectis convolutis vaginisque scabriusculis, panicula ramosa coarctata erecta, glumis acuminato-subulatis dorso scabriusculis valvulas sericeo-pubescentes duplo superantibus,

arista longissima hispidula. 2. Gaudich. in Freyc. it. Bot. p. 407. Kunth. En. I. pag. 184. n. 37.

Stipa rudis Spr. Cur. post. pag. 31. Kunth. En. I. pag. 186. n. 59.

In solo humoso ad flumen Serpentum, Wellington, Dec. a. 1839. In promontorio Riche, Nov. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1856 et 1858.

Addo speciem collectionis Lehmannianae confinem. *)

2. **Stipa flavescens** Labill. aristis nudis, perianthiis pubescentibus, glumis setaceo-acuminatis, foliis involutis, geniculis vaginisque inferioribus pubescentibus, ligula brevissima ciliata. 2. Labill. Fl. Nov. Holl. I. pag. 24. t. 30. R.Br. Prodr. pag. 175. Opp. ed. N. ab E. III. pag. 31. n. 6. Kunth. En. I. pag. 183. n. 35.

In arenosis sylvae prope Pine-Apple, Perth, Oct. a. 1831. Herb. Preiss. No. 1822 et 1826. 2.

3. **Stipa campylachne** N. ab E. aristis infra geniculum tenuissime pubescentibus, flosculo sericeo, glumis setaceo-acuminatis, foliis convoluto-filiformibus vaginisque scabris, his ore utrinque barbatis, ligula (laterali) ovata, culmo compresso geniculis subsericeis. N. ab Esenb. in Gram. Drummond.

In solo sublimoso jugi montium Darling's-range, Perth. Herb. Preiss. No. 1848. — Ad flumen Cygnorum. Drummond.

Accedit quod ad folia et habitum *Stipae pubescenti*, spiculis autem *Stipae semibarbatæ* R.Br. — *Panicula* angusta, basi vaginata, in exemplis nostris nutans. *Rami* fere capillares, scabri, quaterni, terni, oligostachyi. *Glumae* 6-7 lin. longae, lanceolatae, setaceo-acuminatae, trinerves, scabrae, in medio purpurascens; superior paulo longior et angustior. *Flosculus* cum stipite dense sericeo 3 lin. longus, apice truncatus pilisque erectis coronatus, pubescens. *Arista* 2³/₄ poll. longa, valida, curva et recurva, compressa, inferne torta et pubescens pilis brevibus erecto-patulis, albis. 2.

4. **Stipa elegantissima** Labill. aristis nudis, pedicellis plumosis. Labill. Fl. Nov. Holl. I. pag. 23. t. 29. R.Br. Prodr. pag. 175. Opp. ed. N. ab E. III. I. pag. 31. n. 5. Kunth. En. I. pag. 183. n. 34.

*) **Stipa laeviculmis** N. ab E. aristis nudis in medio infractis perianthio pubescente sexies longioribus gracilibus, glumis linearibus setaceo-acuminatis flosculo 4 lin. longo paulo longioribus, inferiori paulo minori, panicula contracta, foliis convoluto-filiformibus vaginis culmoque laevibus, inferioribus elongatis, nodis canescenti-scabris, ligula brevissima.

In insula Van Diemen?

Differt a *Stipa erinita* Gaudich. habitu laxiori, neque probabiliter caespitoso, culmo apice longo tractu nudo, vaginis internodiis brevioribus, apice dehiscentibus convolutis que ad ortum folii cucullato-dilatatis glabris laevibus, foliis inferioribus fere pedalibus vaginis totis dehiscentibus, supremis minimis (omnibus laevibus arcte filiformi-involutis teretibus sulculoque paginae superioris notatis glaucis, spiculis etiam minoribus scil. gluma inferior 4 lin., superior 5 lin. longa est, illi 7 lin. longa est utraque; contra haec vero flosculus est 4 lin. longus, qui illi vix 3 lin. longus est, cum arista 2¹/₄-2¹/₂ linearum multo fortiori scabridoque-pubescente. 2.

Var. β culmo ramosissimo, panicula patentissima, spiculis aristisque paulo minoribus.

In colliculis arenosis insulae Carnac, Nov. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1832 et 1847.

Glumae in forma communi 5-5½ lin. longae, arista 15-16 lin. longa; in hac Var. *glumae* 4 lin., arista 12 lin. longae. 4.

Tribus 10. ORYZEAEE N. ab E. in Lindl. Syst. ed. 2. pag. 381. Endl. gen. pag. 78.

TETRARRHENA R.Br.

Endl. gen. n. 737. Meisn. gen. pag. 414. (317.)

1. **Tetrarrhena laevis** R.Br. floribus glabris distinctis, glumis nervosis acutiusculis, perianthiis obtusis enerviis laevibus, culmis simplicibus, foliis glabris planis laxiusculis. Brown Prodr. pag. 210. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 66. n. 4. Kunth. En. I. pag. 16. n. 4.

In solo limoso inter frutices ad latus meridionali-occidentale montis Clarence, Dec. a. 1840. et in regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis Nov. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1845.

Folia *glabra* quidem, i. e. pilis orbata, sed scaberrima sunt. Scil. cl. R. Brown, ut a prima specie (*T. distichophylla*), foliis vaginisque *pilosis* praedita, 3 subsequentes distingueret, simpliciter *glabra* dixit esse folia; „glabrum“ enim „piloso“ contrarium est, neque vero „scabro“. — Nomen triviale „*laeve*“ ad valvulas neutras laeves respicit. 4.

Tribus 11. PAPPOPHOREAE N. ab E. in Lindl. Syst. ed. 2. pag. 381. Endl. gen. pag. 91.

AMPHIPOGON R.Br.

Endl. gen. n. 827. Meisn. gen. pag. 421. (322.)

1. **Amphipogon laguroides** R.Br. capitulo globoso, glumis hispidis pilis basi dilatatis, valvula exteriori acumine suo duplo longiore. Brown Prodr. pag. 175. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 31. n. 1. Kunth. En. I. pag. 252. n. 1.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis. Nov. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1849.

Glumae apice subulatae, pilis basi bulbosis, patulis vestitae. 4.

2. **Amphipogon cygnorum** N. ab E. capitulo subgloboso, glumis (a medio) hispidis pilis basi dilatatis (bulbosis), valvula inferiore laciniis suis plusquam duplo brevioribus.

In arenosis ad flumen Cygnorum. Herb. Preiss. No. 1851.

Differt ab *Amphipogone laquiroide* statura altiore et setis (violaceis) flosculi multo longioribus. *Folia* anguste linearia, convoluta, superiora subinde plana, glabra, apicem versus decrescientia. 4.

3. **Amphipogon gracilis** N. ab E. spica oblonga, glumis oblongis, acutis, integris, perianthio longioribus, valvula inferiore in dorso basin versus sericeo-bivittata, aristis patentibus ciliatis.

In rupestribus ad tergum montis Currie, York, Apr. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1831.

Specimina exoleta neque ea igitur tuto definienda. *Culmi* filiformes, graciles, pedales. *Folia* subulata, glabra. *Spica* oblonga, semipollicaris vel paulo longior. *Flosculi* uno excepto, in nostris jam excussi; is vero omnino est hujus generis; valvula inferior vittis duabus argenteo-sericeis notata. *Subulae* apicis longitudine valvulae, divergentes, ciliatae. 4.

GAMELYTHRUM N. ab E.

Gluma uniflora, bivalvis, subaequalis, valvis (s. glumis) basi attenuatis in tubum brevem connatis. *Flosculus* bivalvis, stipitatus, valvulis basi in tubum (sericeum) connatis membranaceo-marginatis convolutis: inferiori trifida, superiori bifida utriusque laciniis aristatis setaceis similibus adjecta utrinque lacinula brevi membranacea lanceolata a margine valvulae membranaceo proficiscente. *Lodiculae* angustae, truncatae. *Stamina* tria, basi connata. *Styli* duo, discreti. *Ovarium* glabrum, lanceolatum. *Spiculae* capitatae.

Gramina caespitosa, rhizomate repente, squamoso. *Culmi* simplices, inferne vaginati aphylli, in medio densifolii, apice decrescenti-microphylli. *Capitulum* terminale, (in speciebus cognitis turbinatum), *spiculis* exterioribus sterilibus involucrum formantibus. *Spiculae* magnae, brevipedunculati. *Glumae* et flosculus fere ut in *Amphipogone*, sed basi angustata tubulosa in pedicellum abeuntes. *Flosculus* teres.

1. **Gamelythrum turbinatum** N. ab E. glumis apicem versus hirsutis. —

Amphipogon turbinatus R.Br. Prodr. pag. 175. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 31. n. 2. Kunth. En. I. 252. n. 2?

In solo limoso calcareo haud procul a praedio rustico Bassandeen, Perth, Nov. a. 1839. et in arenosis sylvae prope Pine-Apple, Perth, Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1830.

Culmi pedales. *Folia* convoluta-setacea, rigida, incurva, scabriuscula: os vaginae barbatum altero latere lobulo brevi auctum. *Glumae* 6 lin. longae, cuneiformes, cuspidatae, apicem versus pilosae, pilis erectis basi haud bulbosis. *Stipes* flosculi sericeus. *Flosculus* basi subpubescens setis brevior. *Antherae* purpureae. 4.

2. **Gamelythrum denudatum** N. ab E. glumis (praesertim involucralibus) apicem versus scabris.

In districtu Grantham, Mart. a. 1841. (specimina abortiva). Herb. Preiss. No. 1852.

Simile praecedenti, differt foliis (ut in illo incurvis) laxè lanuginosis: lobulo vaginae vix conspicuo, et glumis haud hirsutis sed solummodo sca-

bris. — In nostris speciminibus *spiculae involucales* sterilesque plurimae adsunt acumine longo setaceo praeditae, apice purpurascens. *Spiculae centrales* omnes abortivae, pallidae, glumis membranaceis tenuibus minus acuminatis plerisque laceris, flosculis vel nullis omnino vel rudimentariis. De genere autem non est quod dubitemus. 4.

DIPLOPOGON R.Br.

Endl. gen. n. 828. Meisn. gen. pag. 421. (322.)

1. **Diplopogon setaceus** R.Br. gluma uniflora, bivalvis, laxa, membranacea, aristata. Perianthium bivalve, valvula exterior apice triaristata, arista intermedia dissimili tortili: interior biaristata. Spica capituliformis. 4. Brown Prodr. pag. 176. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 32. Kunth. En. I. pag. 253.

In turfosis humidis inter frutices densos ad radices montis Melville, Oct. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1853.

Tribus 12. CHLORIDAE N. ab E. in Lindl. Syst. ed. 2. pag. 381. Endl. gen. pag. 92.

CYNODON Rich.

N. ab E. Fl. Afr. austr. illustr. 1. pag. 241.

Endl. gen. n. 836. Meisn. gen. pag. 422. (322.)

1. **Cynodon Dactylon** Pers. culmis repentibus compressis, foliis distichis tuberculato-hirtis, ligula ciliata, spicis digitatis binis quaternis, gluma inferiore flosculo tertia parte superiore eodem quarta parte brevioribus, apice subulatis, valvula inferiore in dorso nudiuscula vel subciliata, rudimento clavato. ☉. N. ab E. Gram. Eklon. in Linn. 7. 3. pag. 300. n. 1. Fl. Afr. austr. illustr. l. c. R.Br. Prodr. pag. 187. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 43. n. 1. Kunth. En. I. pag. 259. n. 1.

In arenoso-turfosis secundum flumen Cygnorum, Dec. a. 1838. Herb. Preiss. No. 1844.

Tribus 13. AVENEAE N. ab E. in Lindl. Syst. ed. 2. pag. 382. Endl. gen. pag. 95.

ERiachNE R.Br.

N. ab E. Fl. Afr. austr. illustr. 1. pag. 273.

Endl. gen. n. 869. Meisn. gen. pag. 423. (324.)

1. **Eriachne Preissiana** N. ab E. panicula contracta, spiculis oblongis, glumis novem-undecimnerviis asperiu-

sculis, valvula inferiore subulato-acuminata superiorique bidentula basi hirsutis, culmi nodis vaginis foliisque glabris.

In rupestribus ad latus meridionale montis *Brown*, York, Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1838.

Poam alpinam refert, et certo hae species australes Poëis adscribendae, ab Aroideis illis speciebus Promontorii bonae spei longe distantes. *Culmus* pedalis, bi-trinodis, ad nodos contractus et geniculatus et glaber. *Vaginae* internodio duplo breviores, striatae, ore pilosae. *Ligula* brevissima. *Folia* convoluta, glabra; infima culmo paulo breviora, superiora 3-2 poll. longa. *Panicula* 1-1½ poll. longa, densa, oblonga. *Axis* pilosus. *Spiculae* fere ovaes, 4 lin. longae. *Glumae* 3-lineales, purpureae. *Flosculi* flavi; valvula inferior eximie subulato-acuminata, apice submucroniformia, basi infra medium ad usque dense hirsuta; superior aequae longa, basi utrinque hirsuta, apice bimucronata. 4.

Adnot. Distinguo ab *Eriachne brevifolia* R.Br. propter nomen a foliis brevioribus (scil. illis *Eriachnes mucronatae*) probabiliter derivatum, quippe cujus folia minime hujus foliis longiora sint. An potius *E. laevifolia* loco *brevifolia* legendum.

DANTHONIA De C.

N. ab E. Fl. Afr. austr. illustr. 1. pag. 280.

Endl. gen. n. 871. Meisn. gen. pag. 423. (324.)

1. **Danthonia varia** N. ab E. panicula coarctata lanceolata, spiculis 5-6-floris gluma scabriuscula brevioribus, flosculi valvula inferiori basi medioque barbata, serie vilorum superiori in fasciculis 7 dispositorum valvulam a basi ad sinum aequante, aristis lateralibus valvula longioribus intermedia dimidio minoribus, foliis planis scabris, vaginis glabris ore barbatis. N. ab E. in Gram. Drumm.

In arenosis juxta oppidum Perth, Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1834. (ex parte.) — Ad flumen Cygnorum Drummond.

Danthoniae semiannulari R.Br. similis, differt foliis haud setaceo-convolutis, ore patenti-barbatis, panicula crassiori, spiculis majoribus cum aristis pollicem longis, glumis 9 lineas metientibus purpureo-pallidoque variis, arista longiori.

2. **Danthonia setacea** R.Br. racemo subsimplici, spiculis 4-floris gluma laevi acuta brevioribus, perianthii valvula exteriori basi medioque barbata, serie superiore vilorum valvulam subaequante, aristis lateralibus valvula longioribus, foliis culmisque setaceis. Brown Prodr. pag. 177. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 33. n. 6. Kunth. En. I. pag. 313. n. 9.

In arenosis juxta oppidum Perth, Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1834. (ex parte, cum praecedentis specimine.)

Os vaginae patenti-barbatum. *Spiculae* quadriflorae flosculo terminali tabescente. *Glumae* 7 lin. longae, scabriusculae. *Valvula* inferior usque ad ortum aristae lin. 1½, usque ad apicem subularum lateralium 4 lin., usque ad aristae apicem 7 lin. metiens, ad insertionem brevibarbulata, hinc

pubescens, ad sinum cingulo pilorum lin. 1½ longorum, haud fasciculorum instructa. *Arista* infra genu flava. 4.

3. **Danthonia caespitosa** *Gaudich.* culmis caespitosis simplicibus, vaginis foliisque convoluto-setaceis glabris, panicula simplici spicaeformi, spiculis sexfloris, glumis angustato-acutatis glabris flosculos duplo superantibus, valvula inferiore novemnervi apice bifida et triaristata, inferne triplici serie pilorum per fasciculos dispositorum valvulam subaequantium barbata, aristis (setis) lateralibus rectis, intermedia longissima inferne spiraliter torta. *Gaudich.* in *Freycin. it. Bot.* pag. 408. *Kunth. En. I.* pag. 313. n. 12. *Rev. Gram. II.* pag. 525. t. 177.

In solo humoso ad flumen Serpentine, Wellington, Dec. a. 1839. *Herb. Preiss.* No. 1859.

Cum *D. semiannulari* R.Br. conjungi jubet cl. *Trinius* in *Act. Petrop.* a. 1836. VI. Ser. IV. p. 33. Satis autem differt spiculis viridibus margine pallidis majoribus, fasciculis pilorum valvulae brevioribus laxioribus, superioris seriei sinum parum superantibus, laciniarum lateralium setis valvula duplo longioribus (valvula 2¼ lin., setis per se 5 lin. longis), arista fortiori, 8 lin. longa, basi saturate purpurea, apice alba. — *Panicula* angusta, fere linearis. 4.

Variat, a *culmo stricto elongato, panicula densa multiflora;*
 3 *culmo gracili panicula (seu racemo) pauciflora.*

Tribus 14. FESTUCEAE N. ab E. in *Lindl. Syst.* ed. 2. pag. 382. *Fl. Afr. austr. illustr.* 1. pag. 367. *Festucaceae* *Endl. gen.* pag. 98.

Subtribus I. **POEAE** N. ab E. l. c.

POA (Linn.) *W. Arn. et N. ab E. Fl. Ind. or. ined.* N. ab E. *Fl. Afr. austr. illustr.* 1. pag. 377.

1. **Poa homomalla** *N. ab E.* panicula angusta, ramis alternis a medio florentibus, ramulis spiculisque subsecundis, pedicellis spicula brevioribus crassiusculis, spiculis subtrifloris oblongis, glumis laeviusculis acutis glabris, perianthii valvula inferiori quinquecostata nervo dorsali inferius sericeo-scabro, culmo stricto compresso, foliis angustis planis, vaginis ancipitibus striatis, ligula exserta, caryopsi valvulis adhaerente.

In solo sublimoso vallis Toodyay-valley Mart. a. 1840. cum fructu maturo. *Herb. Preiss.* No. 1829.

Gramen pedale et altius. *Culmi* plures ex una radice, simplices. *Vaginae* striatae, valde compressae. *Ligula* sat conspicua, ovata, obtusa. *Folia* lineam l lata, margine scabra. *Paniculae* 1-2-pollicaris rami erecti, flexuosi, rigiduli, inferne ramulo 1-2 secundo brevi, apicem versus simplices. *Spiculae* lin. l longae, in fructu pallidae, biflorae, nonnullae cum ru-

dimento flosculi tertii. *Valvula* utraque obtusiuscula, caryopsi rufae arcte cohaerens. 4.

Sclerochloris accedit, imprimis quod ad caryopsin cohaerentem.

2. **Poa porphyroclados** *N. ab E.* paniculae contractae ramis inferne simplicibus scabris, spiculis quadrifloris oblongis coloratis, glumis scabris, flosculorum valvula inferiori distincte quinquenervia obtusiuscula carina puberula basi lanata, foliis setaceo-convolutis strictis scabris culmo brevioribus glaucis, ligula brevissima, radice repente?

In Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 1820. — Ad flumen Cygnorum. Drummond, in herb. Lindl.

Poam australem diceret, si verba Browniana, neque citatam a Brownio iconem Billardieram spectes, sed deest certa auctoritas. Proxima sane est *Poae Sieberianae*, sed distincta lana complicata satis longa ad basin flosculorum et carina valvulae inferioris puberula. Glauca. *Culmus* sesquipedalis, binodis. *Vaginae* caulinae apice dehiscentes, convolutae, ore membranaceo-bilobae nec barbatae. *Folia* tenuia, stricta. *Panicula* 9-10 pollices longa. *Rami* 2-4, chalybaei, scabri, citra medium simplices.

3. **Poa nodosa** *N. ab E.* paniculae contractae ramis 3-4 filiformibus scabris inferne longo tractu nudis, spiculis ovali-oblongis quadrifloris, pedicellis spicula subduplo brevioribus, valvula infera flosculorum distincte nervosa ad carinam et latera inferne villosula apice scariosa obtusa denticulata, ligula ovata exserta, foliis elongatis complicatis scabris, radice repente nodosa.

In arenosis sylvae prope Lime-Kiln, Nov. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1852.

Differt a *Pois plebeiae* et affini R.Br. ligula exserta grandiuscula. radice nodosa ut in *Phleo nodoso*, spiculis paulo majoribus, valvulis apice non modo scariosis sed etiam denticulatis. 4.

4. **Poa plebeia** *R.Br.* panicula effusa, spiculis 5-6-floris lanceolatis, glumis scabris, perianthii valvula exteriori carina marginibusque basi lanatis, foliis planiusculis supra scabris subtus vaginisque laevibus, ligula brevissima. Brown Prodr. pag. 179. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 35. n. 3. Kunth. En. I. pag. 358. n. 208. Sieb. Agrostoth. n. 75.

In littore arenoso ad portum Princess-Royal-Harbour, Nov. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1860.

5. **Poa affinis** *R.Br.* panicula subeffusa, spiculis 4-5-floris lanceolatis, glumis scabriusculis, perianthii valvula exteriori basi lanata, foliis planis paginis laevibus, ligula brevissima. Brown Prodr. pag. 179. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 35. n. 4. Kunth. En. I. pag. 358. n. 209. (fide speciminis Herbarii Endlicheriani.)

In arenosis insulae Rottennest, Aug. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1857.

Radix repens. *Culmi* graciles, laxi, compressi, basi subinde repentes. *Folia* laxa, setaceo-involuta, cum vaginis laevia, culmum pedalem aequantia. *Ligula* pubescens. *Paniculae* rami 4-2, scabri. *Pedunculi* breves. *Spiculae* trilineares, oblongae, obtusae, 4-florae, pallidae. spiculis *Poae ple-*

beiae similes, sed flosculi basi lana complicata spissiori praediti; valvula inferior dorso et margine ad basin laxè puberula, obtusa, apice scarioso-alba.

An haec vera *Poa laevis* R.Br.? Id si verum esset, Triniana illa: „culmo stricto, foliis stricto-involutis glaucis, radiis laevibus“, e synonymis foret eliminanda. Certo cl. Brownius folia et vaginas tantum, nec ramos paniculae, *laeves* perhibet in *Poa laevi*.

6. **Poa serpentum** N. ab E. panicula effusa (vel etiam contracta et angusta), spiculis 4-5-floris lanceolatis, glumis scabris, flosculis basi carina et margine glabris liberis, valvula exteriori apice scariosa truncato-obtusa, foliis angustis planiusculis demum convolutis culmum aequantibus, ligula brevissima.

In solo humoso ad flumen Serpentine, Wellington, Dec. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1855.

Quod ad habitum *Poae plebeiae* accedit, sed differt flosculis lana et pube omnino destitutis, quo caractere quidem *Poae Sieberianae* Kunthii affinis est, sed diversissima foliis multo longioribus neque setaceis, spiculis vix laevissima purpura hinc inde afflatis et flosculorum valvula inferiori haud acuta. — *Radix* probabiliter repens. *Culmus* 2-pedalis, obliquus, laevis. *Paniculae* rami 4-2, scabri, a medio florentes. 4.

7. **Poa Sieberiana** Spr. paniculae nutantis ramis flexuosis scabris, spiculis coloratis, flosculis liberis remotiusculis obsolete quinquenervibus acutiusculis carina scabris, foliis filiformibus angulatis, ligula nulla. 4. Spreng. Cur. post pag. 35. Kunth. En. I. pag. 357. n. 206.

Poa implexa Trin. in Act. Petrop. VI. 1. pag. 388.

Poa australis N. ab E. in Sieb. Agrostoth. n. 77. 4.

Var. *spithamaea*, cum forma communi.

In Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 1821.

ERAGROSTIS P. de Beauv.

N. ab E. Fl. Afr. Austr. illustr. 1. pag. 382.

1. **Eragrostis falcata** Gaud. culmis fasciculato-caespitosis simplicibus, vaginis foliisque subulatis involutis striatis scabris, ligula abbreviata laciniato-ciliata, panicula simplici diffusa, spiculis linearibus teretiusculis subfalcatis 12-16-floris, valvula exteriori obtusa glabra. Gaudich. in Freyc. it. Bot. pag. 408. t. 25

Poa falcata Kunth. En. I. pag. 339. n. 89.

Var. panicula racemosa ramis brevissimis, inferioribus spicatis vel fasciculatim di-tristachyis, superioribus simplicibus.

In solo sublimoso montis Toodyaykatta, Victoria, Mart. a. 1841. Herb. Preiss. No. 1835.

Nimis cum forma a Gaudichaudio l. c. exhibita congruit, quam quae distincta species habeatur, licet habitu sit alieno propter paniculae ramos patentes quidem at breves, subsecundos, inferiores raro spicifloros saepe

tantum fasciculatim di-tristachyos. — *Spiculae* sessiles (nisi quae terminales sunt), omnino ut in specie adnotata.

Culmi dense caespitosi e rhizomate crasso, spithamei, plerique simplices, subinde ramosi. *Folia* glauca $1\frac{1}{2}$ - $\frac{1}{2}$ poll. longa, striata, scabra, plana vel convoluto-setacea. *Spiculae* luteo-pallidae. 4.

BRIZA Linn.

N. ab E. Fl. Afr. austr. illustr. 1. pag. 414.

Endl. gen. n. 883. Meisn. gen. pag. 424. (325.)

1. **Briza virens** Linn. panicula tremula densiflora, spiculis ovato-triangularibus (viridibus basive purpurascentibus) quinque-septemfloris, glumis flosculos proximos aequantibus, valvula inferiore glabra in disco tuberculata, foliis scabris, ligula elongata intra vaginam alte decurrente, radice annua. N. ab E. Fl. Afr. austr. illustr. pag. 414. n. 1. Gram. Eckl. in Linn. 7. pag. 327. n. 2. Eckl. Herb. Cap. un. itin. n. 962. Kunth. En. 1. pag. 372. n. 6. Trin. in Act. Petrop. VI. 1. pag. 362. Linn. sp. pl. pag. 103.

In arenosis ad flumen Cygnorum. Herb. Preiss. No. 1823.

Briza minor Linn. laevis varietas est, vix varietas dicenda, *Brizae virentis*, minime autem haec est varietas *Brizae mediae*, quae species est perennis.

Subtribus 4. BROMEAE N. ab E. l. c.

VULPIA Gmel.

Link. Hort. Berol. 1. pag. 146. N. ab E. Fl.

Afr. austr. illustr. 1. pag. 440.

§. 2. Spicatae N. ab E.

Habitu *Agropyri*, sed spiculis margine rhachi adversis structurae *Vulpiae*.

1. **Vulpia rectiseta** N. ab E. gluma inferiore duplo brevior, flosculis (7-9) lanceolato-linearibus margine serrulato-scabris, aristis rectis, foliis linearibus supra hirsutis. 4.

In Australia occidentali. Herb. Preiss. No. 1819.*)

*) Addimus reliquas nobis cognitae.

1. **Vulpia Browniana** N. ab E. gluma inferiore paulo brevior, flosculis (7-9) lanceolato-linearibus margine serrulato-scabris, aristis demum recurvo-patentibus, foliis linearibus scabris.

Triticum scabrum R.Br. Prodr. pag. 178. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 34. n.

1. Kunth. En. I. pag. 447. n. 53.

Ad port. Jackson et in insula Van Diemen R.Br. In insula Van Diemen George Everett Esq. 1839. in Herb. Lindl.

BROMUS Linn.

N. ab E. Fl. Afr. austr. illustr. 1. pag. 450.

Endl. gen. n. 900. Meisn. gen. n. 424. (324.)

1. **Bromus arenarius** R.Br. villosus, panicula patula, spiculis 5-floris. ☉. Brown Prodr. pag. 178. Opp. ed. N. ab E. III. 1. pag. 34. n. 2. Kunth. En. I. pag. 418. n. 40.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, Oct. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1828.

β **major** spiculis 5-6-floris, paniculae magis nutantis ramis plerisque monostachyis, majoribus 2-3-stachyis. ☉. —

Bromus australis R.Br. l. c. n. 1. Kunth. En. l. c. n. 39.

Bromus arenarius Labill. Fl. Nov. Holl. I. pag. 23. t. 28.

In arenosis insulae Rottennest, Aug. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1839.

LYCOPODIACEAE DC.

(Auctore G. KUNZE.)

LYCOPODIUM Linn. Endl. gen. n. 696.

I. SELAGO. Oophoridia nulla. LYCOPODIUM Spring. in Endlicher et Martius Flora Brasiliensis I. 1. pag. 110. et Monographie de la famille des Lycopodiacees I. (in Mémoir. de l'Acad. roy. de Bruxelles XV.) p. 17.

1. **Lycopodium serpentinum** Kunze. caule repente, adpresso, flexuoso; ramis biformibus: sterilibus subfurcatis, flexuosis, apice curvatis, confertim foliatis; fertilibus simplicibus, erectis, laxius foliatis, monostachyis; foliis suberectis, ad apicem ramorum homomallis, lanceolato-subulatis, obsolete uninerviis, margine cartilagineo remote serrulatis, apice curvulo bi-tri-dentatis, spica sessili, in-

-
2. **Vulpia scabra** N. ab E. gluma inferiore paulo brevior, flosculis (5-7) lanceolatis margine laevibus, aristis demum recurvis, foliis augustissime linearibus scabris infimis ciliatis.

Festuca scabra Labill. Fl. Nov. Holl. I. pag. 22. t. 26.

In insula Van Diemen. Labillardière; Gunn Dec. 1837. No. 993.

Culmi adscendentes, laxiores quam praecedentis. 4.

An Varietates ejusdem speciei?

crassata; squamis foliaceis, ovato-acuminatis, dense spinuloso-serratis; sporangiis prope ad basin hiantibus.

In solo turfoso-humido planitiei prope oppidulum Albany, Plantagenet, Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1881.

Habitu species *L. inundato* L. affinis; sed characteribus diversissima, in hemisphaera australi illius vices agere videtur.

II. **SELAGINELLA.** Oophoridia 3-4-cocca. *Selaginella* Spring. in Fl. Bras. l. 1. pag. 117.

2. **Lycopodium gracillimum** Kunze. caule annuo, stricto, subsimplici; foliis remotis, oppositis, squarrosis, lineari-lanceolatis, acuminatis, obsolete uninerviis, integerrimis; spica terminali, sessili, oblonga: squamis ovato-lanceolatis, squarrosis; sporis lutescentibus.

Lycopodium (*Selaginella*) *gracillimum* Kunze: die Farrnkräuter, continuatio Schkubrii t. 100. f. 2. (adhuc inedita).

In depressis turfosis umbrosis sylvae prope vicum Perth, Nov. 1839. Herb. Preiss. No. 1882.

Magnitudine et habitu *L. pygmaeo* Kaulf., plantae capensi, non minus annuae, simile. Haec vero differt: foliis alternis, latioribus, ovatis s. ovato-lanceolatis, apice subulato recurvis, nervo crassiori subtus carinatis sporisque croceis.

POLYPODIACEAE Endl.

(Auctore G. KUNZE.)

NOTHOCHLAENA R.Br. Endl. gen. n. 614.
Meisn. gen. pag. 432. (332.)

1. **Nothochlaena distans** R.Br. fronde subcoriacea, imprimis ad nervos venasque setoso-hirsutissima, lineari-lanceolata, bipinnata; pinnis oppositis, remotis, subsessilibus, erecto-patentibus, ovato-triangularibus, obtusis; pinnulis ovato-oblongis, inferioribus incisis; rhachi valida stipiteque brevi rufo-brunneis, nitidis, setoso-paleaceis: rhizomate denso, horizontali. — Brown prodr. (ed. Neesii) I. p. 2. Labillardière! sert. austro-caledon. pag. 5. t. 8. (mediocris).

N. pumila hort. Angl. Link. fil. spec. h. r. Berol. p. 146.

Inter rupium rimas montium Brown et Hardy, York, Apr. 1840. Herb. Preiss. No. 1302. (Ad fluv. Cygnor. J. Drummond.)

Filix teste Sweet (hort. brit. ed. Don. p. 754.) a. 1823 in hortos Angliae introducta. *N. pumila* horti reg. Berolinens. specimina minuta speciei distinctissimae sistit.

Obs. Non abs re esse puto, h. l. aliam generis speciem inter satas filicum Preissianarum sporas casu ortam, et nuperrime in ind. sem. horti botan. Lipsiensis a. 1845 descriptam commemorare et phrasin l. l. datam hic repetere. Est illa:

Nothochlaena canescens mihi: fronde subcoriacea, supra viridi, pilosa, subtus cano-tomentosa, oblonga, obtusiuscula, subtripinnata; pinnis suboppositis, pari infimo remoto, brevi-petiolatis, erecto-patentibus, inaequaliter triangulari-ovatis, obtusis; pinnulis oblique ovato-oblongis, infimis deorsum elongatis, secundariis decurrentibus; rhachi universali valida, secundariis, stipiteque brevi fuscis, dense paleaceis; rhizomate brevi, repente. — *N. hirsutae* Desv. (*sulcatae* Lk.) affinis; sed magis divisa, subtus cana, rhachibus stipiteque dense paleaceis distincta.

GYMNOGRAMME Desv.

Endl. gen. n. 606. Meisn. gen. pag. 430. (330.)

1. **Gymnogramme rutaefolia** Hook. et Grev. fronde subcoriacea, hirsuto-pubescente, oblonga s. elliptica, obtusissima, pinnata; pinnis trapezio-ovatis, obovatisque, basi cuneatis, integris incisive, inferioribus petiolatis, remotis, summis confluentibus; rhachi, stipiteque brevi flexuosis, hirsutis; rhizomate caespitoso. Hook. et Grev. icon. filic. t. XC.

Grammitis rutaefolia R. Brown prodr. l. l. pag. 2.

Inter rupium rimas montium Brown et Hardy, York, Apr. 1840. Herb. Preiss. No. 1303. (Prius in Tasmania a Brownio et Fraserso lecta.)

Specimina collecta filicis adhuc rarissimae Fraserianis plus duplo majora, 3-4-pollicaria. Proxime accedit *G. subglandulosa* Hook. et Gr. (l. l. t. XCI.); quae vero pinnis inciso-pinnatifidis et indumento glanduloso-pubescente facile distingui posse videtur. Utraque a cl. *Prestio* in pteridographiae tentamine ommissa. — Sporae a cl. *Preissio* allatae in horto botan. Lipsiensi vere 1843 germinaverunt; plantae insequente anno fructus protulerunt. Specimina hortensia parcius hirsuta et minora quam spontanea.

ASPLENIUM Linn.

Endl. gen. n. 630. Meisn. gen. pag. 433. (333.)

1. **Asplenium flabellifolium** Cav. fronde membranacea, glabra, lineari, pinnata; pinnis subsessilibus, divergentibus, flabellatis, rhombeisve, antice crenato-dentatis; rhachi laevi, flexuosa, apice nuda (prolifera); stipite brevi, fusco; rhizomate caespitoso. Swartz syn. fil. pag. 81 et 273. t. I. f. 2. R.Br. prodr. l. l. p. 6. Hooker exot. flora t. 208. Link. fil. spec. h. r. Berol. pag. 90. Sieber syn. fil. n. 121.

In fissuris rupium montis Wuljenup, Plantagenet, Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1309.

Specimina plantae, jam 1825 sec. Sweet in hortos introductae, minora, vix quadripollicaria, rhachi saepe media, nec apice tantum gemmifera.

2. **Asplenium furcatum** *Thunb.* fronde coriacea, hirsuta, oblongo-lanceolata, acuta, bipinnata, s. bipinnato-pinnatifida; pinnulis acutis obtusisve, antice dentato-incisis; rhachibus stipiteque brevi badiis, plus minus paleaceis; rhizomate brevi, horizontali. *Thunberg fl. capens. ed. Schultes. pag. 735.*

A. fragrans Schkuhr *Farrnkräut. t. 130^b.* *A. praemorsum* R. Brown *prodr. l. l. p. 6.* Kunze *recens. fil. capens. Linnaea X. 1836. p. 519. (excl. forsan A. praemorso Sw.)* Link *l. l. p. 96.*

Var. stenophylla glabrescens.

In rupestribus umbrosis montium Wuljenup et Clarence, Plantagenet, Oct. 1840. *Herb. Preiss. No. 1301.*

Plantae, in orbe terrarum late diffusae, specimina australia a forma *stenophylla capensi* certissime non diversa. Rhachis et stipes supra basin fere glabri.

PTERIS Linn.

Endl. gen. n. 622. Meisn. gen. pag. 432. (332.)

1. **Pteris esculenta** *Forster.* (*Ornithopteris* J. Ag) frondis ter pinnatae pinnis pinnulisque ovato-triangularibus, subpinnatisectis; laciniis linearibus, obtusis, distantibus, decurrenti-auriculatis, auricula adultioribus interposita, subdiscreta, angusta, sinibus biangulatis; rhachibus costisque glabris, basi nodoso-articulatis, inter lacinias flexuosis. J. Agardh *recens. specier. gen. Pteridis pag. 45. (c. synonymis).* Sieber *syn. fil. n. 127. fl. mixta n. 270.*

In humidis umbrosisque ad ripam fluvii Cygnorum prope oppidulum Perth, Jan. 1839. *Herb. Preiss. No. 1300.*

P. caudata L., quacum nuperius cl. A. Richard nostram conjunxit, differt, ut cl. J. Agardh bene monet, defectu lobuli lacinae interjecti. Filix in hortos Anglorum teste Sweet jam a. 1815 introducta. In insulis Philippinis nostram legit H. Cuming. (in herb. proprio absque numero.)

CHEILANTHES Swartz. *Endl. gen. n. 618.*

Meisn. gen. pag. 432. (332.)

1. **Cheilanthes tennifolia** *Sw.* fronde coriacea, glabra, triangulari-ovata, oblongave, subtripinnata; pinnis infimis remotioribus, deorsum elongatis; pinnulis oblongis, incisis pinnatifidisve; soris discretis, demum confluentibus; rhachibus, stipiteque valido, versus basin paleaceo-ebeneis; rhizomate repente. Swartz *syn. fil. pag. 129 et 332. R. Brown*

prodr. l. l. pag. 11. Schkuhr l. l. t. 125 (bona) Lesson et Richard voy. de l'Astrolabe, botanique I. p. 83. (non Link).

Var.? *contracta* Kze. fronde oblonga, tripinnata; pinnis erectiusculis; pinnulis minutis, ovato-oblongis obovatisve, crenatis; rhachibus stipiteque purpurascens.

In arenosis umbrosis sylvarum ad fluvium Cygnorum, Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1307. (Drummond No. 999.)

Specimina, soris juvenilibus et fronde tenuiori praedita, non nisi notis supra indicatis a forma normali differunt et cum Drummondianis conveniunt. Num filix a *C. tenuifolia* Sw. specie distingui possit, ulterior observatio docebit. Adhuc eam ut varietatem proponere satius duxi. De *C. tenuifolia* Lk. vid. infra *C. Sieberi*.

2. **Cheilanthes Preissiana** Kunze. fronde coriacea, glabra, breviter oblonga, bipinnato-pinnatifida s. tripinnata; pinnis triangulari-oblongis, inferioribus adscendentibus, remotis; pinnulis laciniisve e basi cuneata ovatis (in fronde juniore culta trapezio-ovatis), obtusiusculis, incisis s. pinnatisectis; soris subcontinuis, indusiis demum inciso-laceris; rhachibus flexuosis stipiteque longiusculo purpurascens-ebeneis, paleaceo-villosis; rhizomate brevi, horizontali, fusco-paleaceo.

In rupestribus districtus York, Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1308. (In insula Bourou Labillardière; in Nova Zeelandia cl. Lesson).

Antea hanc plantam *Cheilanthis ambiguae* Rich. (l. l. p. 84.) varietatem credidi; sed nunc filicem eandem Lessonianam, quam ex amica manu Mératii acceperam, a Richardo neglectam, et *Ch. ambiguam* vix veram generis speciem esse, vero similis mihi videtur. Hanc nondum vidi.

Nostra habitu *Ch. tenuifoliae* Sw. haud absimilis differt: rhachibus pilosis, stipite longiori et soris continuis.

Soris Preissianis a. 1843 enata viget fertilis in horto bot. Lipsiensi.

3. **Cheilanthes Sieberi** Kunze. fronde membranacea, glabra, lineari-lanceolata, bipinnato-pinnatifida; pinnis erectis, remotis, abbreviatis, subtriangularibus, infimis longius petiolatis, oppositis; pinnulis oblongis, decurrentibus, inferioribus inciso-pinnatifidis, supremis sinuatis; soris discretis; rhachi stipiteque breviusculo purpureis, glabris; rhizomate repente, ramoso, parce paleaceo. Index sem. h. bot. Lips. a. 1839.

Ch. tenuifolia Link. spec. fil. h. r. Berol. p. 64. (excl. synonym.) *Ch. tenuifolia* Sieber syn. fil. n. 116. fl. mixta n. 250.

In rupium rimis ad montem Brown, York, Mart. 1839. Herb. Preiss. No. 1304.

A *Ch. tenuifolia* Sw. abunde differt: fronde membranacea, lineari-lanceolata, pinnis abbreviatis, triangularibus, stipite non nisi ima basi rufo-paleaceo et aliis. *Ch. rupestris* Wall, paullisper affinis, pinnis angustioribus longe acuminatis facile recognoscenda.

Cheilanthes tenuifoliam a. 1824. in horticulis Angliae receptam, ex horto r. Berolinensi originem duxisse reor.

LINDSAYA (*Lindsaea*) **Smith** **Endl. gen. n.**
642. Meisn. pag. 432. (332.)

1. **Lindsaya linearis** *Swartz.* fronde membranacea, glabra, lineari, apice attenuata, pinnata; pinnis suboppositis, sterilibus trapezio-ovatis s. subflabellatis, antice crenato-subincisis, fertilibus flabellatis revolutis, antice eroso-denticulatis sorophorisque; rhachi semitereti stipiteque brevi purpurascentibus; rhizomate *Swartz syn. fil. p. 118 et 318. t. III. f. 3. R. Brown prodr. l. l. p. 12. Kunze Farrenkr. l. p. 30. t. XVI. f. I. Sieber syn. fil. n. 118. fl. mixta n. 233.*

In arenosis sylvae ad latus septentrionale montis Melville, Plantagenet, Oct. 1841. *Herb. Preiss. No. 1306. (In Nova Zeelandia legit Lesson.)*

Rhizoma, adhuc nondum descriptum et in specimine viso defuit.

MUSCI **Dill.**

(Auctore **E. HAMPE.**)

I. ACROCARPI **Brid.**

FUNARIACEAE.

FUNARIA **Hedw. spec. pag. 172. Endl. gen. n. 556.**

1. **Funaria hygrometrica** *Hedw.* foliis perichaetialibus in gemmam conniventibus, subimbricatis, late-ovalilanceolatis, margine integerrimis, costa ad apicem usque producta, perigonalibus apice denticulatis: theca incurvo-pyriformi, striata, sicca plicata, in pedicello nunc superne nunc toto arcuata. *Hedw. spec. p. 172. Bruch et Schimper Bryol. europ. XI. p. 8. Tab. III. fig. 2.*

In solo humoso et arenoso planitiei et sylvae prope oppidulum Perth *Herb. Preiss. No. 2458, 2462 et 2469.*

β **calvescens** caule gracilescente ramoso, foliis comalibus patentibus margine flexuosi-undulatis, theca graciliori suberecta.

Funaria calvescens **Schwaeg. Suppl. I. P. 2. p. 77. Tab. 65.**

In solo arenoso sylvae ad fluvium Cygnorum, et in uliginosis turfosis exsiccatis ad lacum Dungumbur pr. Perth. *Herb. Preiss. No. 2443, 2446, 2450, 2160 et 2468.*

POTTIACEAE. Trib. Trichostomeae.

BARBULA Hedw. spec. pag. 115. Endl. gen. n. 535.

1. **Barbula ruralis** Hedw. dioica, procera, caespitosa; caule elongato, dichotome ramoso, laxe folioso, radiculoso, foliis squarroso-recurvis, valde concavo-carinatis, margine reflexis, obtusis, pilo cano, elongato, spinuloso terminatis; theca oblongo-cylindrica curvula, peristomio longo, tubuloso, pedicello vix basi tortili. Hedw. spec. pag. 121. Bruch et Schimper Bryologia europaea Fasc. XIII — XV *Trichostomeae* pag. 42 Tab. XXVII. fig. 3.

Ad flumen Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2456.

2. **Barbula laevipila** Bruch et Schimp. monoica, pulvinato-caespitosa; foliis oblongis et obovato-oblongis, vel subspathulatis, apice obtuso pilo hyalino, sublaevi, e costa rubella oriente instructis; theca ovato-cylindrica, curvula, dentibus compluries contortis, tubo ad tertiam peristomii partem producto, pedicello basi infima obsolete dextrorsum, caeterum tota longitudine sinistrorsum torto. Bruch et Schimper Bryologia europaea Fasc. XIII — XV pag. 40. Tab. XXV. *Syntrichia laevipila* Brid. meth. 98. Bryolog. univ. I. p. 586.

In ramis putrescentibus insulae Rottennest. Herb. Preiss. No. 2467.

3. **Barbula calycina** Schwaegr. caule brevissimo subramoso; foliis lanceolatis undulatis, calycinis elongatis vaginantibus; theca cylindrica, operculo subulato. Schwaegr. Suppl. II. pag. 63. Tab. 119.

In arenosis sylvarum ad flumen Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2457 et 2452 ex parte.

TRICHOSTOMUM Hedw. musc. frond. I. t. 27. Endl. gen. n. 529.

1. **Trichostomum cirrhatum** Hampe. caespitosum; caule basi radicante innovante, erecto, versus apicem accrescendo-folioso; foliis patentibus, elongato-lanceolatis carinatis, siccitate convolutis incurvo cirrhatis, nervo crasso continuo cuspidatis, integerrimis; seta gracillima; theca oblongo-cylindrica, erecta subaequali; operculo longe conico-subulato recto; dentibus peristomii longissimis fere usque ad basin partitis, puberulis, sparsim tuberculatis. Hampe Icones muscorum Decas III. n. 28. Tab. XXVIII.

Ad flumen Cygnorum in arenosis sylvarum. Herb. Preiss. No. 2452 ex parte.

Caulis ad basin luridus, superne laete viridis, 2-3 lineas longus; *seta* gracillima, concolor, dimidiam ad unam unciam fere longa; *operculum* subulatum, thecae dimidiam partem fere aequans.

Toto habitu et colore *Barbulam cirrhatam* aemulans. — *Trichostomo flavovirenti* et *T. Barbulae* proximum, a quibus differt: foliis angustioribus, elongato-lanceolatis nervo cuspidatis, totaque fabrica, cellulis laxioribus, ergo pellucidis; theca recta, operculo longissimo recto, dentibusque peristomii primitus strictis, longissimis, ad basin per paria connexis.

2. **Trichostomum Calcicola** Hampe. minus, caespitosum; caule brevi, recto, subsimplici; foliis erecto-patentibus, pellucidis, siccitate apice incurvis, demum tortis, inferioribus ovato-lanceolatis, superioribus longioribus lineari-lanceolatis, apice convolutis, integerrimis, obtusiusculis, nervo crasso continuo; vagina conspicua; theca anguste oblongo-cylindrica; operculo conico-subulato, recto, illa dimidio brevior; dentibus peristomii per paria arcte approximatis, filiformibus, longissimis, fere ad basin partitis, glaberrimis, albidis, inarticulatis. Hampe Icones muscorum Dec. III. n. 29. Tab. XXIX.

In rupibus calcareis prope oppidulum Freemantle, 14. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2455.

Inter minores generis; ab affinibus speciebus *Tr. curvifolio*, *convoluto*, *crispulo* et *flavovirenti* differt: foliis angustioribus pellucidis, dum istorum opaca vel inconspicua sunt. Quoad fabricam cum *Tr. cirrhato* convenit, sed duplo minus, e colore rufo-fusco, foliorum forma et peristomii dentibus angustissimis glaberrimis distat.

WEISSIACEAE.

THYSANOMITRIUM Schwaegr. suppl. II. pag. 61.

1. **Thysanomitrium introflexum** Hampe. caule erecto ramoso, foliis imbricatis e basi lata concava marginibus pellucida acuminato-lanceolatis, enerviis, piliferis, pedicellis madore flexuosis, thecae obovatae subaequilatae operculo conico.

Campylopus introflexus Bridel. Bryol. univ. I. pag. 472
Hedwig spec. muscor. Tab. 29.

In sylvis ad flumen Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2444, 2459, 2474

GRIMMIACEAE.

SCHISTIDIUM Brid. mant. 20. Bryolog. I. 113.

Endl. gen. n. 489.

1. **Schistidium ciliatum** *Brid.* caule adscendente ramoso, foliis imbricatis, ovato-lanceolatis, enerviis, apice cano denticulatis vel longe ciliatis, thecae ovatae immersae operculo planiusculo. *Brid. Bryol. univ. I. p. 116. Bryol. germanica I. Tab. VIII. f. 5.*

Ad montis rupes Clarence, sin. regis Georgii III. Herb. Preiss. No 2447.

GRIMMIA Ehr. Beytr. I. 176. Endl. gen. n. 490.

1. **Grimmia africana** *Arnott.* caule erecto ramoso, foliis oblongo-lanceolatis carinatis piliferis, pedicello arcuato, thecae demissae ovatae striatae operculo brevissimo, convexo apiculato. *Fissidens pulvinatus* β , *Africanus* *Hedwig Spec. musc. pag. 159. Tab. XL.*

In rupestribus montis Brown, York, Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 2463.

CALYMPEREAE.

CALYMPERES Swartz. in Link. Jahrb. t. 1.

Endl. gen. n. 521.

1. **Calymperes moluccense** *Schwaegr.* foliis lanceolatis obtusiusculis integerrimis, siccitate tortilibus, nervo mediocri apicem attingente. *Schwaegr. Suppl. II. Tab. CXXVII.*

In trunc. *Macrozamia Preissii* c. *Fabronia Hampeana* prope oppidulum Perth sine fructib. lectum. Herb. Preiss. No. 2472.

2. **Calymperes latifolium** *Hampe.* caule brevi simplici, foliis oblongo-spathulatis involutis integerrimis, siccitate convolutis uncinato-incurvis, nervo continuo aequali, inconspicuis. — theca....

Cum priori intermixtum sterile lectum. Herb. Preiss. No. 2473. ex parte.

A *Calymp. Palisotii* *Schwaegr.* textura firmiori nervoque aequali differt.

BRYACEAE.

BRYUM Linn. gen. n. 1194. Endl. gen. n. 542.

1. **Bryum canariense** *Brid.* caule erecto ramoso, foliis dense imbricatis ovatis apiculatis apice serratis, theca pendula subpyriformi. *Brid. bryol. univ. I. pag. 672. Schwaegr. Suppl. III. Tab. 214.*

Ad flumen Cygnorum sterile lectum. *Herb. Preiss. No. 2445.*

2. **Bryum australe** *Hampe.* dense caespitosum (dioicum?); caule erecto tomentoso superne diviso-ramoso; foliis caulinis undique imbricatis ovato-lanceolatis, superioribus ramorum comoso-confertis lanceolatis strictis, omnibus nervo crasso excurrente cuspidatis quasi pungentibus integerrimis immarginatis; seta elongata gracili; theca anguste ovato-cylindrica adscendente horizontali; operculo conico mammillato obtuso. *Hampe Icones muscor. Dec. III. T. 26.*

Ad flumen Cygnorum in locis humidis. *Herb. Preiss. No. 2470.*

Caulis uncialis rufescens, inferne tomentosus, ramis proliferis apice comosis pallidioribus insignis; *seta* gracilis et rufo-flavescens, nitens, sesqui-ad uncias duas longa, flexuosa; *theca* adscendens, horizontalis, anguste ovato-cylindrica; operculum umbonato-conicum, breviter acuminatum.

Ab affinibus *Br. pullescente* et *caespiticio* differt: foliis angustioribus immarginatis integerrimis nervo duplo crassiore cuspidatis, cellulisque minoribus insuper seta gracili elongata.

3. **Bryum coronatum** *Schwaegr.* caule adscendente subramoso, foliis sparsis lanceolatis cuspidatis, theca pendula oblonga basi impressa coronata. *Schwaegr. Suppl. I. Tab. 71.*

β **Forma minor.**

In solo limoso prope oppidulum York, Sept. 1839. *Herb. Preiss. No. 2466*

4. **Bryum erythrocarpon** *Schwaegr.* humile subramosum; foliis lanceolatis cuspidatis dentatis solidinerviis substrictis; theca pendula oblonga sub ore constricta. *Schwaegr. Suppl. I. Tab. LXX.*

In arenosis sylvae ad flumen Cygnorum forma longisetata. *Herb. Preiss. No. 2464.* Quoque in arenoso-conchyliosis madidis prope lacum insulae Rottennest, Aug. 1839. *Var. caule elongata. Herb. Preiss. No. 2454 et 2471.*

5. **Bryum Preissianum** *Hampe.* caule fertili brevissimo inferne prolifero, ramis simplicibus elongatis gracilibus subfastigiatis, inferne sparse, superne dense foliosis, subclavatis; foliis ovato-lanceolatis integerrimis immarginatis nervo crasso cuspidatis, theca erecta oblongo-cylindrica; operculo conico breviter subulato. *Hampe Icones muscor. Decas III. Tab. XXV.*

In rupibus ad saxa calcarea prope oppidulum Freemantle. 14. Aug. 1839.
Herb. Preiss. No. 2451 et 2453.

Muscus flavo-rufescens, vix unciam longus. *Caulis* brevissimus basi prolifer, proliferationes plus minusve elongatae (1 - 4 lin.) graciles, basi sparse, superne dense foliosae, clavaeformes, subfastigiatae: *folia* immarginata ovato-lanceolata cellulis hexagonis sub lente pellucida, nervo crasso basin versus accrescente cuspidata; *seta* basilaris (sic dicta) ad unciam longa erecta; *theca* concolor adscendens erecta oblongo-cylindrica annulata, operculo conico breviter subulato recto quater brevior; dentes peristomii exterioris lanceolato-subulati longissimi, interioris angusti quater breviores paulisper carinati ciliis brevioribus angustis interjectis; calyptra angusta, fuscescens apiculata; *inflorescentia* monoica apicalis. Habitu *Ceratodonti purpureo* Brid. persimile, *Bryo dicranoidi* Hornsch. proximum, differt: foliis nervo crassiori cuspidatis cellulis majoribus magis pellucidis; operculo conico breviter rostrato, thecaque magis erecta: deinde dentibus longioribus, atque operculo longiore.

II. PLEUROCARPI Brid.

HYPNACEAE.

Trib. NECKEREA.

HARRISONIA Adams. (ex parte.)

1. **Harrisonia Humboldtii** Spreng. caule erecto ramoso, ramis recurvo-patentissimis, foliis imbricatis ovato-lanceolatis apice piliferis integerrimis enerviis; seta elongata, thecae globosae sulcatae operculo curvirostro. Spreng. syst. veg. IV. p. 145. Schwaegr. Suppl. II. Tab. CIII.
Ad rup. granit. montis Wuljenup, sterilis lecta. Herb. Preiss. No. 2448.

Trib. FABRONIAE.

FABRONIA Raddi Atti dell' acad. di Siena IX. pag. 230. Endl. gen. n. 567.

1. **Fabronia Hampeana** Sond. caule adscendente ramoso, ramis dense foliosis subclavatis; foliis subhomomallis lanceolatis longe cuspidatis longissime ciliatis nervosis: theca brevi-ovata laevi; operculo umbonato conico obtusissimo. Sonder in Hampe Icones muscorum Decas II. n. 13. Tab. XIII.

In truncis *Macrozaniae Preissii* Lehm. prope oppidulum Perth, 29. Juni 1840.
Herb. Preiss. No. 2473. ex parte.

Dense pulvinata, lanata, strato byssaceo tomentoso primordiali? insidens; *rami* pallide flavescentes dense foliosi, subclavati, subfastigiati, 3-4

lineas longi, sericeo-nitentes, *seta* eos fere duplo longitudine superans; *theca* brevi ovata, deoperculata ampla laevis exapophysata; *folia* caulis latiora ramorum angustiora, lanceolata longe cuspidata, longissime ciliata, ciliis nempe folii latitudinem superantibus, perichaetialia ovata acuminata dentato-ciliata, omnia, exceptis iis, quae statu adhuc juniore versantur, nervosa, nervo supra medium evanescente; *calyptra* cucullata normalis.

A *Fabronia macroblepharidi* Schwaegr. proxima differt: foliis angustioribus nervosis longissime ciliatis, *theca* exapophysata et operculo obtusissimo. A reliquis jam ciliis longissimis satis distat.

Trib. LESKIEAE.

LESKIA Hedw. fund. II. 93. Brid. bryol. II. 283. Endl. gen. n. 572.

1. **Leskia homomalla** Hampe dense pulvinata, sericeo-nitens; caule procumbente radicante ramoso; ramis adscendentibus divisis recurvatis; foliis homomallis concavis oblongo-lanceolatis acuminatis integerrimis enervibus; *theca* adscendente erecta ovato-cylindrica, deoperculata obliqua, apice constricta; operculo rostrato *thecam* dimidiam subaequante; dentibus peristomii exterioris longissimis interiores imperforates superantibus. Hampe Icones muscor. I. Tab. VI.

Ad cort. *Banksiae Menziesii* prope oppidulum Perth, 19. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2465.

Leskiae caespitosae Hedw. proxima, sed multo robustior et spectabilior. Differt etiam foliis majoribus latioribusque oblongo-lanceolatis acuminatis, cellulis densioribus minus perspicuis, colore intensiore, *theca* duplo majore, dentibus peristomii robustioribus et longioribus, partium denique omnium ratione a *Leskia caespitosa* diversa.

HYPNUM Linn. gen. n. 1195. Endl. gen. n. 566.

1. **Hypnum recognitum** Hedw. caule decumbente bipinnato, foliis cordatis ruptinervibus bistriatis nervosis punctato-scabris, integerrimis; *seta* glabra; operculo rostrato. Hedw. musc. frond. Tab. XXXV.

Ad ligna putrida insulae Rottennest, Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2461. ex parte.

III. HYPOPHYILLOCARPI.

RACOPILUM Palis. prod. 36. Endl. gen. n. 588.

1. **Racopilum tomentosum** Brid. caule repente vage ramoso pinnatoque, foliis distichis ovato-lanceolatis serru-

latis nervo in acumen excurrente, tegminibus cordato-acuminatis evanidinerviis, thecae oblongae cernuae operculo e convexo rostrato. Brid. bryol. univ. II. p. 719. Hedw. musc. frond. Tab. XIX.

Cum priori lectum. Herb. Preiss. No. 2461. ex parte.

HEPATICAE JUSS.

Trib. I. JUNGERMANNIEAE. Gott. Lindbg. et Nees ab Esenb. Synops. Hepat. pag. 1.

COELOCAULES. Synops. Hepat. pag. 13.

GOTTSCHAEA Nees ab Esenb. Syn. Hepat. l. c.

1. **Gottschea Lehmanniana** N. ab E. ramis adscendentibus ramosis, foliorum lobo ventrali ovato-lanceolato subfalcato dorsalique foliigeno conformi subaequilongo apice discreto serratis, cristulis parvis ad lamellarum instar conspersis, amphigastriis ovatis bi-quadrifidis laciniis apice ciliatis foliolis lanceolatis pinnatifido-ciliatis ad basin stipatis, fructu terminali, involucri foliis comatis, apice subpinnatifidis acutis margine serrato-ciliatis. Synops. Hepat. pag. 20.

Jungermannia Lehmanniana Lindbg. in Lehm. Pugil. plant. IV. pag. 60.

Gottschea Hombroniana Mont. in Annal. des sc. natur. Avril 1843 pag. 243. n. 12. Planta mascula.

Plagiochila (aligera) Hombroniana Mont. Bot. Crypt. in itin. Astrolob. nav. ad. pol. austral. et in Ocean. tab. 16. fig. 1.

In locis glareosis ad radices collium Konkoberup-bill's, Kent. Herb. Preiss. No. 2645.

Caulis tripollicaris, ramosus, fuscescens, flexuosus, pro magnitudine plantae tenuis, quatenus procumbit fibrillis multis purpureis terrae affixus, inferne nudiusculus, superne densissime foliosus. *Folia* horizontalia, arcte imbricata, biloba, lobis fere aequalibus. Lobus *inferior* paulo major, ovatus, obtusus vel apiculatus, margine, praesertim apicem versus, serratus, basi lobulo lanceolato reflexo vel subcomplicato ciliato instructus; *superior* semiovatus, acuminatus, alteri lobo secundum longitudinem adnatus, apice tantum libero, margine in alam extante integerrimo, margine superiori serratus, basi rotundatus et in lobulum planum ciliatum excrescens. Substantia tenera; retis areolae ovaes.

Obs. A plerisque hujus generis differt lobo dorsali longiori tractu super dorsum lobi ventralis excurrente apiceque acute debiscente, tum fere et

foliolis accessoriis seu paleis, amphigastriorum basin stipantibus, quae quidem et in aliis hujus generis, v. c. *Gottschea Blumii* et *aligera*, obviae, sed magis dispersae sunt atque minores.

JUNGERMANNIDEAE. Synops. Hep. pag. 22.

PLAGIOCHILA Nees et Mont. Synops. Hep. pag. 22.

1. **Plagiochila biserialis** *L. et L.* caule repente intricato, ramis erectis stoloniferis prolifero-ramosis ramulis recurvis, foliis arcte bifariam imbricatis verticalibus decurrentibus oblique rotundis subadpressis margine dorsali integerrimis ventrali inaequaliter dentato-ciliatis apice oblique emarginato-bispinoso fructu terminali lateralique, perianthio semiexserto oblongo compresso, ore truncato subintegerrimo. Synops. Hepat. pag. 53 Lindbg. Spec. Hepat. 126. n. 76. tab. 26.

In planitie ad fluv. Canning. Herb. Preiss. No. 2646.

Caulis repens, intricatus, fibrillas breves emittens, stolonifer. *Rami* acuti, prolifero-ramosi, basi flagelliformes foliis minutis instructi, pollicaresesquiunciales; ramuli apice recurvi. *Folia* dense imbricata, bifariam adpressa, apice subpatula, sensim majora, verticalia utrinque (basi postica longius) decurrentia, plana nec margine supero reflexa, saepe caulem aliquantum amplectentia, minuta, linea dimidia vix majora, subrotunda, margine supero paulum arcuata integerrima in cuspidem producta, infero dentato-spinulosa vel subciliata, dentibus haud raro-duplicatis, supremo majori obliquo. *Retis* areolae subrotundae, inaequales, distantes. *Fructus* primum terminalis, deinde ob innovationes accedentes lateralis. *Folia* involucralia reliquis conformia, arcte adpressa. *Perianthium* ad medium prominens bilineare, oblongum, semilineam fere latum, incurviusculum, ore truncatum integerrimum, crenulatum, parce denticulatumve.

Obs. Species foliis planis et perianthio subintegerrimo bene distincta et ab affinibus diversa. Cognata quidem *Pl. oppositae* et *bifariae*; sed illis notis utraque differt et praeterea prior foliis laxius dispositis coadunatis, posterior foliis oblique ovatis longioribus.

2. **Plagiochila Lindenbergiana** *Lehm.* caule repente, ramis simpliciusculis erectis apice incurvis, foliis subimbricatis verticalibus oblique-ovatis cultriformibus subbicuspidatis margine ventrali dentato dorsali inflexo, fructu Synops. Hep. pag. 59. Lehm. Pugill. III. pag. 53.

Ad terram inter frutices lateris meridionalis collis Konkoberup, promontorii Cape Riche. Herb. Preiss. No. 2647.

Caulis uncialis-biuncialis, superne innovationem unam alteramve emittens, apice arcuatus, fuscus. *Folia* superiora imbricata, patentia, margine ventrali latiore a medio ad apicem dentata et in cuspidem producta, dorsali vero integerrimo secundum totam longitudinem involuto itidemque breviter cuspidato, ut apex inaequaliter bidentatus appareat. Color dilute fuscus. *Areolae* minutissimae, rotundae, seriatae, basin folii versus series areolarum majorum nervum simulat.

Obs. Proxime accedit ad *Plagiochilam semidecurrentem* L. et L. Differt caule minus ramoso, foliis oblique-ovatis subbicuspidatis nec rotundatis margine ventrali apiceque undulatis, dorsali integerrimis nec serrato-dentatis.

JUNGERMANNIA Linn. Synops. Hep. p. 73.

1. **Jungermannia colorata** L. et L. caule repente flexuoso subramoso laxo radiculoso flagellifero, foliis arcte imbricatis subverticalibus orbiculatis antrorsum conniventibus, fructu terminali, involucri foliis incisissimis, perianthio ovato octo-decemplicato, ore contracto dentato. Synops. Hep. pag. 86. — L. et L. in Lehm. Pugill. III. pag. 52. Gottsche Icon. Hepat. inedit.

In solo sublimoso ad ripam flum. Avon. Herb. Preiss. No. 2648.

Caules unguiculares-bipollicares, innovando ramosi, teretes, flexuosi, radiculis crebris dorso enascentibus vel terrae adhaerentes latosque cespites formantes, colore purpureo insignes. *Folia* dense, apicem versus arctissime imbricata, inferiora semiverticalia, superiora, praesertim in parte caulis ascendente verticalia, orbiculata, concaviuscula, sursum conniventia, integerrima, plerumque sanguinea vel purpureo-marginata, saepe vero fuscescentia. Compages densa, retis areolae minutissimae, rotundae. Fructificatio semper ex apice caulis primarii prodit, licet ob innovationes immediate sub ea orientes haud raro lateralis videatur. In dorso caulis fructiferi inter folia dua summa caulina subopposita lacinula adest lanceolata, basi utrinque foliis connata, amphigastrium quasi unicum. Folia perichaetia 4-6, caulem amplectentia, concava, forma et textura quidem caulinis similia, sed apice vel ad medium usque multifide incisa, laciniis variae longitudinis, latioribus saepe margine iterum lacinulatis. Calyx pro plantae magnitudine parvus, vix semilineam excedens, ovatus, superne valde plicatus, basi albidus, tum purpurascens, ore contracto dentato.

Obs. Differt a *Jungermannia flexicauli* N. ab E. cui proxime convenit, foliis verticalibus orbiculatis vertice antrorsum spectante, neque, ut in *J. flexicauli*, e basi latiore oblique antrorsum adscendente et in supino caulis latere subreflexo, apicem versus paulo angustioribus, ovato-subrotundis, tum perianthio breviori octo-decangulati, neque 4-5-angulari.

LOPHOCOLEA N. ab E. Synops. Hep. p. 151.

1. **Lophocolea trapezoidea** Mont. caule subsimplice adscendente basi repente, foliis distichis subhorizontalibus suboppositis imbricatis deltoideis planis apice margineque ventrali longe dentato-ciliatis, amphigastriis subreniformibus cum foliis subjacentibus late connatis toto ambitu ciliatis binis mediis sinu obtuso discretis longissimis e basi radicanibus, fructu terminali (et laterali), perianthio parvo prismatico late alato alis et ore ciliato. Synops. Hepat. pag. 155. Mont. in Ann. des sc. natur. Avril. 1843. pag. 251. n. 26. tab. 8. fig. 2.

In regionibus interioribus Novae Hollandiae austro-occidentalis. Herb. Preiss. No. 2649.

Caulis uncialis, raro biuncialis, simplex vel innovatione bifurcatus, rarissime ramosior. *Folia* caulina $\frac{3}{4}$ lin. longa et basi lata ovato-triangularia apice emarginato, margine ventrali leniter arcuato dentato-ciliata, margine dorsali oblique decurrente nudo, vel dente unico versus apicem instructo. *Folia* ramulorum margine ventrali tres dentes vel nullos habent. *Amphigastria* reniformia, subcontigua, cauli adpressa, radicante et basi utrinque cum binis foliis subjectis per latam projecturam connata, toto ambitu libero dentato-ciliata. *Retis* areolae subrotundae, limitibus obscuris, ciliorum vero ad basin usque uniseriatae, quadratae. *Color* fuscus. *Fructus* terminalis. *Perianthium* oblongum, prismaticum, lineam longum, membranaceum, angulis alatum, alis et ore ciliato-dentatum. *Folia involucralia* bina, caulinis conformia margineque ventrali ad modum caulinorum longe ciliato-dentata, margine dorsali ad punctum insertionis usque dentibus parvis armata. *Amphigastrium perichaetiale* basi marginibus reflexis apiceque subquadrifidum irregulariter ciliatum.

2. **Lophocolea Novae Zeelandiae** N. ab E. caule procumbente ramoso, foliis semiverticalibus subimbricatis divergentibus quadrato-rotundatis integerrimis leviterque emarginatis, amphigastriis liberis ovatis patenti-reflexis emarginato-bifidis, fructu terminali, foliis involucralibus oblique acuminatis bidentulis, perianthio obovato-triquetro angulorum ala nulla apice trifido laciniis margine inaequaliter excisis. *Synops. Hepat. pag. 168. Gottsche Icon. Hepat. inedit.*

Jungermannia Novae Zeelandiae L. et L. in Lehm. Pugill. plant. VI. pag. 33.

In depressis arenosis ad fluvium Cygnorum, d. 22 ms. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2650.

Caulis procumbens, adscendens, unguicularis, basi nudus terraeque radiculis affixus, teres, atro-fuscus. *Folia* inferiora subremota, reliqua imbricata, semiverticalia, disticha, quadrato-rotundata, margine subrepanda, integerrima, apice rotundata vel truncata obsoleteque emarginata, suprema longiora magis verticalia, erecta, adpressa, margine subreflexa, oblique acuminata vel emarginato-bidentata. *Color* pallidus, textura densa, areolae subrotundae contiguae. *Amphigastria* subremota, ovata, patenti-reflexa, apice emarginato-bifida, sinu lunulato: dentibus obtusis acutisque variae longitudinis. *Calyx* terminalis duas lineas longus, triqueter, angulis compressis integerrimis, ad tertiam partem trifidus: laciniis ovatis, auctis, margine denticulatis. *Seta* brevis alba. *Capsula* fusca, valvis lanceolatis.

Obs. Accedit habitu ad *Lophocoleam heterophyllum*, *heterophylloidem*, *aquifoliam* et *Chiloscyphum fasciculatum*, sed differt ab hisce cunctis amphigastriis ovatis brevibidentatis margine integerrimis.

3. **Lophocolea muricata** N. ab E. caule procumbente ramoso (parvo), foliis adproximatis subhorizontalibus amphigastriisque liberis ovato-subquadratis acute emarginato-bidentatis spinuloso-ciliatis supra muricatis, fructu terminali, perianthio ovato plicato ore 5-6-fido. *Synops. Hepat. pag. 169. Gottsch. Icon. Hepat. inedit.*

Jungermannia muricata L. et L. in Lehm. Pugill. plant. III. pag. 50.

In regionibus interioribus Novae Hollandiae austro-occidentalis, locis saxosis. Herb. Preiss. No. 2651.

Caules in caespitem conferti, minuti, lineares-trilineares, simplicissimi, teretes, flexuosi, viridi-albescentes. *Folia* inferiora et media remotiuscula, suprema imbricata, illa horizontalia, lato-ovata vel subquadrata, apice breviter acute emarginata vel bidentata: dentibus spiniformibus, haec majora, verticalia, paulo profundius incisa, margine reclinata, omnia apice recurva, margine ciliis brevibus spiniformibus arctissime vestita. Color albidus. Substantia densa, retis areolae minutissimae, subrotundae, vix discernendae. *Amphigastria* minuta, adpressa, ceterum foliis conformia. *Fructus* terminalis. Folia perichaetialia supremis caulinis similia, basi calycem amplectentia, sed margine et apice, ut folia caulina, reclinata. *Calyx* foliis concolor, semilinearis, ovatus, plicatus, plicis duabus lateralibus breviter ciliatis, ore denticulato. *Seta* bilinearibus albida. *Capsula* globosa, fusca, valvulis ovatis, striatis. *Semina* minutissima, rotunda, fusca. *Elateres* duplices.

TRICHOMANOIDEAE. Synops. Hepat. pag. 197.

LEPIDOZEA N. ab E., Ldgb. et G. Synops. Hepat. pag. 200.

1. **Lepidozea praenitens** L. et L. caule procumbente ramoso-flagellifero, ramis regulariter alternatim bipinnatis, foliis subimbricatis semiverticalibus obovato-cuneatis 4-fidis, laciniis lanceolatis, amphigastriis patulis transverse quadratis quadripartitis laciniis divergentibus, perianthiis subsessilibus arcuatis ore subquadridentatis, capsulae valvulis linearibus. Synops. Hepat. pag. 206. Gottsche Icon. Hepat. ined.

Jungermannia praenitens L. et L. in Lehm. Pugill. plant. VI. pag. 27.

In sylvis ad fluvium Cygnorum cum *Bryo erythrocarp.* Schwaegr. Herb. Preiss. No. 2653.

Caulis procumbens, semipollicaris - unguicularis, fuscescens, a basi inde pinnatim ramosus. Rami inferiores et supremi breviores, medii nonnunquam iterum pinnulis brevibus instructi, nonnulli in flagella abeuntes, plerique vero aequales. *Folia*, praesertim superiora et ramulorum imbricata, semiverticalia, erecta, obovato-cuneata, ultra medium quadrifida (in ramulis saepe trifida) laciniis lanceolato-subulatis acutis subincurvatis divergentibus. Color dilute viridis cum nitore: compages crassiuscula, retis areolae laxae, oblongae, contiguae. *Amphigastria* foliis dimidio minora, caulem latitudine aequantia, subremota, in ramulis approximata haud vero imbricata, patentia, ejusdem ac folia formae et texturae. *Fructus* basin plantulae versus e dorso caulis prodientes, fere sessiles. Folia perichaetialia exteriora ovata, quadridentata, intima tria majora, calycem amplexantia, oblonga, integerrima, connexa, tenera, Amphigastria caulinis similia. *Calyx* sesquilinearis, angustus, cylindricus, subcompressus, arcuatus, apicem versus plicatus, latere fissus, ore breviter incisus: dentibus plerumque quatuor. *Seta* longa alba. *Capsula* fusca: valvulis linearibus, margine reflexis. *Elateres* longi, tenues, flexuosi, dispiri, nudi. *Semina* minutissima rotunda.

MASTIGOBRYUM N. ab E. Ldbg. et Gott.
Synops. Hepat. pag. 214.

1. **Mastigobryum Novae Hollandiae** N. ab E. caule procumbente dichotomo, ramis aequalibus, foliis imbricatis patenti-divergentibus convexis ovato-oblongis subfalcatis apicem versus subserratis inaequaliter tridentatis, dentibus integerrimis subdenticulatisque, amphigastriis adproximatis rotundato-quadratis adpressis patenti-reflexisque inaequaliter crenulato-denticulatis plerisque basi plica cum foliis conjunctis, perianthiis ovato-cylindricis apice angustatis plicatis, ore in dentes fisso, foliis involucralibus adpressis inciso ciliatis.

a, foliis apice angustioribus subintegerrimis sinu acuto tridentatis, dentibus longioribus angustis acutis integerrimis, amphigastriis majoribus planis adpressis. Syn. Hepat. pag. 221.

Jungermannia adnexa L. et L. Lehm. Pugill. IV. p. 58.

In rupestribus ad caput fluvii Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2652.

Caulis dichotome ramosus, flexuosus, teres, fuscus, bi-triuncialis, superne flagella multa emittens, superne foliis lanceolatis convexis obsita, inferne fibrillis radicanis. *Folia* arcte imbricata, in superiore parte caulis principalis et in ramulis magis distantia, subhorizontalia, divergentia, ovata, convexa, apice tridentata: dentibus subaequalibus integerrimis, infra apicem plerumque minutissime denticulata, basi ampliata plicata in amphigastrium, quo folia opposita connectuntur abeuntia, viridi-fuscescentia. Compages densa, areolae distantes, rotundae, minutissimae, in basi ut et in margine folii saepe majores. *Amphigastria* rotunda, basi medio convexa caulique contigua, apice et margine subreflexa et laxius reticulata, toto ambitu inaequaliter crenulato-serrata.

JUBULEAE Synops. Hepat. pag. 283.

LEJEUNIA Gottsche et Ldbg. Synops. Hep.
pag. 308.

1. **Lejeunia reflexistipula** L. et L. caule procumbente subramoso, foliis arcte imbricatis oblongis rotundatis vel acuminatis apice deflexis integerrimis basi infera sinuato-complicatis, lobulo minuto inflato emarginato-unidentato, amphigastriis imbricatis folia aequantibus reniformibus margine supero reflexis integerrimis, perianthiis lateralibus obovato-cylindricis dorso uni-, ventre bicarinato pentagonis. Synops. Hepat. pag. 335. Gottsche Icon. Lej. III. 24.

Jungermannia reflexistipula L. et L. in Lehm. Pugill. V pag. 10.

In interioribus Novae Hollandiae austro-occidentalis inter muscos praesertim ad *Schistidium ciliatum* Brid. Herb. Preiss. No. 2657.

Surculi procumbentes vix semipollicares, lineam lati, ramulis nonnullis subpinnatim praediti. *Folia* arcte imbricata, oblique cauli adnata, ovalia, apice rotundata paullumque inflexa, mollia, laxè reticulata, areolis magnis, rotundis confluentibus. Lobulus minutus saccatus tectus. *Amphigastria* folia aequantia, suprema haec saepe superantia, transverse orbiculata vel reniformia, margine, praesertim vero apice breviter reflexa, texturae foliorum. Color albescenti-viridis flavescens.

2. **Lejeunia Wallichiana** *Lehm.* caule repente vage ramoso, foliis subverticalibus orbiculatis valde convexis integerrimis vel subrepandis basi decurrente complicatis, lobulo magno ovato inflato truncato vel transeunte, amphigastriis distantibus oblongo-rotundis bifidis rima angustissima, laciniis subcontiguè obtusiusculis. *Synops. Hepat. p. 361. Gott. Icon. Lej. VI. 7.*

Jungermannia Wallichiana *Lehm. Pugill. III. pag. 5.*

In promontorio Cape Riche ad *Symphylomyrtum Lehmanni* Schauer. *Herb. Preiss. No. 2656.*

Caulis 4-6 lineas longus, radiculis brevissimis repens, simplex vel dichotome ramosus. *Folia* distantia vel, praesertim in media planta, approximata, haud vero imbricata, verticalia sed antica basi decurrentia et complicata, orbiculata, valde concava. Lobulus major quam in affinis, ovatus truncatus appressus. Textura densa, areolae rotundae. *Amphigastria* remota, foliis triplo minora, oblongo-orbiculata, apice bifida, sinu angusto, laciniis obtusiusculis. Color flavescenti-viridis.

Obs. Proxime accedit ad *Lej. serpyllifoliam*, differt foliis magis distantibus brevioribus orbiculatis valde concavis, amphigastriis minus profunde incisis, obtusis.

Lejeunia flava Sw. iisdem notis nec non colore flavo, amphigastriis cordatis; *Lejeunia thymifolia* N. ab E. foliis horizontalibus, ante lobulum sinuatis, ovatis, lobulo multo minore, amphigastriis majoribus, laciniis acutis diversa.

3. **Lejeunia densistipula** *L. et L.* caule repente subpinnato ramis confertis, foliis arcte imbricatis semiverticalibus ovatis obtusis decurvis integerrimis basi decurrente subtus lobulo plicaeformi complicatis, amphigastriis foliis duplo minoribus imbricatis transversali-rotundis a medio reflexis breviter bifidis, sinu laciniisque obtusiusculis, fructu. . . . *Synops. Hepat. pag. 368. Gott. Icon. Lejeun. 1. 13. Lehm. Pugill. VII. pag. 20.*

Ad corticem *Alyxiae capitellatae* Benth in insula Gardenisland. *Herb. Preiss. No. 2658.*

Caulis semipollicaris, repens, compressus, fuscus, in ramulos simplices, inaequales patentes pinnatim divisus. *Folia* imbricata, rotundata vel oblique orbiculata, lutescenti-fuscescentia, basi oblique adnata, subtus non vel margine nonnihil inflexo obsolete complicata, integerrima. Compages spissa, areolae minoribus cinctae, subdistantes. *Amphigastria* foliis vix minora, arctissime imbricata, ovato-subrotunda, ad tertiam partem incisa, sinu acutiusculo, laciniis acutis, plerisque margine reflexis, nonnullis planis. *Fructus* ignotus.

4. **Lejeunia angusta** *L. et L.* caule repente ramuloso, foliis distantibus subverticalibus brevibus orbiculato-ovatis ellipticisve basi angustata complicata lobulo polymorpho

ovato-apice emarginato - unidentato (saepe inflato magno, nonnunquam minuto vel obsoleto), amphigastriis distantibus minutis ovatis apice bifidis, fructu laterali sessili, foliis involueralibus binis, altero semper apice acutiore altero obtuso instructo, bilobis, lobulo lanceolato, amphigastrio involuerali a forma amphigastriorum caulinorum recedente obovato usque ad medium fere bifido laciniis lanceolatis. Synops. Hepat. pag. 384. Gottsche Icon. Lejeun. VII.

Jungermannia angusta L. et L. in Lehm. Pugill. IV. p. 52.

In phyllodiis *Acaciae marginatae* R.Br. et *Lehmanni* L. Preiss. prope oppidulum York et ad latus meridionale montis Clarenee. Herb. Preiss. No. 2655.

Caules repentes, 4-5 lineas longi, angustissimi, cum foliis vix quartam lineae partem lati, rigiduli, simplices vel superne ramulis brevibus instructi. *Folia* distantia, subverticalia, brevia, rotundo-ovata, subacuminata, basi sinuata, subtus complicata, lobulo satis magno convexo subovato apice emarginato vel margine interiore in apiculum producto. *Amphigastria* remota, minuta, ovata, apice bifida. Color viridi-flavus, textura densa, areolae minutae, rotundae. *Fructus* lateralis, folia perichaetialia caulinis majora, ovato-lanceolata, acuta, integerrima et serrulata.

Obs. A *Lej. thymifolia* et *supyllifolia* affinibus, differt caule angusto, foliis brevioribus, lobulo magno, apice saepe unidentato, compage firmiore amphigastriis minutis, nonnunquam obsoletis.

5. **Lejeunia Lhotzskiana** Hampe exigua, caule rigidulo divaricato-ramoso, foliis parvis concavis margine ventrali incurvo integerrimis subverticalibus crassis, inferioribus oblongis alternis, superioribus ovalibus dense adscendenti-imbricatis, amphigastriis nullis, involucri foliis brevioribus, perianthio in caule ramisque fortioribus laterali magno pyriformi-campanulato ad apicem pentagono ore quadrifido. Synops. Hepat. pag. 389. Gottsche Icon. Lej. I. 2.

In truncis *Macrozambiae Preissii* Lehm. cum *Fabronia Hampeana* Sond. prope oppidulum Perth, m. Junio 1840. Herb. Preiss. No. 2654.

Persimilis *Lejeuniae minutissimae* β *inconspicuae*, nec differt nisi foliis diversiformibus, reti spissiori poriformi perianthioque pro statura plantae grandi foliis duplo saltem altiori basique magis attenuato, hinc potius pyriformi. Occurrunt folia fere in cylindrum conumve convoluta; superiora autem omnia oblonga sunt aut illiptica, concava, margine ventrali magis involuto, lobuli autem vestigiis nullis perspicuis. Capsula parva, campanulata, quadrifida, pallida, pedunculo brevi. Synops. Hep. I. c.

CODONIEAE Synops. Hepat. pag. 467.

FOSSOMBRONIA Raddi. N. ab E. Ldbg. et Gott. Synops. Hepat. pag. 467.

1. **Fossombronia leucoxantha** L. et L. caule prostrato subsimplici, foliis horizontalibus subquadrato-rotundis

involutis repando-crenulatis inciso-dentatisque conformibus, perianthio campanulato inciso-dentato. Synops. Hepat. pag. 469.

Jungermannia leucorantha L. et L. in Lehm. Pugill. III. pag. 55.

Crescit humi ad latus septentrionale montis Lehmann. et in monte Brown. Herb. Preiss. No. 2659.

Caules in caespitem congesti, prostrati, radicularum purpurearum denso villo arcte solo affixi, semiteretes vel subquadrati, lineas 3-8 longi, lutescentes, simplices, rarius innovationes emittentes, basi nudi vel foliorum vestigiis laxè vestiti. A medio inde *folia* adsunt arcissime imbricata, horizontalia, basi tamen paululum oblique cauli adnata, magna, lineam s. sesquilineam longa, duas lineas plerumque lata. Forma folii expansi varia est, rotunda, oblonga, subquadrata, margine rarius sunt integerrima, saepius repando-undulata, crenulata vel denticulata. Folia ejusdem lateris ob substantiam tenerrimam agglutinata simul involvuntur, ut aegrius separari possint. Color flavo-fuscens vel rufescens. Retis areolae laxae, rotundae. Surculi fructiferi breviores, 2-4-lineares; folia vix involuta magis et irregulariter inciso-dentata; perichaetia duo vel quatuor reliquis longiora, angustiora, erecta, calycem, quem longitudine aequant, involventia, eodem modo atque caulino-incisa. Calyx (saepe, ut in *Fossombronia pusilla*, duo adsunt calyces in eodem perichaitio) campanulatus, ore inciso-dentato, textura foliorum. Capsulam maturam non vidimus.

Obs. *Fossombroniae pusillae* radiculis purpureis, foliorum quorundam forma, perianthii structura valde similis. Est vero major, radicae sunt longiores, folia magis imbricata, rotundata, tenerrima, involuta, flavescens, in surculis fructiferis magis incisa, involucralia caulinis similia, nec stipuliformia linearia.

PETALOPHYLLUM Gott. Syn. Hep. p. 471.

1. **Petalophyllum Preissii** Gott. lamellis frondis marginem versus liberis costam versus connatis veluti locula formantibus. Synops. Hepat. pag. 472. — Lehm. Pugill. VIII. pag. 30.

In locis arenosis humidis, una cum *Bryis* ad fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2472.

Frons obovata, vel cuneata, parva, apice biloba, 4 lineas longa, basi sesquilineam lata. *Caulis* basi nudus $\frac{1}{4}$ - $\frac{1}{2}$ lineam subtus prominens, apice dichotomus, validus, rotundus, subincrassatus, radiculosus, pallide viridis. *Frons* latere infero (ventrali) striis radiatim rugulosa, superne lamellis $\frac{1}{4}$ lin. altis, radiatim impositis, versus costam mediam conniventibus et inter se connatis percursa. In plantis masculis atque in novellis junioribus, folia discreta fere ut in *Fossombronia pusilla*, quorum nonnulla peculiari lamella ornata reperiuntur. Textura crassiuscula; discus folii aequè ac lamellae singulari cellularum serie crassa componitur: inveniuntur areolae quadratae quinquangulares sexangulares. *Perianthium* sesquilineare costae mediae impositum ante bifurcationem ad modum generis *Fossombroniae*, e basi teretiusecula subquadrato-campanulatum, externe cum foliis involucralibus, interdum apice bifido-emarginatis concrevit et irregulari modo alas vel lamellas monstrat, quarum origo tamen libero apice proditur. *Os* perianthii late apertum, incisum, laciniis modo latioribus modo angustioribus uno vel altero dente ciliiformi, singula cellularum serie constante, undulato-lacerum. *Calyptra* magna, perianthium fere aequans, basi tribus (in alio specimine binis) pistillis abortivis circumdata, chartacea, globosa. *Capsula* magna, globosa, semi-

linearis et ultra, irregulariter dehiscens, aequo modo ac in *Fossombronia pusilla*, cellulis quadrangulis, fibris spiralibus imperfectis. *Elateres* plerique trispiri, acido sulphurico concentrato facile e tubo solubiles (tenuiores quam in *Petalophyllo Ralfsii* Gottsche). *Semina* magna, fusca, integumento crasso hyalino reticulato circumdata ut marginem radiantem habere videantur.

ZOOPSIS Hooker fil. Synops. Hepat. p. 473.

1. **Zoopsis argentea** Hook. fil. Cryptog. bot. of the antarctic Voyage. pag. 55. Synops. Hepat. l. c.

Jungermannia (Metzgeria) *argentea* Tayl. in Lond. Jour. of bot. 1844. pag. 400. Hook. l. c. pag. 55. tab. 66. fig. 6.

Crescit cum *Bryo erythrocarpo* Schwaegr. in sylvis ad fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2662.

Caespites parvi, procumbentes, argentei, inter muscos dispersi. *Fronde* rigidiusculae, 2-3 lin. longae, simpliciusculae, gracillimae, compressae vel complanatae, pellucidae, e cellulis majusculis hexagonis costam validam includentibus formatae, marginibus e cellulis irregulariter prominentibus sinuato-repandis, rarius hinc inde in lobos expansis, costa centrali viridi valida. Rami pauci, patentes, simplices rariusve furcati. *Perianthia* pro magnitudine plantae maxima, e costa orta, breviter pedicellata, urceolata vel campanulata, laxe cellulosa, in lacinias plurimas magis articulatas minusque profunde fissa, basi extrorsum squamis paucis (involucro) munita.

DIPLOMITRIAE Syn. Hepat. p. 474.

STEETZIA Lehm.

Blyttia Endl. gen. n. 472/6. Gott. Ldbg. et N. ab E. Syn. Hepat. l. c. *) *Hollia* Endl. gen. suppl. II. p. 103. non Wall.

1. **Steetzia Lyellii** Lehm. fronde sessili oblonga lineari crenulata aut subserrata, involucri laciniis ciliato-laceris.

Blyttia Lyellii Synops. Hepat. pag. 475.

γ fronde sublineari dichotoma planiuscula marginibus repandis lobatisve, calyptra perianthio brevior, squamis perigonalibus alternis ovalibus parce dentatis. Synops. Hepat. l. c.

Diplolaena hibernica Dumort. Comm. bot.

*) Jam cl. E. Fries in mantissa Novitiarum Florae Suecicae altera „gramen arundinaceum Norvegicum“ *Blyttiam* nominavit et *Blyttiam* quidem *suaveolentem* diligentiore adumbravit descriptione. Quibus igitur plantis duce cl. Endlichero *Blyttiae* nomen posterius inditum est, aliud imponere non dubitavi. Et sane grata occasio in honorem viri clarissimi **Joachimi Steetz**, med. Dris., strenui botanicae artis cultoris, qui *Compositas* herbarii Preissiani hoc in opere accuratissime illustravit, id genus plantarum appellandi nomine *Steetzia*.

Jungermannia hibernica Hook. Brit. Jung. tab. 78 et Suppl. tab. IV. Wilson in Engl. Bot. tab. 2750 (exceptis fig. 15 et 16, quae *Petalophyllum Ralfsii* Gotts. depingunt.)

In locis paludosis jugi montium Darling's-range, Perth. Herb. Preiss. No. 2660.

In statu *sterili* haud facile distinguitur a *Steetzia cladorhiza* (*Blyttia cladorhiza* Taylor, Synops. Hepat. pag. 476), quae abunde differre videtur fructibus ad basin frondium et ex inferiori costae latere orientibus, perianthio majori recurvo coloratoque, involuero denique magis composito.

Steetzia xiphoides (*Blyttia xiphoides* Synops. Hepat. pag. 476) differt: fronde valde angusta dentata et nervo tanquam duplici altero alterum includente.

Steetzia crispata (*Blyttia crispata* N. ab E. Synops. Hepat. l. c.) a *Steetziae Lyellii* var. *a* distinguitur: fronde fuscescente evidentius profundiusque sinuata divaricatimque ramosa, ambitu tenuissimo varie flexo et circumvoluto, involuero monophyllo ore haud ad medium usque diviso, perianthio longissimo cylindrico striato, fusco.

HAPLOLAENEAE Syn. Hep. p. 479.

SYMPHYOGYNA Mont et N. Synops. Hepat.

l. c.

1. **Symphyogyne Lehmanniana** M. et N. fronde procumbente arcuatim repente lineari oblonga subpalmatae subrepanda molli ex apice emarginato innovante, involuero lacero. Synops. Hepat. pag. 483. Gotts. Icon. Hepat. ined.

In rupibus prope oppidulum Freemantle, locis umbrosis. Herb. Preiss. No. 2661.

Frons lineari-oblonga valde flexuosa, plerumque furcatim divisa, laciniis divergentibus apice emarginatis. Quandoque palmatim tri-quadrifida. Costa depressior cum limbo adscendente canalem format. *Inflorescentia masculina* versus apicem frondium bi-pluriseriata. *Folia perigonia* subrotunda, bifido-incisa, bullatim incumbentia. *Antherae* magnae, subglobosae, filamentum longiusculo. *Calyptra* obconica, subinclusa, saepe medium calycis haud excedens. *Capsula* subcylindrica, valvis linearibus.

FUNGI Linn. — Fr. Epicr. p. 1.

(Auctore E. FRIES.) —

HYMENOMYCETES Fr. Epicr. p. 2.

a. Agaricini.

AGARICUS L. — Fr. Epicr. p. 2.

Agarici, sensu strictiori, quorum hactenus nullum e Nova Hollandia novimus, longe majorem partem collectionis Preissia-

nae sistunt. Ex ipsarum vero stirpium indole factum est, ut specimina longe plurima siccitate corrugata sint et decolorata, ut, si quis singula ad definitam speciem trahere periclitaretur, inane et temerarium opus certe susciperet. Specimina coram praesentia tam sedulo, quam fieri licuit, cum hactenus cognitis contuli; de plerisque vero dubium permansit, utrum a nostris differant, an cum eisdem conveniant. Nec ad species figendas sufficiunt icones, quales etiam quoque pinxit plurimarum cel. *Preiss*, nam ex sola statura et externis coloribus ne ad subgenera quidem tute referuntur novae. Attamen hanc *Preissianam* collectionem scientiae gratia maxime aestumo, cum eadem evictum est, *Novam Hollandiam* (vegetationis rationibus ceterum adeo insignem) quoad *Agaricos* eosdem offerre modo typos quam aliae orbis terrarum regiones temperatae praebent.

His praemissis singulatim notabo species quasdam, quas certus distinguere potui:

1. **Agaricus** (*Amanita*) **Preissii** *Fr.* pileo carnoso convexo-expanso viscoso, margine laevi, stipite farcto furfuraeo pallido, *volva napiformi radicante, apice constricta et limbo persistente libero terminata, annulo apicali reflexo, lamellis adnatis confertis.*

In arenosis umbrosis sylvarum, Maj. Herb. *Preiss.* No. 2665.

Species nobilissima, volvae indole ab omnibus speciebus cognitis clare diversa. Statura est *A. porphyrii*, sed cum *A. ovoideo* l. *A. solitario* potius comparandus.

2. **Agaricus** (*Lepiota*) **Australius** *Fr.* amplus, pileo leviter carnoso campanulato-expanso obtuso *glabro viscoso*, stipite procero desquamato deorsum clavato, annulo supero fixo lacero, *lamellis e stipite remotissimis tenuibus confertis fuscescentibus.*

In arenosis sylvae ad montem Elizamountain, Jun. 1839. Herb. *Preiss.* No. 2663.

Alia valde conspicua species, statura omnino *A. proceri* — at pileo viscoso recedens, indeque in systemate juxta *A. illinitum* collocandus.

3. **Agaricus** (*Collybia*) **lepidopus** *Fr.* pileo carnosulo convexo-plano laevi glabro aurantiaco, *stipite fistuloso aequali concolori squamis exasperato, lamellis adnatis albis.*

Ex pulchra *Preissii* icone; specimina non inveni. Praetermittere tamen nolui cum affinitas, hinc quoad staturam cum *A. esculento*, illinc quoad colores cum *A. Clavo* videtur manifesta, ab utroque vero stipite squamoso conspicue differt.

4. **Agaricus** (*Pleurotus*) **Eucalyptorum** *Fr.* pileo carnosulo sessili dimidiato reniformi convexo-plano *pannosio-exasperato spadiceo, lamellis simplicibus albis.*

Ad cortices *Eucalyptorum*, Jul. 1841. Herb. *Preiss.* No. 2666.

Ex icone definitionem dedi, cum e specimine nil eruere valuerim. Proximus est *A. serotino*, sed minor et ob pileum non viscoso-pelliculosum, sed pannoso-exasperatum eidem haud rite affinis.

5. **Agaricus** (Pleurotus) **spongiosus?** pileo pulvinate spongioso molli subtomentoso, velo lacero fugaci appendiculato, stipite brevissimo excentrico tomentoso, lamellis sinuato-adnatis confertis albis. Fr. Epicris. pag. 130.

Ad ligna putrida terrae inferioris arenosae.

Ex icone Preissii (specimen huic respondens non inveni) a specie citata vix differt nisi lamellis pallescentibus, sed cum genuinus *A. spongiosus* ad truncos arborum languescens modo legitur, potius nova species, cujus characteres in vivo inquirendi.

6. **Agaricus** (Pholiota) **praecox** Pers. pileo carnoso laevi alutaceo-lutescente, lamellis adnexis dente decurrente, e pallido fuscis, stipite subfarcto glabro albo. — Fr. Epicr. pag. 162.

Ad terram. Herb. Preiss. No. 2703.

Species cosmopolita, in Cap. b. sp., America meridionali et similibus et apud nos legitur locis.

7. **Agaricus** (Pholiota) **erigenus** Fr. pileo carnoso tenui convexo glabro ferrugineo, stipite fistuloso gracili basi *mycelio densissimo lanato cincto*, annulo lacero, lamellis adnatis confertis cinnamomeis.

Ad truncos. Herb. Preiss. No. 2664.

Affinitas hujus cum variis speciebus e sectione Truncigenorum, lamellis cinnamomeis, perconspicua est, etiam caespitosus nascitur, tamen ab omnibus et singulatim a proximo *Q. confragoso* Epicr. p. 169, quem statura et coloribus refert, indumento stipitis peculiari et pileo glabro certe distinctus.

8. **Agaricus** (Flammula) **peregrinus** Fr. pileo carnoso plano subdepresso superficiali squamuloso, dein glabro corrugi, stipite solido aequali glabro. Epicris. p. 191.

Icon picta Preissii hunc optime refert; e specimine nil liquet.

9. **Agaricus** (Psalliota) **semiglobatus** Fr. pileo carnosulo hemisphaerico laevi stipiteque fistuloso gracili stricto glabro lutescentibus glutinosis, velo infero abrupto annulari terminato, lamellis adnatis latis planis nigro nebulosis. *Boletus* Epicris. p. 220.

In fimo equino. Herb. Preiss. No. 2667.

Specimina Novae Hollandiae omnibus partibus cum europaeo nostro fungo ad unguem conveniunt.

10. **Agaricus** (Psilocybe) **ericaeus** Pers. pileo carnoso tenui e conico convexo explanato laevi glabro udo viscidulo, sicco nitente, stipite subcavo elongato tenace pallido, lamellis adnatis latis planis e pallido nigris. Fr. Epicris. p. 228.

Ad terram humidam. Herb. Preiss. No. 2668.

Lamellae quam in Europaeo duplo latiores, ceterum nullam video discrepantiam.

11. **Agaricus** (*Psilocybe*) **atrorufus** *Schaeff.* pileo carnosulo hemisphaerico-convexo obtuso glabro, margine striatulo, sicco decolori laevi, stipite fistuloso tenui aequali pallide spadiceo, (in α fibrilloso) lamellis subdecurrentibus. *Fr. Epicr. p. 230.*

Ex icone Preissiana ab Europaeo haud manifeste differt.

Ceterum mycologos, fungos exoticos determinantes, commonitos velim, ut eos modo, qui caractere essentiali a proximis clare distinguantur, ut novos proponant.

LENTINUS *Fr. Epicr. pag. 387.*

1. **Lentinus dealbatus** *Fr.* pileo coriaceo profunde umbilicato regulari *lanato-strigoso azono caudicante*, margine reflexo revolutoque, stipite curto lanato fuscescente, lamellis longe decurrentibus confertis simplicibus subviolaceis.

Ad truncos putridos prope Kelmsedth. Jul. 1841. *Herb. Preiss. No. 2669.*

Inter multos *Lentinos* setosos regionum calidarum nullus adest, cum quo conjungatur. *L. fasciatus* *Berkl.* differt pileo fasciato; *L. capronatus* pileo spadiceo, reliqui lamellis et indumento. Si colori pilei minor tribuatur vis, pro hujus varietate tamen sumi posset, nam statura inter hos maxime mutabilis est.

2. **Lentinus cochleatus** *Fr.* annuus tenax flaccidus, pileo carnosulo lento irregulari sublobato contortove stipiteque solido firmo sulcato glabris rufescentibus, lamellis confertis serratis carneo albis. — *Epicris. p. 394.*

Ad truncos Novae Hollandiae. *Herb. Preiss. No. 2670.*

Specimina europaea simillima vidi.

PANUS *Fr. El. pag. 396.*

1. **Panus cinnabarinus** *Fr.* pileo coriaceo tenui sessili reniformi *cinnabarino*, cuticula pruinosa opaca, lamellis distantibus distinctis latis cinnamomeis.

Ad pedes montium continuorum Darling's-range prope Kelmstedt ad basin truncorum; nec non ad folia emarcida Monocotyledonearum. Jul. 1841. *Herb. Preiss. No. 2671.*

Species nobilissima; et affinitas et differentia *P. stiptici* evidentes. In majoribus individuis, pileo circumscriptione circinata, adest stipitis rudimentum pubescens. Pileus siccitate contrahitur et incurvatur, superficie impolita e cuticula deliquescente, non vero squamuloso-furfuracea. Lamellae paucae, vere distantes, nec ullis venis connexae $1\frac{1}{2}$ -1 unc. usque latae. Trama in hymenium radians.

SCHIZOPHYLLUM *Fr. El. pag. 402.*

1. **Schizophyllum commune** *Fr.* gregarius unciam vix superans, tomentosus, albido-griseus, margine lobatus saepe

multifidus. Lamellae purpurascenti-cinereae, villosae, non proprie ramosae. Subinde stipitem brevissimum exserit. Syst. Myc. 1. p. 330.

Ad cortices truncorum emortuorum, Jun. 1841. Herb. Preiss. No. 2676.

Ex omni parte Europaeo similis, vere cosmopolita species.

b. *Polyporei.*

BOLETUS Linn. pr. p. Fr. Syst. p. 385.

Hujus generis species quatuor ex Nova Hollandia reportavit cel. Preiss., maximi momenti, cum nullas species exoticas hujus generis rite cognitatas habeamus. Attamen specimina horum longe magis quam Agaricorum exsiccatione deformantur, ut sicci nullo modo recognoscantur. Descriptiones igitur ad icones cel. *Preissii* confeci. Omnes ceterum ad typum Europaeorum pertinent, at coloribus magis speciosis nitent.

1. **Boletus caesareus** Fr. pileo carnosio convexo-plano laevi sanguineo-purpureo discoideo, stipite valido aequali laevi sulfureo, vittis abbreviatis roseis striato-variegato, tubulis elongatis rotundatis luteis, ore obliquo.

Ad oppidum Perth in arenosis. Herb. Preiss. No. 2678 et 2679.

Coloribus et statura *B. regio* et *purpureo* accedit, ab utroque differt stipite aequali laevi, colore magis superbo obscure purpureo, disco atrorubente, ab hoc insuper ore pororum haud discolori. Hinc ad stirpem edulium referendus, licet nesciam, utrum carnis color constans an mutabilis sit. Nec insertio pororum ad stipitem adeo conspicue notata, ut de hac quid statuam.

2. **Boletus infractus** Fr. pileo pulvinateo repando glabro purpureo, margine *infracto*, stipite brevissime tuberoso *sursum floccoso* porisque adnatis curtis minutis aequalibus sulfureis.

Ad terram, Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 2677.

Statura prorsus *Boleti fragrantis* Vittad., sed propter affinitatem prorsus incertam dubia species. Colores ex icone indicavi, in speciminibus siccis enim pileus fusco-alutaceus, stipes pallidus deorsum nigrescens, pori albido-grisei, intus cornei. Quis ex hisce coloribus divinaret affinitatem cum icone?

3. **Boletus subsimilis** Preiss. pileus carnosus, convexo-explanatus, viscidus?, in vivo nitide fuscus. Stipes solidus, aequalis, laevis, nudus, sulfureus, basi fuscus. Pori adnati, brevissimi, aequales, sulfurei. Majo lectus.
Boletus livido Bull. subsimilis. Preiss.

4. **Boletus arenarius** Fr. pileo explanato repando *viscido excentrico*, stipite elongato tortuoso superne pallido, inferne nigro, tubulis longis amplis (cinnamomeis?) — *Gnũchõ* Aboriginibus.

In arenosis ad fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2680.

Multa quidem vidi specimina, sed ob defectum iconis neque formam, neque colores tute indicare valeo, quod admodum dolendum, cum haec species a typo europaeo insignius differat; nunc vero nescimus, quae abnormitates siccitati vel ipsius fungi naturae debentur. Pileus excentricus praebet characterem essentialem et viscosum esse concludo e sabulo et glebis superficiem adeo adglutinatis, ut color pilei haud conspiciatur. Stipes 3 unc. longus, ut videtur adscendens. Praecipue vero recedit, saltem in speciminibus siccis, pororum stratum, quod maxime undulatum, poris valde obliquis. — Futuris peregrinatoribus horum Boletorum observatio commendanda.

POLYPORUS (Fries Syst. pag. 341.)

In collectionibus Fungorum e zona tropica et subtropica *Polypori* longe majorem specierum numerum praebere solent, ut vulgo fingatur fungos coriaceo-lentos in terris calidioribus praepollere, at carnosos in temperatis et frigidioribus. Sed in collectione Preissiana ex Nova Hollandia specierum numerus relativus ex diversis generibus eandem omnino rationem sequitur ac in Europa.

1. **Polyporus** (Mesopus) **bulbipes** Fr. cinnamomeus, pileo coriaceo-membranaceo flaccido regulari *fibroso-radiato unicolori*, disco umbilicato, margine reflexo dentato, *stipite* regulari cylindrico velutino *bulboso*, poris confertis tenuibus integris.

Ad terram. Herb. Preiss. No. 2682.

Proximus *P. perenni* L., at conspicue diversus, regularis, eumorphus; pileus tenuis cum fibris ex centro radiantibus ut in *Thelephora radiata*. Stipes uncialis et infra. Pileus 1-2-unc. latus, azonus, saepe cum vicinis concrescens. Pori primo fulvi, dein cinnamomei; nec primitus albo-pruinati, neque demum lacerati.

2. **Polyporus** (Apus) **hispidus** Fr. pileo carnosio-fibroso crasso villosio ferrugineo, poris secedentibus pallidis. Syst. Mycol. 1. p. 362.

Ad cortices Eucalypti (Mahagang Angl.) Jul. 1841. rarissimus. Preiss. sine num.

3. **Polyporus** (Apus) **Eucalyptorum** Fr. pileo dimidiato-adnato unguolato azono, contextu crasso mollissimo albo, *crusta tenui glabra atrofusca facillime secedente* vestito, poris curtis tenellis secedentibus. — „Medop“ Aborigin. N. Holl.

Ad truncos Eucalyptorum. Herb. Preiss. No. 2681.

Cum *P. betulino* forma et indumento pilei comparandus; textura vero cum *P. soloniensi*. at nulli descripto rite affinis, spithamam latus, basi 3-4 unc. crassus, sed pori vix 2 lin. longi, admodum molles, siccitate collabentes, demum facile secedentes. Substantia candicans, mollissima, ut digito pressa profundas relinquat foveas, nec elastica. At non modo characteribus nobilissima species, sed utilitate quoque. Fomitum nempe praebet nativum, copiosissimum et praestantissimum.

4. **Polyporus** (Apus) **fulvus** Fr. pileo lignoso-suberoso durissimo e globoso-tuberculoso triquetro subimbricato,

primitus hirto villosove pallide fulvo, margine rotundato, intus concolori radicante zonatoque, poris curtis rotundis subminutis cinnamomeis pruina cinereo-lutea primo tectis. *Epicr. Fung. pag. 466.*

Ad truncos arborum. Una cum vulgari forma exstat specimen valde annosum *Herb. Preiss. No. 2683*, ad *Eucalypti* speciem (*White Gum Angl.*) lectum, recedens pileo pulvinato-ungulato nigricante rimosissimo-diffracto.

5. **Polyporus (Apus) sanguineus** *Meyer.* miniatus, pileo coriaceo tenui plano glabro, poris minutissimis. *Fr. Syst. Mycol. 1. pag. 371.*

In sylvis umbrosis ad ligna cariosa imprimis *Melaleucæ papyraceæ*. *Herb. Preiss. No. 2684.*

Geographicam fungorum distributionem inquirenti facile elucebit, orbem terrarum respectu *Hymenomycetum* (*Gasteromycetes* enim in diversis regionibus magis varii) duas modo præbere zonas diversas, nempe regionum calidarum et temperatarum. *P. sanguineus* est species regionum calidarum maxime characteristicæ, nullibi desiderata. Specimina vero prorsus dimidiato-sessilia, insolito magna, unum admodum crassum; textura et color vero sunt communes.

6. **Polyporus (Resupinatus) parilis** *Fr.* longitudinaliter effusus, arcte adnatus, confluens, aridus, immarginatus, luteo-pallescentis, subiculo nullo, ambitu aequali, poris minutis subrotundis brevibus glabris.

Ad cortices. *Herb. Preiss. No. 2685.*

A *P. corticola* proximo textura et colore facile distinctus. Vetustus ad spithamam et ultra extensus, albopallescens.

FAVOLUS *Fr. Epicr. pag. 498.*

1. **Favolus discolor** *Fr.* pileo effuso-reflexo impolito pallide umbrino, margine brevi tumido, alveolis rotundis cupularibus glabris candicantibus, fundo definite fusco-nigro.

Ad cortices arborum. *Herb. Preiss. No. 2701 et 2702.*

Duplex adest forma in collectione Preissiana. No. 2701 sistit formam explicatam, multiplo majorem, ex magna parte quidem effusam, at superne distincte, licet breviter, marginatam, No. 2702 formam resupinatam, immarginatam, in ambitu vero determinatam, subliberam, i. e. peltiformem. Alveolarum indole ceterum nobilissima species; earum latera candicantia sunt, basis nigra modo fertilis. Ceterum e cupulis quasi discretis coaliti sunt; acies primo obtusa dilute ferruginea, dein acuta et cum lateribus concolor.

c. *Auriculini.*

THELEPHORA *Fr. Epicr. pag. 534.*

1. **Thelephora (Mesopus) concrescens** *Fr.* caespitosa concrescens, stipite fusco, pileo infundibuliformi glabro fusco-brunneo, ut plurimum in lobos inaequales laceros inciso, hymenio rugoso papilloso pruina densa cinereo.

In occultis aquosis ad ripam fluvii Canning supra ligna vetusta. Herb. Preiss. No. 2688.

Species distinctissima, plurimis vero pileis stipite brevi distincto concrescentibus valde irregularis, 1-1½ unc. alta. Interdum offert ramos facie *Sphaeriae Hypoxyli*.

2. **Thelephora** (Merisma) **myriomera** Fr. caespitosa, papyracea frondoso-ramosissima, concrescens, lobis adscendentibus sursum dilatatis rotundatis integris, superne sterilibus lineis elevatis radiatis fuliginosis, hymenio infero costato rugoso glabro fusco-purpureo.

Ad terram eodem loco ac prior. Herb. Preiss. No. 2689.

Species magna, speciosa, 2-3 unc. alta, substantiae tenuitate insignis. In hymenio simul saepe observantur papillae, sed inordinatae, sparsae, ut accidentales fingam. Ascidia (s. asci exospori) in hac specie non exserta.

STEREUM Fr. Epicr. pag. 545.

1. **Stereum** (Apus) **umbrinum** Fr. sessile, dimidiatum coriaceum, subflaccidum, flabelliforme, a basi versus marginem undulato-radiatum, umbrinum, hymenio laevi glabro fusco-atro.

Ad corticem *Banksiae Menziesii*. Jul. 1841. Herb. Preiss. No. 2686.

Valde insigne, e cortice erumpens, nec postice umbonato-adnatum neque effuso-reflexum. Stratum intermedium album. Hujus praesentia et hymenii indoles luculenter distinguunt a *Thelephoris*, quibus colore simile. Superficies glabra et opaca apparet, sub lente tenuissime pubescenti-pruinosa.

2. **Stereum** (Apus) **vittaeforme** Fr. postice umbonato-adnatum, integrum, coriaceum, rigidum, subcampanulatum, e pannoso detonsum impoliturum, lineis concentricis elevatis obsoletis concoloribus notatum, lutescens, margine acuto, hymenio laevi glabro alutaceo.

Ad cortices *Acaciae*, Blank-Wattle, Anglor. Jul. 1841. Herb. Preiss. No. 2687.

Color et substantia *Sterei hirsuti*. Forma in speciminibus visis singularis, dimidiato-campanulata, altero latere scilicet plano et cortici adnato, ut simul umbonato-adnata et effuso-reflexa. Icon fungi vivi sistit specimen undique liberum, magis expansum, saturatius coloratum.

CLAVARIA Fr. Epicr. pag. 571.

1. **Clavaria** (Ramaria) **plebeja** Fr. tenax, alba, sublutescens, trunco crassiusculo, ramis ramulisque ramosissimis solidis stipatis gradatis, apice cristato-multifidis, sporidiis albis.

In arenosis, 8. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 2690.

Maxime affinis *Clav. coralloidi* et *Cl. cristatae*, ramulis numerosissimis stipatis magis regularibus aegre distincta.

TREMELLA Fr. Epicr. pag. 588.

1. **Tremella lutescens** Fr. caespitosa minor mollissima undulato-gyrosa, lobis nudis. Syst. myc. II. pag. 213.

Ad corticem. Herb. Preiss. sine No.

DISCOMYCETES Fries.

Haec maxime naturalis et prorsus necessaria fungorum familia (cfr. Epicris. Syst. myc. et Flora Scanica) ascis intus seriato-octosporis in disco supero distinctissima, inter *Pyrenomycetes* et *Hymenomycetes* in Endl. Gen. Plant. inserenda.

PEZIZA Fries Syst. II. pag. 40.

1. **Peziza** (Geopyxis), ex icone *P. Poculae* Syst. myc. II. p. 60. simillima, modo duplo major. Specimina vero ejusdem exsiccata a *P. Catino* l. c. p. 51. discernere non valeo.

In arena terrae inferioris, Jul. 1841.

2. **Peziza** (Humaria) **ollaris** Fr. sessilis conferta hemisphae-rica demum explanata aurantio-lutea, extus dilutior, versus marginem albido-pubescens Syst. myc. II. p. 68.

In arena sylvae prope lacum Daujamlur, 16. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2691. Forte diversa, at nullas notas offert.

3. **Peziza** (Humaria) **melanodon** Fr. gregaria sessilis scutelliformis orbicularis lutea, margine atrocrenulato.

In solo arenoso sylvae ad ripam sinistram fluvii Canning, post pluvias. Ex ic. et descript. (specimen deest). Magnitudo et crescendi modus *P. Omphalodis* i. e. *Pyronematis Mariani* sed forma regularis, nec convexa. Affinior *P. xanthomelae*, crenis nigris distincta.

GASTEROMYCETES.

COLEUS Leveillé. (Clathro nimis affine genus.)

1. **Coleus hirudinosus** Lev. Annal. Sc. Nat. III. t. 8 A.

In arena circa oppidulum Perth, Jun. 1841. Herb. Preiss. No. 2694.

Est cum affini *Ascroë* nobilissimus Australiae fungus, sed specimina exsiccata diffracta et contrita, ut sequentia e schedulis et icone Auctoris tantum addere liceat. Junior clausus oviformis, albus, *Clathro* adeo similis, ut discerni nequeat; fibrillis radicans et primo ex arena emergens, hinc uterus micis arenosis extus conspersus. Apice dein in lacinias breves inaequales dehiscens sensim protrudit trabes 7-8, primo in pulpa aquoso-viscida pellucida tenaci, *Phallodeis* communi, nidulantes. Trabes exsertae sensim discretae, basi apiceque cohaerentes et hoc loco orificio rotundo terminatae, transversim plicatae, fragillimae, tactu tremulae, intus 5-loculares, loculo extorso maximo, lateralibus mediis duobus introrsis minimis. Color et odor foetidus, omnino *Clathri*.

Omnia genera *Phallodea* summa conjungit affinitas, ut natura maxime invita ex externa facie in diversas tribus disponantur.

NIDULARIA Bull. — Syst. Myc. II. p. 297.

1. **Nidularia Crucibulum** Fr. campanulato-cylindrica utrinque truncata subtomentosa ex ochraceo ferruginea, intus laevis luteo-pallescentis. Syst. Myc. II. pag. 299.

Ad corticem friabilem Eucalypti, White-Gumm Angl., prope Kelmsedth ad fluvium Canning, Jul. 1841. Herb. Preiss. No. 2693.

GEASTER Mich. — Syst. Myc. III. pag. 8.

Endl. gen. pag. 29.

1. **Geaster pusillus** Fr. peridio exteriori octofido, laciniis explanatis siccitate involutis flaccidis, interiori sessili globoso laevi candicante, ore papillato-prominente.

In solo arenoso ad fluvium Canning. Jun. 1841. rarissime. Herb. Preiss. No. 2695.

Maxime affinis *G. minimo* Schwein. S. M. III. p. 16., sed ore glabro eximie differt. Flocci et sporidia atro-fuliginosa.

LYCOPERDON Syst. Myc. III. pag. 26. Endl.

gen. pag. 28.

1. **Lycoperdon pusillum** Fr. peridio toto flaccido persistente obtuso, ore semper angustato dehiscente, cortice laevigato, dein rimoso appresse squarroso, strato sterili obsoleto cum capillitio contiguo, sporidiis olivaceis Syst. Myc. III. pag. 33.

In sublimosis umbrosis nec non locis depressis, hieme aqua inundatis ferme, inferioris arenosae, Jun. 1841. Herb. Preiss. No. 2692.

SCLERODERMA Syst. Myc. III. pag. 44.

Endl. gen. pag. 28.

1. **Scleroderma Geaster** Fr. sessile subglobosum pallescens, peridio apice in lacinias stellatas dehiscente, pulpa sordide coerulea, sporidiis fusciscentibus. Syst. Myc. III. pag. 46.

In arena ad fluvium Cygnorum cum priori eodemque tempore legit Preiss.

POLYSACCUM Dec. — Syst. Myc. III. p. 51.

1. **Polysaccum? degenerans** Fr. clavaeforme, radicato-stipatum, peridio simplici obovato laevi ochraceo alutaceo, inferne peridiolis, superne sporidiis nudis sordide ochraceis, floccis intertextis, infarcto.

In arenosis ad fluvium Cygnorum circa oppidulum Perth, una cum *Sclerodermate Geastro*, legit Preiss. m. Jun. 1841. Herb. Preiss. No. 2704.

Quum ad naturale *Polysacci* genus pertineat e morphosi sicca, peridio simplici haud discreto et sola facie, nullum mihi restat dubium, sed peridiola in junioribus tantum observo ad peridii basin; adultior fungus tantum copiosissimo et laxo sporidiorum pulvere, floccis haud copiosis intertexto, refertus. Fungus durus, aridus, obovato-clavatus, basi contigua producta stipitato-radicatus, magnitudine varius, 1-4 unc. altus; peridium 2 unc. circiter crassum. Stipes junior concolor, e sabuli micis innatis poroso-scruposus; vetustus laevigatus, crustato-laccatus, intus demum grumuloso-floccosus, cariosus. Peridiola primitus fatiscere indeque structuram uniformem floccoso-pulverulentam evadere fingimus.

Obs. Adsunt depicta simul duo Mycelia Myxogastrium, quarum altera *Liceam fragiformem*, altera *L. cylindricam* refert.

LICHENES Ach.

(Auctore E. FRIES.)

LECIDEA (Ach.) Fries Lich. Eur. pag. 281.

Endl. gen. pag. 14.

- Lecidea parasema** Dill. thallo crustaceo glaucescente (hypophloeode vel leproso), ab hypothallo nigro sublimitato, apotheciis sessilibus, excipuli cupularis margine tenui, disco corneo nudo aterrimo. Ach. syn. pag. 17. Lich. Eur. pag. 330.

Species cosmopolita, per regiones maritimas tamen rarescens et a *L. enteroleuca* Ach. substituta. [Haec est verus *Lich. punctatus* Scop., qui vulgo ad vagas *Lecidearum* formas ducitur.] In Nova Hollandia a Preissio (Herb. No. 2672) lecta est genuina *L. parasema* ad cortices praecipue *Hakearum* in societate *Parmeliae puniceae*, *caesiorubellae* etc., specierum per calidas regiones vulgarum, sed e frigidis exulium.

Adest porro *Lecidea* quaedam saxicola, infantilis, non definienda, sed a *Lec. variegata* Lich. Eur. p. 303. vix discernenda. Ad species Lichenum nempe rite determinandas major speciminum apparatus pernecessarius est, quam inter reliquas plantarum familias, ne dubiis formis protrahendo futuros Lichenologos modo molestemus.

BIATORA Lich. Eur. p. 247. Patellaria Endl.

gen. p. 15. non Hoffm. et Lichenol., quae Parmeliae sectio, sine ulla idea characteris Biatorae.

- Biatora decipiens** Fr. thalli squamis discretis peltaeformibus angulatis incarnato-lateritiis, subtus ambituque albis, apotheciis marginalibus adnatis subimmarginatis nigricantibus, intus albis. Lich. Eur. pag. 252. *Lichen decipiens*, Ehrh. — Hedw. Crypt. II. t. 1. B.

In arenosis prope lacum insulae Rottennest. Herb. Preiss. No. 2675.

Specimina Europaeis prorsus congrua, statio vero singularis, cum hic Lichen apud nos vulgo sit alpestris, vel tantum in calce juniore obviam veniat. At solum, cui innascitur, micis Conchyliorum refertum aliaque macrior ejusdem speciei forma lecta est ad rupes friabiles montis Brown.

CLADONIA Hoffm. — Lich. Eur. pag. 205.
Endl. gen. p. 15. Cenomyce Ach.

1. **Cladonia retipora**, thallo crustaceo granuloso subevanescente, podetiis fruticulosissimis ramosissimis turgidis undique cribroso-pertusis rigidis stramineis dealbatisve, apotheciis nigris. Fries Sched. Crit. VIII.

Baeomyces retiporus. Labillard. Nov. Holl. t. 254. f. 2.
 Cenomyce Ach. — Hook Bot Journ. — „Orgeck“ Aboriginum N. Holl.

In rupibus Baddagin terrae superioris. Herb. Preiss. No. 2673.

Singulare naturae artificium, ab *Cl. Hookero* l. c. icone et descriptione plene illustratum. Affinitas vero non liquet; facile fingerem *Cl. retiporam* cum aliis speciebus melanocarpis peculiarem sistere seriem, Novae Hollandiae privam. Inter nostrates analogam quidem cum *Cl. furcata* et *unciali*, immo cum *Cl. turgida*; verum ii, qui hanc quoque distinctissimam speciem scyphis axillisque haud pertusis, nunc cum *Cl. unciali*, nunc cum *Cl. furcata* confundunt, in perenni versantur errore!

2. **Cladonia (sterilis) podetiis ramosis furcatis laevibus ochroleucis, axillis perviis, apotheciis**

Ad fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2674.

Cum nulla specie descripta jungenda videtur, ob defectum vero apotheciorum nomen imponere haud decet. Videtur ad praecedentis seriem referenda, podetiis haud pertusis licet distinctissima.

3. **Cladonia? scutellata Fr.** thallo microphyllino squamuloso-granuloso, podetiis brevibus simplicibus glabris, deorsum attenuatis, apice dilatatis in scutellam e concavo planam badiam (disciferam!), margine integerrimo.

Ad caudicem Macrozambiae Preissii. Herb. Preiss. No. 2696.

Vegetatio prorsus trivialis, exacte Cladoniae, sterilis propter thallum et podetia fusco-virentia a variis phaeocarpis aegre discernenda. At apothecia scutellata (Everniae!) tantum remouent, ut neglecta affinitate novum et peculiare omnino sistat genus: *Acropeltis*, apotheciis in podetiis terminalibus scutellatis, excipulo thallode marginatis; lamina tenui, ascis diminutis steribus (Cladoniae!), quale vero equidem ob canonem Linnaeanam, genus dabit characterem, nec character genus, aegre agnoscam, priusquam major specierum numerus sit detectus. Metamorphoseos seriem clare indicant *Cladoniarum* lusus symphyrcarpi; in *Cl. scutellata* occuparunt scyphi discum indeque in scutellam mutatum.

PARMELIA Lich. Eur. p. 56. Endl. gen. p. 15.

1. **Parmelia punicea**, thallo crustaceo tenui indeterminato cum hypothallo concolori confluyente granulatoque glauco, apotheciis scutelliformibus sessilibus, disco nudo puniceo, margine thallode subintegro. Ach. Meth. p. 167. Fee Crypt. exot. t. 29. f. 7.

In cortice *Casuarinarum*. Item in cortice *Hakearum* cum *Lecidea parasema* et duabus sqq. mixta. Herb. Preiss. No. 2698.

2. **Parmelia caesio-rubella** Fr. thallo crustaceo tenui indeterminato cum hypothallo concolori confluyente glauco, apotheciis scutelliformibus sessilibus, disco caesio pruinoso dilute rubello, margine thallode tumido integro.

Lecanora caesio-rubella. Ach. Lich. univ. pag. 366.

Cum praecedente in cortice *Hakearum*. Herb. Preiss. No. 2697.

3. **Parmelia atra** Ach. crusta cartilaginea mox granuloso-verrucosa glaucescente, hypothallo nigro, apotheciis sessilibus, disco polito aterrimo intus nigro, margine thallode persistente integro. — Achar. Meth. pag. 154. Lich. Eur. pag. 141.

Formas typicas bene evolutas e N. Hollandia non vidimus, modo macram corticolam a Cel. Fee (Crypt. exot. t. 28. f. 5.) pictam, quae et thalli et apotheciorum indole praecedentibus affinis, quamvis disco nudo atro mox differat. — Cum duabus praecedentibus. Herb. Preiss. sine No.

4. **Parmelia** — — sterilis, non definienda, vicina vero *P. murorum* et *P. chlorophanae*.

5. **Parmelia elegans** Ach.? — Speciminulum ab hac haud manifeste recedens.

In ora meridionali lectum. Herb. Preiss. No. 2705.

6. **Parmelia** ... thallo oblitterato, verbis haud distinguenda a *P. miniata* oblitterata Ach., sed corticola et sine dubio alius speciei proles analogae, mutata — v. c.? *P. Sieberianae* Laurer! in *Linnaea* 11. pag. 38.

In ora N. Hollandiae occidentali. Herb. Preiss. No. 2699.

7. **Parmelia rubiginosa**, thallo membranaceo adpresso epruinoso livido-glauco, ambitu laciniato-multifido, hypothallo indeterminato tomentoso coeruleo-nigro, apotheciorum disco rufo-badio, margine thallode incurvo crenato. Ach. Lich. un. p. 467. Lich. Eur. p. 88.

Ad fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2700.

Specimina Novae Hollandiae, ut etiam capensia *Thunbergii!*, ex omni parte cum Lichene europaeo congruunt, ut de identitate hujus speciei cosmopolitae haud dubitetur.

8. **Parmelia stellaris** Wallr. thallo foliaceo subcartilagineo glaucescente nudo epruinoso laciniis multifidis.

subtus albidis fibrillosis, apotheciis sessilibus, margine tumidulo subintegro, disco fusco-atro primitus pruinoso. Lich. Europ. p. 82.

Haec species vulgatiores videtur in cortice *Hakearum*, adsunt enim proles, non quidem bene evolutae, ad hanc speciem tamen certe referendae in eisdem corticibus ac *Lecidea parasema*, *Parmelia atrae* var., *P. caesiorubella*, *P. punicea*.

9. **Parmelia parietina**, thallo foliaceo squamuloso imbricato membranaceo sublobato luteo, subtus pallidiori obsolete fibrilloso, apotheciis elevato-marginatis integerrimis, disco luteo. — Lich. Eur. pag. 72.

Haec species ubiquitaria, lecta in ora meridionali-occidentali ad ramos arborum. Herb. Preiss. No. 2707.

10. **Parmelia conspersa**, thallo foliaceo-imbricato submembranaceo polito stramineo-virescente, laciniis sinuatis planis, subtus nigro-fibrilloso, apotheciorum disco badio, margine integro. Ach. Lich. univ. pag. 486. Lich. Eur. pag. 69.

Forma latifolia, epunctata, fructificans lecta ad rupes montium jugi Darling's range. Herb. Preiss. No. 2708. Alia sterilia specimina ad rupes graniticas montis Brown. Preiss. sine No.

Alia affinis species, concolor (ceterum ad *P. propinquam* Laur. Linn. n. 40. statura accedens) lecta in saxis ad fluv. Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2706. Thallus magis cartilagineus, lobis elongatis, minus divisus. Specimina ad speciem novam condendam generis adeo protei haud sufficiunt.

11. **Parmelia caperata**, thallo foliaceo-imbricato submembranaceo ochroleuco, lobis sinuato-laciniatis apice subintegris, subtus nigricante parce fibrilloso, apotheciorum disco badio-rubro, margine crenulato. Ach. Lich. univ. pag. 457. Lich. Eur. pag. 69.

Plures adsunt hujus formae, ab Europaeis haud diversae, lectae tam ad fluv. Cygnorum (Preiss. sine No.), quam in ora meridionali ad corticem Casuarinae. Herb. Preiss. No. 2710.

12. **Parmelia perlata**, thallo foliaceo-imbricato membranaceo laevi virescenti-glaucos, lobis rotundatis nudis, subtus fusco-nigro obsolete fibrilloso (apotheciorum disco rubro margine tenui). Ach. Lich. Eur. p. 459. Lich. Eur. p. 59.

Specimina tantum sterilia reportata, lecta ad fluv. Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2709.

13. **Parmelia perforata**, thallo foliaceo-imbricato membranaceo viridi-glaucos, lobis rotundatis ciliatis, subtus nigro atrofibrilloso (apotheciorum disco rufo, demum perforato). Ach. Lich. univ. p. 459.

Specimina hujus quoque sterilia, sine loco singulari. Herb. Preiss. No. 2711.

STICTA Ach. — Delise Monogr. Endl. gen.
pag. 15.

1. **Sticta crocata**, thallo frondoso membranaceo laciniato-lobato sublacunoso glauco-fuscescente, subtus villosa nigro-fusco, cyphellis sorediiformibus citrinis adperso, apotheciis marginalibus, margine primitus thallode, disco fusco-nigro. — Ach. Lich. Eur. p. 447. var. *gilva*.

Ad rupes in monte Wuljenup. Herb. Preiss. No. 2712.

Specimina N. Hollandica ex omni parte congruunt cum *Lichene gilvo* Thunb. Prodr. Fl. Cap. p. 178. Hic est speciei forma typica fructifera; forma primaria Acharii autem aberratio sterilis, marginibus pulverulentis.

CETRARIA Lich. Eur. p. 34. Endl. gen. p. 15.

1. **Cetraria aculeata** Fr. thallo fruticuloso cartilagineo rigido subfistuloso irregulariter ramosissimo spadiceo, ramis divaricatis nigrospinulosis, apotheciis terminalibus peltatis denticulatis, disco spadiceo. Lich. Eur. p. 35.

Cornicularia. Ach. meth. t. 6. f. 2.

Ad rupes montis Brown. Herb. Preiss. No. 2714.

RAMALINA Ach. Lich. univ. pag. 122. Endl.
gen. pag. 16.

1. **Ramalina pusilla**, thallo caespitio erecto molli ochroleuco, ramis inflatis turgidis difformibus, disco apicibus angustatis immerso concavo pallido. Fr. Lich. Eur. pag. 29.

In N. Hollandiae ora meridionali-occidentali. Herb. Preiss. No. 2713.

Inventum nobilissimum Lichenis hactenus in insulis Stoechadibus modo observati. Ad *Ramalinas* triviales exacte accedit, ut *Dufoureae* Ach. ad *Evernias*.

USNEA Ach. — Lich. Eur. pag. 17. Endl.
gen. pag. 16.

1. **Usnea barbata**, thallo tereti irregulariter ramoso glauco, ramis discretis demum annulatim ruptis, apotheciis subimmarginatis radiatis, disco pallido. Fr. l. c. p. 18.

Ad truncos emortuos ins. Rottennest. Herb. Preiss. No. 2715.

Specimina e N. Hollandia allata spectant ad formam, quam b. Acharius *U. ceratinam* appellavit.

2. **U. pulvinata** Fr. thallo tereti fruticuloso erecto, primario atro, ramis ramulisque fibrillosis densissime pulvinato-intricatis ochroleuco-pallescentibus, apotheciis extus densissime fibrilloso-muricatis, disco pallido.

Ad rupes summitatis montis Wuljenup. Plantagenet, et in cortice *Hakearum*. Herb. Preiss. No. 2716.

Structura omnino praecedentis ejusque forsan forma singularis; dubius distinxi ob staturam pumilam, condensatam, truncum primarium nigrum et apothecia extus densissime spinulosa.

LICHEN incerti generis:

Thallus crustoso-cartilagineus, effiguratus, basi radicans, radice ramosa, fibrillosa, facie plantae Dicotyledeneae, sed structura Lichenosa. Fructificatio ignota.

Quamvis genus determinari nequeat, nolui praetermittere Lichenem radice distincta (ab hac familia, excepta *Siphula Ceratite*, valde aliena), singularem. Thallus e lobis condensatis, subimbricatis, verticalibus, heteroplacis tamen, utrinque planis compositus, foliaceo-fruticulosus, $\frac{1}{2}$ unc. altus. Cum *Lecidea vesiculari opuntioide* analogiam quandam praebet, verum multo magis evoluta et distincte radicata. Ad rupes montis Lehmann. Herb. Preiss. No. 2717.

CHARACEAE Rich. Endl. gen. pag. 6.

(Auctore A. BRAUN.)

CHARA Linn. Endl. gen. n. 77.

A. CHARAE EPIGYNAE (omnes ecorticatae, ebracteatae).

1. **Chara heterophylla** (mihi) caule valido elongato, verticillis remotissimis, laxioribus, e foliis 7-8 majoribus, in divisione media triplicato-, in reliquis duplicato-divisis, interjectis aliis, iisque numerosioribus, foliis minoribus, simpliciter vel in una alterave divisione duplicato-divisis, omnibus respectu diametri caulis tenuissimis, segmentis ultimis fasciculatis (quinis-septenis), continuis, mucrone imposito apiculatis; fructificatione monoica?, seminibus.....

In fluvio *Adamsriver*, Grantham, Mart. 1841. Herb. Preiss. No. 1876.

Specimina Preissiana manca et sterilia. Inter Charas europaeas unica eaque rarissima species provenit cui comparari possit, scilicet *Ch. hyalina* DC. (ad lacum Lemantum crescens), a qua differt mole majore, caule validiore fere *Charae translucentis*, verticillis ramosissimis, foliorum articulo primo valde elongato, segmentis ultimis non ventricosis et apiculo articulatum imposito terminatis. Color intense viridis vel fuscescens.

2. **Chara gelatinosa** (mihi) caule validiore, elongato, flexili; verticillis sterilibus remotissimis, e foliis elongatis, simplicibus, continuis, apice brevissimis 2-3 furcatis, fertilibus heteromorphis, minimis, densissime approximatis, capitula minuta, oblonga, lateralia et terminalia, mucro hyalino involuta formantibus, e foliis novenis prope basin simpliciter divisus, segmentis 6-7 aequalibus, multi-articulatis; fructificatione dioica? seminibus in divisuris foliorum solitariis, minutis, subglobosis, coronula elongata angusta, fasciis a latere conspicuis subseptenis.

In locis hyeme inundatis ad fluvium Canningriver, Perth. Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 1880.

Species singularis, ab omnibus hucusque cognitis distinctissima, inter *Charam translucentem* et *nidificam* collocanda. Habitu cum *Ch. translucente* comparanda, sed paulo tenerior et pallidior, maxime pellucida. Verticillorum sterilium in speciminibus Preissianis uberrime fructiferis non nisi rudera inveni, hinc numerus foliorum in iis dubius. *Folia* sterilia ex articulo unico, maxime elongato, caulem valetudine fere aequante, apice coronata apiculis 2-3 brevibus, sed pluries articulatis. In foliis fertilibus capitulorum e contrario articulus primus brevissimus et fere inconspicuus, divisionum autem articulus primus elongatus, reliqui (2-3) sensim breviores, ultimo saepe minimo acuto. In nulla alia specie differentia verticillorum sterilium et fertilium major: folia verticillorum sterilium fere pollicaria; capitula fertilia integra, e capitulis 10-12 dense congestis formata, 1-2 lineas longa. *Semina* in capitulis plurima, divisionibus foliorum prope basin eorum imposita, e minimis generis, iis *Charae tenuissimae* vix majora, cortice hyalino tenui, nucleo fusco diaphano, cristis vix prominulis. Specimina visa omnia seminifera, globulifera non vidi.

Chara congesta (R. Brown Prodr. p. 346.) caule valido elongato, verticillis remotis, dense conglobatis, e foliis rigidiusculis: majoribus 7-8 triplicato, imo in divisionibus mediis quadruplicato-divisis, interjectis aliis minoribus numerosissimis, duplicato vel triplicato-divisis, segmentis ultimis quinis-septenis, continuis, mucrone imposito apiculatis; fructificatione monoica? seminibus in divisionibus foliorum primariis et secundariis aggregatis, subglobosis, coronula elongata angusta, fasciis a latere conspicuis subdenis.

Ad Novae Hollandiae oram septentrionalem et australem. (R. Brown 1802—3.)

Haec quoque *Ch. hyalinae* affinis, a qua differt omnium partium rigiditate, caulibus validioribus, verticillis remotis, dense conglobatis, e foliis omnium numerosissimis (minoribus circiter 40!); foliorum majorum radiis omnium divisionum numerosis, radiis mediis quadruplicato-divisis, segmentis ultimis numerosioribus, non ventricosus, apiculo imposito mucronatis, seminibus aggregatis (nec solitariis), paulo majoribus, coronula longiore et angustiore, acuta terminatis. Color e hyalino fuscescens, globulos non vidi.

Chara Lhotzkyi (mihi) caule debili, verticillis approximatis et confluentibus, dense conglobatis, e foliis mollioribus: majoribus 7-8 duplicato, in divisionibus mediis triplicato divisis, interjectis paucis minoribus simpliciter vel partim duplicato-divisis, segmentis ultimis ternis-quinis, continuis, mucrone imposito apiculatis; fructificatione monoica? seminibus

In Nova Hollandia prope Menoro (?) legit Lhotzky.

A praecedentibus differt statura minore, caulibus tenuissimis, verticillis approximatis, confluentibus, verticillorum foliis interjectis minoribus numero foliorum majorum paucioribus. Color atrovirens.

Habitu media quasi inter *Ch. hyalinam* DC. et *batrachospermam* Reichenb. (nec Thuill.) Fructificatio ignota.

Not. *Ch. heterophylla*, *congesta* et *Lhotzkyi* forsitan ut ejusdem speciei subspecies contemplandae.

B. CHARAE PLEUROGYNAE (plerumque ecorticatae, bracteatae barbatae).

3. **Chara macropogon** (mibi) flexilis, pellucida, caule tenui parum ramoso, verticillis remotiusculis vel concatenatis, e foliis circiter novem, 4-5 articulatis, articulis praeter ultimum breviorum subaequilongis, foliolis in geniculis foliorum verticillatis, elongatis tenuissimis, basilaribus numero foliorum iisque oppositis, longissimis, barbam cauli retrorsum adpressam longitudine fere verticilli formantibus; fructificatione monoica: globulis in geniculis foliorum solitariis; seminibus in fundo verticilli congestis, oblongis, coronula truncata, fasciis a latere conspicuis circiter 11.

In fluvio Cygnorum (aqua salsa) prope oppidulum Perth, Nov. 1841. Herb. Preiss. No. 1877.

Species quam maxime singularis, ex affinitate *Charae barbatae* Meyen et *alopecuroidae* Delile, sed ab utraque praesertim globulorum et seminum distributione et longitudine barbae valde diversa. *Pedalis*, pallide viridis, demum decolor et hyalina, in statu juniore et sterili valde flexilis, in fructifero rigidiuscula ad aspectum propter foliola tenuissima, elongata et varie intertexta plumoso. In nodis caulis infimis nonnunquam tubercula oblonga, candida, amylo repleta (ut in *Chara aspera* W.) observantur. *Folia* verticillorum 8-10, subconniventia. *Foliola* in singulis geniculis 4-5 patula, articulis foliorum plerumque longiora, tenuissima, acuta. Praeter foliola basilaria inferiora, barbam longissimam pendulam formantia, in verticillis inferioribus sterilibus vel globulos tantum gerentibus alia superiora, supra foliorum originem e nodo caulis prodeuntia, pariter numero foliorum et foliis opposita, erecta vel erecto-patentia, articulo foliorum primo paulo longiora adsunt. Eorum loco in verticillis fertilibus semina reperiuntur, verticillum proprium in fundo verticilli foliorum formantia, quasi in nido congesta, bracteis nonnullis rarius semina superantibus intermixta. Praeter globulos a seminibus remotos, geniculis foliorum solitarie impositos, saepe alii nonnulli in fundo verticilli ad latera seminum positi observantur. *Semina* magnitudine eorum *Ch. alopecuroidae*, cortice crasso diaphano, nucleo fusco, fasciis (ut in omnibus speciebus cognitis) dextrorsum contortis, cristis parum prominulis. — „Odor Allii ursini.“ (Preiss.)

C. CHARAE HYPOGYNAE (plerumque corticatae, bracteatae).

4. **Chara Preissii** (mibi) rigidiuscula, tenuissime incrustata, diaphana inferne ramosa, caule strictiusculo, corticato, aequaliter striato, aculeato; verticillis parum remotis e foliis 9-10, omnino ecorticatis, 5-articulatis, articulo ultimo attenuato, foliola geniculum ultimum coronantia non superante; foliolis in omnibus foliorum geniculis verticillatis, quam semina duplo longioribus; foliolis basilaribus duplici foliorum numero, coronulam simplicem verticillo adpressam formantibus; fructificatione dioica: seminibus solitariis, coronula connivente obtusa, fasciis a latere conspicuis circiter 11.

In fluvio Avon, York, aqua subsalsa. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 1878.

Species pulchella ex affinitate Ch. Hydropityos Reichb. (Americae australis) et *Ch. fibrosae* Agardh (ex insulis Marianis), ab utraque fructificatione dioica, caule aculeato aliisque notis distincta. Palmaris, colore sordide virente. Tubuli caulis corticem formantes tenues, subaequales, duplici foliorum numero vel paulo numerosiores. Aculei rariores, sparsi, caulis diametrum plerumque superantes. Verticilli patuli e foliis breviusculis. *Foliola* in singulis geniculis foliorum 4-5, longitudine subaequalia, articulis foliorum subaequilonga vel paulo breviora. Globuli plantae masculae (aeque ac semina) in geniculis foliorum solitarii, magnitudine fere seminum. *Semina* parva, iis *Ch. vulgaris* minora, *Ch. Hydropityos* et *fibrosae* seminibus paulo majora, ovalia, cortice viridi subdiaphano, nucleo atro, cristis haud prominulis.

Nota. Species omnes hic descriptae Novae Hollandiae peculiare, nec ulla earum alibi hucusque reperta. Species caulibus foliisque corticatis, quales in Europa vulgatissimae sunt, e Nova Hollandia hucusque nullae innotuerunt.

ALGAE L. Agardh.

(Auctore O. G. SONDER.)

CONFERVACEAE.

Subord. OSCILLATORIEAE.

LYNGBYA Agardh. Endl. gen. suppl. III. n. 23.

1. **Lyngbya anguina** Montagn. filis porraceis flexuoso-implexis longis in caespitem crispatum aggregatis. Montagn. prod. phyc. pol. antarct. p. 16.

Ad oram occidentalem Novae Hollandiae prope fluvium Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2475.

Fila tenuissima. Color laete viridis.

Chara australis (R. Brown Prodr. p. 316.) omnino ecorticata, flexilis, ramosa, caule validiore, verticillis inferioribus remotis, superioribus approximatis, e foliis senis, validis, 3-articulatis, articulis subaequilongis, ultimo obtuso minutissime apiculato; foliis ad basin et in geniculis foliorum subnullis; fructificatione dioica: globulis maximis in geniculis foliorum aggregatis; seminibus . . .

Ad oram orientalem Novae Hollandiae (R. Brown 1802—1803).

Species insignis prope *Ch. corallinam* Klein (ex India orientali) collocanda, a qua praesertim differt fructificatione dioica et globulis omnium maximis. Plantam seminiferam non vidi.

Chara plebeja (R. Brown ined.) omnino ecorticata, rigida, inferne ramosa, caule tenuiore, verticillis remotis e foliis subseptenis, 4-5 articulatis, articulo primo elongato, ultimo (vel duobus ultimis) brevissimo et minimo obtuso; foliolis ad basin verticilli et genicula foliorum fertilia minimis, tuberculiformibus; fructificatione dioica; globulis minoribus in geniculis foliorum subsolitariis; seminibus . . .

Ad oram septentrionalem Novae Hollandiae. (R. Brown 1803.)

Praecedente, cujus forsitan subspecies, minor, rigidior; folia breviora, conniventia. Color flavescens, in praecedente intense viridis.

Subord. CONFERVOIDEAE.

CONFERVA Agardh. Endl. gen. suppl. III.
n. 34. **CLADOPHORA** Kütz. phycol general.
p. 262.

1. **Conferva (Cladophora) valonioides** Sond. filis inferne firmioribus ramosissimis dichotomis, ramis patulis plerumque ternis verticillatisve, articulis cylindricis subinflatis inaequalibus, inferioribus diametro 6-8-plo, superioribus 3-4-plo longioribus, ultimis obtusissimis. Sond. in Mohl et Schlechtend. bot. Zeitg. 1845. n. 4.

Ad oras occidentales Novae Hollandiae, *Caulinae oceanicae* adhaerens. Herb. Preiss. No. 2476, 2477 et 2478.

Caespes obscure viridis, exsiccatus interdum sordide lutescens, semipedalis pedalisve. *Fila* inferne rigidiuscula, capillo humano subduplo crassiora, membranacea, nitentia, dichotoma, medio apiceque verticillatim ramosa, tenuiora, pellucida, subcrispata. *Rami* creberrimi, oppositi, saepius ternati vel quaternati, erecto-patuli, ramulis similibus apicem versus sensim tenuioribus. *Articuli* inferiores intermediis duplo longiores, cylindrici, superiores ob genicula contracta oblongi ovaesve, subinflati, ultimi abbreviati, obtusissimi. *Genicula* pellucida. Exsiccata chartae non adhaeret. Habitu *Confervam glomeratam* fere refert.

2. **Conferva (Cladophora) nitidula** Sond. filis membranaceis laete viridibus erectis dichotomis, ramulis ultimis subsecundis brevissimis, articulis cylindricis inaequalibus diametro 3-6-plo longioribus. Sond. l. c.

Ad oras occidentales Novae Hollandiae *Caulinae oceanicae* adhaerens. Herb. Preiss. No. 2479.

Caespitosa ut antecedens, cui simillima, differt tamen: ramis dichotome divisis non ternis verticillatisve, ultimis abbreviatis secundatis, articulisque magis cylindricis.

Conferva anisogona Montagn. filis multo tenuioribus dignoscitur.

Subord. SIPHONEAE.

CAULERPA Lamourx. Endl. gen. suppl. III.
n. 42.

a. *Eucaulerpa*.

1. **Caulerpa scalpelliformis** Agardh. frondibus pinnatis, pinnis oblongo-linearibus obtusis. Agardh. spec. I. p. 437.

Fucus scalpelliformis R. Brown in Turn. hist. t. 174.

Ad oras occidentales Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2480.

Planta Preissiana omnino eadem est ac Browniana, substantia coriacea crassiuscula pinnisque magnis obtusis insignis. Specimina, tam ex oris Afri-

canis quam Americanis allata, quae sub hoc nomine in herbario Bunderiano vidi, cum cl. J. Agardh cum planta Australasiaca conferre nequeo, differunt enim substantia multo tenuiore, pinnisque acutis. Major interest similitudo cum *Caulerpa denticulata* Decaisn., et haud scio an propriam speciem constituent.

2. **Caulerpa distichophylla** *Sond.* surculo repente debili, frondibus erectis pinnato-pectinatis, pinnis approximatis patentibus oppositis cylindraceis obtusis basi non angustatis, junioribus subfalcatis. *Sond. l. c.*

Ad litus Novae Hollandiae occidentale. *Herb. Preiss. No. 2481.*

Simillima *Caulerpa plumari* Agardh., sed fronde brevior, rigidior, pinnisque brevibus, basi latioribus, apice nunquam acutis diversa.

Surculus filiformis repens. *Fronde* erectae, filiformes, 2-3 pollicares, simplices vel apice bifidae, a basi pinnato-pectinatae, *jugamento* compresso, *pinnis* patentibus, cylindricis, in sicco subcompressis, linearibus, oppositis, simplicibus, apicem versus subfalcatis, lineam longis, approximatis, in ramulis subimbricatis. *Color* viridis. *Substantia* surculi cornea, frondis membranacea. *Planta* siccata subfragilis, nitidula.

b. *Chauvinia.*

3. **Caulerpa hypnoides** *Agardh.* surculo squamuloso, fronde virgata, ramis crebris undique obtectis ramentis subulato-setaceis densissime imbricatis. *Agardh. spec. l. p. 443.*

Fucus hypnoides *Turn. hist. t. 173.*

Caulerpa flexilis *Agardh! l. c.*

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. *Herb. Preiss. No. 2482.*

Frons 1-2-pedalis, simplex vel ramosa, *ramis* alternis simplicibus iterumve divisis. *Ramenta* apice plerumque bi- vel tri-cuspidata.

4. **Caulerpa obscura** *Sond.* surculo squamuloso, frondibus erectis crassiusculis, ramis tenuibus undique patentibus inferioribus longioribus, ramentis subulato-setaceis quadrifariam imbricatis. *Sond. l. c.*

Ad litus Novae Hollandiae occidentale. *Herb. Preiss. No. 2483.*

Differt a *Caulerpa hypnoide* cui proxime convenit, colore subnigrescente, statura multo minore, ramentisque longioribus, tenuioribus, tetrastichis.

Herba circumscriptione lanceolata. *Surculus* repens, spithameus vel ultra, pennae columbinae erassitie, filiformis, solidus, squamulis minutis dense imbricatis tectus, inferne radículas breves, superne emittens *frondes* erectas, tripollicares, teretes, apicem versus attenuatas. *Rami* crebri, semipollicares, undique patentes, tenues, simplices, quorum inferiores longiores, quorum superiores sensim breviores. *Ramenta* linearia, subcapillaria, acutiuscula, patula, lineam longa, basibus imbricata. *Color* subaeruginosus, in aqua dulci servatae albescens. *Substantia* surculi et jugamenti cartilagineo-cornea, ramentorum membranacea.

5. **Caulerpa sedoides** *Agardh.* ramentis vesiculosis subphaericis undique laxè imbricatis, siccitate fornicatis. *Agardh. spec. l. p. 438.*

Fucus sedoides *Turn. hist. t. 172.*

Ad litus Novae Hollandiae occidentale. *Herb. Preiss. No. 2484.*

6. **Caulerpa cylindracea** *Sond.* surculo repente debili, frondibus erectis subsimplicibus, ramentis vesiculosus undique laxe imbricatis cylindraceis obtusissimis basi subattenuatis. *Sond. l. c.*

Ad litus Novae Hollandiae occidentale. *Herb. Preiss. No. 2485.*

Surculi longe repentes, fistulosi, membranacei, virides, inferne radices albidas, capillaceo-fibrillosas gerens. *Fronde* erecti, 1-2-pollicares, *jugamento* tereti, filiformi, simplici, in uno specimine apice bifido, *ramentis* suberectis, laxiusculis, vesiculosus, cylindraceis, apice obtusis, basin versus subangustatis, $1\frac{1}{2}$ lin. longis, nitentibus. *Color* viridis. *Substantia* totius plantae membranacea.

Caulerpae Lamourouxii *Grev. (claviferae* β , *Lamourouxii* *Agardh)* affinis, sed fronde multo minore, ramentisque cylindraceis non pyriformibus diversa.

STRUVEA *Sond. in Mohl et Schlechtend. bot. Zeitg. 1845. n. 4.*

Frons erecta, tubulosa, membranaceo-coriacea, pallide viridis, annulatum constricta, initio simplex apice obtusa, tandem attenuata, ex articulis superioribus ramos emittens breves, articulatos, distiche bipinnatos, circumscriptione subpyramidatos oblongosve.

Alga marina Australasiaca, radicibus flexuosis, tubulosis instructa.

Nomen dedi in honorem Viri Illustrissimi *H. de Struve*, imperatori Rossico a consiliis intimis ejusque internuntii apud civitates liberas Hanseaticas, de augenda rerum naturalium cognitione in urbe nostra meritissimi.

1. **Struvea plumosa** *Sond. l. c.*

Ad scopulos submersos orae occidentalis insulae Garden-Island. d. 10. Nov. 1838. *Herb. Preiss. No. 2486.*

Fronde plures 8-20, caespitem densum formantes, radicibus tenuissimis, intricatis, scopulis adhaerent. *Radices* sunt tubulosae, inarticulatae, corneae, nitentes, fistulosae, pellucidae, nec materia viridi repletae, flexuosae, plerumque elongatae, indivisae vel subdichotomae. *Frons* erecta, coriacea, tubulosa, aetate juniore viridis, spathulata, seriore elongata, basi apiceque angustata, bi- vel tripollicaris, pallida, hyalina, nitidula vel crusta calcarea levissima obducta, annulatum constricta, in media parte diametro sesquilineam efficiente, ibidemque annulis vel nullis vel obsoletis praedita. Apex elongatus parte frondis inferiori quidem simillimus est, structura tamen alia gaudet. Nam annuli, qui illic cavi sunt, ut frons ipsa tubum efficiat, hic membranis tenuissimis alius ab alio separati, loculos efficiunt, ex quorum articulis, ut in *Caulerpis* et *Vaucheriis*, aetate proveciore ramuli emittuntur minuti, distichi, horizontaliter patentes, lineari-subulati, tubulosi, granulis minutissimis, viridibus farti. Qui ramuli, postquam ad longitudinem lineae unius prolongati sunt, materia interna viridis in globulos majores coit, qui postea ramulum in tot articulos (loculos) quot fuerunt globuli dividunt. Denique ramuli ex geniculis novos ramellos distichos, prioribus conformes emittunt, qui cum ramellis ramorum oppositorum concrecentes, porro non dividuntur. Rami inferiores et superiores in speciminibus perfecte evolutis

parum breviores sunt quam intermedii, quo efficitur ramificatio frondis oblonga. *Fructificatio* ignota est.

Planta haec memorabilis *Chamaedori annulatae* Montagn. primo adpectu et praesertim aetate juniore simillima est, evolutione tamen satis differt. In *Chamaedori* enim axis articulata deest, contra ex apice obtuso enascuntur fila numerosa confervoidea, ramosissima, intricata, sensim angustiora, inaequaliter articulata, quae penicillum capitatum exhibent. Radices et frons junior *Struveae* exacte eadem est atque *Chamaedoris*.

BRYOPSIS Lamourx. Endl. gen. suppl. III. n. 62.

1. **Bryopsis australis** Sond. caespitosa, filis tenuissimis sparse ramosis, ramis elongatis nudis apice penicillatis, penicillo oblongo, ramentis undique egredientibus erecto-patulis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2487.

Plantula tenerrima. *Fila* caespitosa 3-4-pollicaria, tenuissima, flaccida, laete viridia, nitentia, ima basi nuda, a medio hinc inde ramis erecto-patentibus obsessa. *Rami* vel 3-lineares vel ultra pollicares, apice penicillo oblongo, 2-3 lineas longo, plumati. *Ramenta* erecta vel subpatula, lineam longa, simplicia, in plerisque speciminibus subhexasticha.

Simillima *Bryops. penicillatae* Subr in *Seubert* flor. Azoric. p. 9 t. 1 f. 1 a qua differt: ramis longioribus flaccidis simplicibus, ramentisque subimbricatis tenuioribus non fastigiatis. *Bryops. setacea* Hering in *Annal. of nat. hist.* VIII. 91, cujus specimen authenticum in herbario Binderiano comparavi, ramenta habet dimidio minora, subtristicha.

2. **Bryopsis foliosa** Sond. caespitosa, ramentis obtusis subsimplicibus dense vestita, filis erectis apice subincurvo ramosis, ramis secundis, inferioribus longioribus. Sond. l. c.

Ad litus Novae Hollandiae occidentale. Herb. Preiss. No. 2488.

Caespites parvuli, laete virides, nitentes. *Fila* pollicaria vel sesquipollicaria, semilineam lata, erecta, apice subincurva, inferne simplicia, superne ramosa, undique dense obsessa ramentis brevibus, patentibus, obtusis, lineam longis, plerumque simplicibus, rarissime subramellosis. *Rami* secundati, inferiores 3-4-lineares, compositi, superiores sensim breviores, simplices. *Ramentu* filo primario multo tenuiora, omnia erecto-patula, cylindracea, obtusa, basi parum angustata.

Species habitu singulari, ramificatione et filo primario crassiusculo folioso bene distincta et ab affinibus diversa.

3. **Bryopsis gracilis** Sond. filis aggregatis erectis subsimplicibus, inferne ramis brevissimis superne elongatis obtectis, ramentis undique egredientibus obtusis diametro 3-4-plo longioribus. Sond. l. c.

Ad litus Novae Hollandiae occidentale. Herb. Preiss. No. 2488.

Caespes gracilis, inferne pallidus, superne laete viridis. *Fila* bi- vel tri-pollicaria, erecta, semilineam crassa, inferne nuda, a medio ad apicem ramis sparsis ramentisque brevibus obsita. *Rami* tenues, alterni, pauci, in specim. maximis non ultra 8, erecto-patuli, inferiores et superiores 1-2 lin., intermedii 3-4 lin. longi, ramentis undique egredientibus obtecta. *Ramenta* fili primarii lineam circ. longa, ramorum dimidio minora, obtusa, cylindrica, diametro 3-4-plo longiora.

Antecedenti proxime affinis, sed ramificatione habituque diversa, an forsitan varietas?

Subord. ULVACEAE.

PHYCOSERIS Kütz. phycolog. gen. p. 296.
Ulvae spec. Agardh.

1. **Phycoseris Ulva** *Sond.* stipite nullo, fronde cartilagineo-membranacea latiuscula irregulariter laciniata suberispata, basi reniformi-cordata, laciniis plerisque elongatis margine dentatis, cellulis periphericis elongatis verticalibus. *Sond. l. c.*

Ad litus Novae Hollandiae occidentale. Herb. Preiss. No. 2489.

Radix scutata, minima, conchis adnata. *Stipes* in nostris speciminibus nullus. *Fronde* aggregatae vel solitariae, basi cordatae, subreniformes, pollicem lata, mox divisa in lacinias 6-8 irregulares, lanceolatas, 2-3 poll. longas, 2-4 lin. latas, simplices vel apice dichotomas, subcrispatas, margine inciso-dentatas vel sublaceratas. *Fructus* deest. *Color* saturate viridis. *Substantia* membranacea subcartilaginea, exsiccatae rigidiuscula. *Frons* cellulosa e duobus cellularum verticalium stratis componitur. Exsiccatione chartae adhaeret.

Valde affinis *Phycos. divisae* (*Ulvae divisae* Suhr), differt fronde basi latiore et praesertim substantia subcartilaginea.

PHYCEAE.

Trib. BATRACHOSPERMAE.

LIAGORA Lamourx. Endl. gen. suppl. III. n. 74.

1. **Liagora viscida** *Agardh.* fronde subcylindrica dichotoma, segmentis crebris fastigiatis, apicibus obtusis. *Agardh. spec. I. p. 395.*

Fucus viscidus Turn. hist. t. 119.

Ad litus Novae Hollandiae occidentale. Herb. Preiss. No. 2490.

2. **Liagora distenta** *Lamourx.* fronde attenuata virgata, ramis ramulisque sparsis distentis, apicibus furcatis. *Lamour. polyp. pag. 240. Agardh. spec. I. pag. 394.*

Fucus distentus Mertens in Roth catal. botan. III. pag. 103. t. 2.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2491.

3. **Liagora pulverulenta** *Agardh.* fronde dichotoma cylindrica pulverulenta, segmentis fastigiatis, apicibus obtusis. *Agardh. spec. I. pag. 396.*

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2492.

Specimina Preissiana tripollicaria pulvere albido, subargenteo tecta.

4. **Liagora australasica** *Sond.* pumila dichotoma, ramis continuis teretiusculis exsiccatione compressis, ramulis teretibus divaricatis supremis brevissimis obtusis. *Sond. l. c.*

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2493.

Liagorae viscidae affinis, sed distincta fronde minore exsiccatione compressa, ramisque tenuioribus, apice viridulis.

Radix ignota. *Frons* 1-1½-pollicaris, dichotome ramosissima. *Rami* undique subhorizontaliter patentes, *segmentis* sensim angustioribus, fastigiatis, crusta calcarea obductis, ultimis brevissimis, teretiusculis, obtusis, nudis. *Color* albidus, apicis virescens. *Substantia* rigida, cornea, subfragilis. *Structura* interna exacte ac in *Liagora viscida*.

Trib. CHORDARIEAE.

LEATHESIA Gray. Endl. gen. suppl. III. n. 83.

1. **Leathesia umbellata** Menegh. fronde minuta hemisphaerica solida, antheridiis exsertis, filis periphericis utriculos sporiferos longitudine duplo excedentibus. Meneghin. alg. ital. e dalmat. fasc. IV. p. 307 (Mart. 1843). Endl. gen. suppl. III. pag. 23. (Octob. 1843).

Corynephora umbellata Agardh. in Flora 1827. pag. 630.

Corynephlaea umbellata Kütz. phyc. gener. pag. 331. t. 18 f. IV.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem, in *Cystoseira dumosa* parasitica. Herb. Preiss. No. 2494.

Subord. HALYSERIDEAE.

Trib. SPHACELARIEAE.

SPHACELARIA Lyngb. Endl. gen. suppl. III. n. 85.

1. **Sphacelaria Novae Hollandiae** Sond. stupa nulla. fronde minuta tenuissima, ramis alternis erecto-patulis filiformibus, paucis brevissimis clavatis intermixtis, articulis striatis diametro aequalibus. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2495.

Caespites minuti, 6-8 lineas alti, fastigiati, olivaceo-virides. *Frons* capillo humano tenuior, a basi ramosa, articulata, pleiosiphonia, articulis diametrum aequantibus. *Rami* alterni, rigidiusculi, subulati, erecti vel patuli, subadscendentes, inaequales, alii elongati, alii abbreviati, simplices, axillis acutis, longitudinaliter striati, 2-3-siphonii, articulati, articulis diametro aequalibus vel subbrevioribus. Articulum ramorum ultimum (sphacella) reliquis longius, monosiphonium, estriatum, materia obscure viridi fartum. Ramis subulatis immixti sunt alii minores, ovati, clavati, turbinati, subpedicellati (propagulae J. Agardh, capsulae C. A. Agardh), qui in articulis ultimis, majoribus, granula purpurascencia continent.

Valde accedit ad *Sphacelariam tribuloidem* Meneghin.

Trib. DICTYOTAE.

DICTYOTA Lamourx. Endl. gen. suppl. III. n. 90.

1. **Dictyota minor** Sond. fronde anguste-lineari alterne ramosa vel basi dichotoma, segmentis patentibus dichotomis integerrimis, ultimis obtusis. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem, *Janiis adbaerens*. Herb. Preiss. No. 2496.

Frons solitaria bipollicaris, vix semilineam lata, integerrima, ramis alternis, inferioribus $\frac{1}{2}$ -1-pollaribus, superioribus sensim brevioribus, dichotomis, erecto-patulis, subdivaricatis, ultimis parum angustioribus apice obtusis. *Fructus* nullos vidi. *Color* olivaceo-viridis. *Substantia* membranacea, tenuis, prope basin firmior.

Habitu proxime convenit *Dictyotae dichotomae*, differt vero ramificatione irregulari segmentisque multo angustioribus.

2. **Dictyota fastigiata** *Sond.* fronde membranaceo-coriacea lineari-dichotoma, segmentis erecto-patulis marginatis, ultimis obtusis brevissime emarginatis *Sond. l. c.*

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2497.

Radix scutata, stuposa. *Frons* semipedalis, linearis, $1\frac{1}{2}$ lin. lata, a basi irregulariter dichotoma, *segmentis* erectis subpatulis, margine subincrassato integerrimis, ultimis abbreviatis, plerumque 2-3 lin. longis, rotundato-obtusis, brevissime acuteque emarginatis. *Cellulae* frondis exteriores seu epidermidis densae, minutae, horizontales, granulis minutissimis repletae, interiores multo majores, hexagonae, vacuae. *Fructificatio* ignota. *Structura* subcoriacea. *Color* exsiccatae nigrescens.

Species distinctissima, habitu omnino *Fucum obtusatum* Labillard. Nov. Holland. t. 255 referens.

ZONARIA J. Agardh. Endl. gen. suppl. III. n. 91.

1. **Zonaria nigrescens** *Sond.* stipite stuposo simplici, fronde subcoriacea flabelliformi inciso-lobata, lobis rotundatis integris incisive, zonis transversalibus concoloribus. *Sond. l. c.*

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2498.

Stipes subpollicaris, filis confervoideis, ferrugineis dense vestitus, basi teretiusculus, apicem versus latior et in frondem abiens. *Frons* 3 pollices alta, 3-4 poll. lata, plana, flabelliformis, irregulariter inciso-lobata, vel subpalmatim divisa. *Lobi* cuneati apice rotundati ibidemque subcrispatis, integerrimi vel lacerati, margine subintegerrimi vel sublobati, lobis brevibus angustibusque. *Color* fulvo-fuscus, siccatae nigrescens. *Substantia* coriacea, subflexilis, inferne firmior, striis numerosis longitudinalibus zonisque concentricis concoloribus, in lobis tenuioribus magis conspicuis notata.

Zonaria Diesingii J. Agardh in *Linnaea* XV. p. 445. nostrae valde affinis, fronde non stipitata laciniisque elongato-cuneatis differre videtur. *Icon. Variet. discoloris Zonariae variegatae* Mart. *Icon. select.* t. 2. f. 2. habitum nostrae plantae bene exprimit.

2. **Zonaria flava** *Agardh.* stipite stuposo-ramoso, ramis in laminas cuneatas laciniatas explanatis frondem flabelliformem formantibus. *Agardh. spec.* I. pag. 130.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2499.

3. **Zonaria interrupta** *Agardh.* fronde mediotenus univervi superne zonata dichotoma, segmentis linearibus apice rotundato-truncatis margine laceris. *Agardh. l. c.* p. 137.

Var.? *tenuior*, fronde tenuissima pallida, apice irregulariter laciniata. Fructus deest.

Ad Novae Hollandiae oram austro-occidentalem. Herb. Preiss. No. 2500.

PADINA Adans. Endl. gen. suppl. III. n. 92.

1. **Padina Fraseri** Grev. frondibus caespitosis fuscis simplicibus ramosisve flabelliformibus membranaceis subtus ferrugineo-tomentosis margine inflexis, zonis concentricis, soris linearibus. Grevill! synopsis. XLIV.

Zonaria Fraseri Grevill. in N. A. N. C. XIV. p. 423. t. 26. f. 2.

Zonaria Pavonia γ . fuscescens Agardh. syst. pag. 263. (sec. Grevill. l. c.).

Ad Novae Hollandiae oram austro-occidentalem. Herb. Preiss. No. 2501.

ASPEROCOCCUS Lamourx. Endl. gen. suppl. III. n. 98. Stilophorae vel Encoelii spec. Agardh.

1. **Asperococcus sinuosus** Bory. fronde sessili bulbata subglobosa sinuoso-plicata. Bory. Morea. 326.

Encoelium sinuosum Agardh. spec. I. pag. 136.

β ? **firmior**, fronde subcrassiore subaurantiaca. An nova species? Specimen Preissianum incompletum.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2502.

2. **Asperococcus cancellatus** Endl. fronde hemisphaerica vel ovoidea hinc inde foraminulosa, clathrato-reticulata, tandem cancellorum marginibus involutis incrassata, rete subexplanatum referente. Endl. l. c.

Encoelium clathratum Agardh. syst. pag. 262.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2503.

Trib. LAMINARIEAE.

CAPEA Montagn. Endl. gen. suppl. III. n. 107.

1. **Capea biruncinata** Montagn. stipite sublignoso tereti apice compresso in laminam expanso lanceolatam pinnatam margine discoque spinulosam, pinnis cuneatis patenti-decurvis. Montagn. Canar. 140. t. 7.

Laminaria biruncinata Bory in Duperr. Voy. 101. t. 10.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2503. (Ad caput bonae spei legit Zeyher).

β **denudata**, spinulis nullis vel subnullis.

Herb. Preiss. No. 2504.

γ elongata, fronde lineari, pinnis abbreviatis sublinearibus margine grosse dentatis.

Herb. Preiss. No. 2505.

Lamina bipedalis et ultra, pollicem lata, *pinnis* linearibus, basi apice-que subangustatis rugosis, simplicibus vel superioribus bifidis, semipedalibus, $\frac{1}{2}$ poll. latis, remote dentatis, dentibus rectis vel incurvatis, rigidis, siccitate pungentibus. *Substantia* quam in Var.: α , firmior. *Color* fuscescens.

2. **Capea radiata** Endl. stipite lignoso tereti apice compresso in laminam suborbicularem profunde lobatam sinuatam dentatam expanso. Endl. l. c.

Fucus radiatus Turn. hist. t. 134.

Laminaria radiata Agardh. spec. I. n. 113.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2506.

Subord. FUCACEAE.

Trib. FUCOIDEAE.

FUCUS Linn. Endl. gen. suppl. III. n. 116.

1. **Fucus vesiculosus** Linn. fronde plana costata lineari dichotoma integerrima, vesiculis sphaericis frondi innatis geminis, receptaculis terminalibus ellipticis. Linn. spec. II. 1626. Agardh. spec. I. pag. 88.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem Herb. Preiss. No. 2507.

MYRIODESMA Decaisn. Endl. gen. suppl. III. n. 118.

1. **Myriodesma serrulatum** Decaisn. caule tereti, ramis foliaceis compressis bipinnatis, pinnis linearibus serrato-dentatis costatis, pinnulis subecostatis, soris parallelis costae approximatis.

Myriodesma serrulata Decaisne in Archiv. Mus. II. pag. 148. Endl. l. c. pag. 29.

Dictyopteris serrulata Lamourx. in Annal. Mus. XX. t. 11. f. 6.

Haliseris serrulata Agardh. spec. I. pag. 144. Endl. l. c. pag. 24.

Dictyomenia serrulata Grevill. synops. LI.

Rhodomelae spec. Agardh. spec. I. p. 373. in adnotatione.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2508.

Pedalis vel ultra. *Frons* inferne teres, pennam columbinam crassa, cornea. siccitate fragilis, rugosa. *Rami* compresso-plani, primarii costa prominente percursi, secundarii basi subcostati, apice membranaceo ecostati.

HIMANTHALIA Lyngb. Endl. gen. suppl. III. n. 119.

1. **Himanthalia ? australis** Sond. fronde tereti dichotoma, ramis divaricatis, ultimis abbreviatis obtusis.

Fucus ? australis Sond. in Mohl. et Schlechtend. bot. Zeit. 1845. pag. 51.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2509.

Specimen unicum semipedale, dichotome divisum, exsiccatum nigrescens, rugulosum, fragile. *Rami* pennam anserinam crassi, inferiores pollicares, supremi 2 lineas longi. *Substantia* cornea. *Structura interior*: strata duo cellularum parenchymaticarum, cellulae *periphericae* angustae, triplo longiores quam latae, *interiores* rotundatae, angulatae. Fructus deest.

PLATYTHALIA Sond.

Frons plana nervosa distiche ramosa, ramulis foliiformibus. Vesiculae nullae. Conceptacula tuberculiformia foliis innata pluriseriata ostiolo hiantia. Sond. l. c.

Algae marinae Australasiacae, coriaceae, exsiccatae nigrae, rigidae.

1. **Platythalia quercifolia** Sond. foliis lanceolatis argute serratis runcinatisve, tuberculis pluriseriatis.

Fucus quercifolius Brown. Turn. hist. t. 151. opt!

Cystoseira quercifolia Agardh. spec. l. pag. 70.

Ad Novae Hollandiae oram austro-occidentalem. Herb. Preiss. No. 2510.

Caules plures e radice, brevissimi, vix semipollicem longi, teretes, pennam columbinam crassi. *Rami* (caules Turn.) 1-2-pedales, erecti, subflexuosi, ancipites, 2-3 lin. lati, costa media prominente percursi, hinc inde ramulos seu pinnas alternas oppositasve, patentes emittunt. *Pinnulae* lanceolatae vel lineari-lanceolatae profunde serrato-incisae, basi saepe subintegerimae. *Conceptacula* pinnulis innata, juxta costam utrinque pluriseriata, poro hiantia, utriculos obovatos, filis inarticulatis simplicibus bifidisque stipatos includentia. *Utriculi* centripeti.

2. **Platythalia angustifolia** Sond. foliis pinnatifidis. laciniis linearibus integerrimis, tuberculis biseriatis. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2511.

Caulis deest. *Rami* patentes, spithamaei, flexuosi, 2 lin. lati, compresso-plani, costa media instructi. *Ramuli* alterni. *Pinnulae* alternae vel oppositae, erecto-patulae, evidenter costatae, $\frac{1}{2}$ -f pollicem longae, 1-1 $\frac{1}{2}$ lin. latae, supremae breviores. *Conceptacula* juxta costam utrinque uniseriata, ostiolo hiantia. *Utriculi* ut in antecedente. *Color* exsiccatae niger. *Substantia* cornea, exsiccatae fragilis.

HORMOSIRA Endl. gen. pag. 10.

1. **Hormosira Nodularia** Decaisn. fronde filiformi flaccida pinnata, pinnis distichis simplicibus ramosisve, vesti-

culis innatis ovato oblongis nudis aculeatisve, conceptaculis tuberculiformibus. Decaisn. in nouv. annal. sc. nat. XVII. pag. 330.

Moniliformia Lamourx. in dict. class. VII. pag. 71.

Fucus nodularius Mert. mém. t. 15.

Cystoseira nodularia Agardh. spec. I. pag. 60.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2512.

SCABERIA Grevill. J. Agardh. Linnaea XV. pag. 1.

1. **Scaberia Agardhii** Grevill. caule tereti ramoso, foliis compresse ovoideis peltatis vesiculisque sphaericis spiraliter dispositis vestito, conceptaculis in foliis superioribus nidulantibus utriculos includentibus obovatos centripetales filis simplicibus cinctos. Grevill. synops. XXXVI.

Castraltia salicornioides A. Richard! sert. Astrolab. pag. 143. Decaisn. in Archiv. mus. II. t. 5. f. 23, 24.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2513.

Trib. CYSTOSEIREAE.

CYSTOSEIRA Agardh. Grevill.

I. GENUINAE Agardh. spec. I. pag. 52.

Cystoseirae spec. J. Agardh. Decaisne. Endlicher.

1. **Cystoseira trinodis** Agardh. caule filiformi pinnato, foliis in vesiculas ternas ellipticas papillosas concatenatas et receptacula paniculata filiformia abeuntibus. Agardh. spec. I. pag. 67.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2514.

Caulis in specim. Preissianis deest; *rami* elongati, pedales et ultra, tennes, valde flaccidi, plerumque ramulorum delapsorum rudimentis aculeolati. *Vesiculae* 2-6 concatenatae, foliis innatae. *Receptacula* filiformia, ramosa, 4-6 lin. longa.

II. RETROFLEXAE Agardh. l. c. pag. 73.

Cystophora J. Agardh. in Linnaea XV. pag. 3. (1841).

Blossevillea Decaisn. in Archiv. Mus. II. pag. 147. (1842).

2. **Cystoseira Brownii** Agardh. ramis basi retroflexis mox horizontalibus cauleque plano articulatis, ramulis brevibus densis, vesiculis solitariis subglobosis vel nullis, receptaculis terminalibus oblongis moniliformiter tuberculatis. Agardh! spec. I. pag. 73.

Fucus Brownii Turn. hist. t. 197.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2515.

Vesiculae in specim. Preissianis desunt.

3. **Cystoseira dumosa** Grevill. ramis basi retroflexis mox erectis cauleque plano articulatis, ramulis erectis linearibus flaccidis dichotomis, vesiculis solitariis geminisve pyriformibus, receptaculis terminalibus oblongis moniliformiter tuberculatis. Grevill! synops. XXXIII.

Blossevillea dumosa Decaisn. l. c.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2516. (Ad oram meridionalem legit Fraser).

Species vix ab antecedente diversa. *Caulis* humilior est, vix pedalis. *rami* magis erecti, ramuli ultimi sublongiores, non semper ut in illa, receptaculis terminati, *vesiculae* minores subpyriformes. An varietas? A sequente receptaculi forma differt*).

4. **Cystoseira retroflexa** Agardh. ramis basi retroflexis mox erectis cauleque plano articulatis, ramulis elongatis linearibus erectis dichotomis, vesiculis solitariis obovatis. receptaculis terminalibus elongatis moniliformiter tuberculatis. Agardh. spec. I. pag. 74.

Fucus retroflexus Labillard. Nov. Holland. II. t. 260. Turn. hist. t. 155.

Blossevillea retroflexa Kütz. phycol. gen. pag. 364.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2517.

Specimina nostra bi- et tripedalia. *Caulis* prope basin teretiusculus, exacte ut in antecedentibus, quibus differt habitu graciliore, ramulis receptaculisque elongatis magis erectis.

5. **Cystoseira subfarcinata** Agardh. caule tripinnato plano ramisque primariis rigidis planis basi retroflexis mox horizontalibus, ramis secundariis teretiusculis abbreviatis, ramulis densissimis filiformibus flexuosis, conceptaculis tuberculato-nodosis ramulis adnatis remotiusculis rarius confluentibus, vesiculis sparsis ovatis. Agardh! syst. p. 289.

Fucus subfarcinatus Mert. mém. pag. 13.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2518.

Species ramis abbreviatis bene distincta. *Caulis* 1-2-pedalis. Rami cum ramulis densis ambitu ovati vel oblongi, 1-2-pollicares. *Vesiculae* in specim. Preissianis desunt.

6. **Cystoseira Grevillii** Agardh. ramis erecto-patulis basi vix retroflexis cauleque teretiusculo subarticulatis, ramulis alternis erectis elongato-linearibus teretiusculis indivisis demum in receptacula non torulosa mutatis, conceptaculis inclusis biseriatis, vesiculis solitariis subglobosis. Agardh! ex Grevill. synops. XXXIII.

* **Cystoseira pectinata** Grevill. et Agardh! species adhuc indescripta, sequenti modo dignoscenda: ramis subcompressis basi retroflexis, ramulis pinnatifidis vel bipinnatifidis, pinnis oppositis pectinatis linearibus compressis. Hab. ad litus meridionale Novae Hollandiae.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2519.

Radix callus lignosus. *Caulis* bipedalis et ultra, prope basin pennam anserinam crassus, teres, apice subcompressus, subflexuosus, ramis conformibus, erecto-patulis, basi subretroflexis, inferioribus $\frac{1}{2}$ -1 pedibus, apicem versus sensim brevioribus. *Ramuli ultimi* seu *folia* linearia, basi apiceque subangustata, teretiuscula, siccitate subcompressa, longitudinaliter rugulosa, $\frac{1}{2}$ -1-pollicaria, $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ lin. lata. *Vesiculae* pisi majoris magnitudine, pedicello tereti, bilineari insidentes. *Conceptacula* foliis inclusa, sphaerica, biserialia. *Utriculi* centripeti, pyriformes, sacculo hyalino inclusi filisque simplicibus circumdati.

Species nulli aliae hujus generis similis, forsitan typus novi generis.

SARGASSUM Rumph. Agardh. Endl. gen. suppl. III. n. 122/7.

1. **Sargassum vulgare** Agardh. caule compresso, foliis lineari-lanceolatis serratis, vesiculis sphaericis muticis petiolo nudo insidentibus, receptaculis cylindraceis racemosis.

Agardh. spec. I. pag. 3.

Fucus natans Turn. hist. t. 46. excl. varietat. plur.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2520.

2. **Sargassum bacciferum** Agardh. caule tereti ramossissimo, foliis linearibus serratis, vesiculis sphaericis mucronatis, petiolis teretibus. Agardh. l. c. pag. 6.

Fucus bacciferus Turn. hist. t. 47.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2521.

3. **Sargassum spinuligerum** Sond. caule brevi tereti, ramis (caulibus auctor.) ancipitibus, ramulis horizontalibus alternis, superioribus erecto-patulis, foliis lanceolatis basi attenuatis inferioribus integerrimis superioribus angustioribus spinuloso-dentatis, vesiculis sphaericis muticis petiolo capillari insidentibus, receptaculis cylindraceis ramosis. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2522.

Pedalis vel sesquipedalis. *Caulis* brevissimus teres, ramis pluribus ancipitibus, subflexuosis, ramulis inferioribus 2-3-pollicaribus, subrefractis, intermediis $1\frac{1}{2}$ -2 pollices longis, horizontalibus, superioribus erecto-patulis. *Folia* inferiora lanceolata, 2-3 pollices longa, 3-4 lineas lata, integerrima vel subdenticulata, reliqua linearia, acuta, pollicem longa, 2 lin. lata, tenuissime membranacea, poris sparsis notata, uninervia, nervo infra apicem evanescente, dentato-serrata, serraturis spinuligeris. *Vesiculae* pisi magnitudine, sphaericae, obtusae, petiolo lineari, apice vix dilatato, $1-1\frac{1}{2}$ lin. longo. *Receptacula* aggregata, subramosa ut in *Sargasso vulgari*.

β , **crispatum** foliis sublatis marginibus crispatis.

Ad hanc speciem pertinere videtur *Fucus natans* ϵ , *integrifolius* Turn. hist. pag. 99.

4. **Sargassum podacanthum** Sond. ramis ramulisque subangulatis horizontalibus, foliis linearibus margine serratis, vesiculis sphaericis muticis petiolo spinuloso-dentato insidentibus. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2523.

Pedalis et ultra. *Caulis* *Ramus* erectus, tenuis, subquadrangularis, *ramulis* horizontalibus, conformibus, inferioribus 4-pollicaribus, apicem versus sensim brevioribus. *Folia* linearia, tenuissime membranacea, 6-8 lin. longa, lineam fere lata, nervo percursa, margine spinuloso-serrata. *Vesiculae* sphaericae, obtusae, pisi minoris magnitudine, petiolo insidentes bilineari. spinulis 3-4 munito. *Receptacula* brevia, racemosa, subfurcata et subramosa.

Species habitu et foliis *Sargassi dentifolii*, characteribus ad *Sargassum vulgare* accedens.

5. **Sargassum lacerifolium** Agardh. caule tetragono bipinnato, foliis linearibus profunde serratis, rami infimo superioribus pluries majore, vesiculis sphaericis foliolo aristatis, receptaculis racemosis, brevissimis, spinulosis. Agardh. spec. I. pag. 15.

Fucus lacerifolius Turn. hist. t. 167.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2524.

6. **Sargassum subalatum** Sond. ramis ancipitibus subalatis, ramulis patentibus, foliis linearibus dentato-serratis, vesiculis sphaericis petiolo alato insidentibus mucronatis, receptaculis solitariis obovatis plano-compressis margine spinuloso-dentatis. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2525.

Pars inferior desideratur. *Rami primarii* pedales, compresso-plani, costa valida percursi, lineam lati, nec articulati, nec flexuosi; *secundarii* horizontaliter patentibus 3-4-pollicares, *supremi* brevissimi, ramis conformes. *Folia* vix pollicaria, basi apiceque subangustata, lineam lata, dentato-serrata, nonnunquam subintegerrima, membranacea, nervo obsolete percursa. *Vesiculae* solitariae, sphaericae, pisi minoris magnitudine, margine nuda vel subalatae, apice mucrone filiformi vel foliolo lineari terminatae, petiolo 3-5 lin. longo, plano, infra vesiculam dilatato, integerrimo. *Receptacula* solitaria, rarissime binata, late obovata, compressa, 1-1½ lin. longa, ¾ lin. lata, apice obtuso marginibusque denticulata.

7. **Sargassum distichum** Sond. ramis ramulisque patentibus teretiusculis subangulatisve, foliis lineari-lanceolatis basi attenuatis margine serrato-dentatis, vesiculis sphaericis petiolo alato insidentibus mucronatis bispinosisve, receptaculis subsolitariis oblongis plano-compressis margine subulato spinulosis. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2526.

Subpedale. *Ramus* primarius subflexuosus, semilineam crassus, secundarii conformes, subhorizontaliter patentibus, inferiores bipollicares, *ramulis* brevissimis vel nullis. *Folia* tenuia, poris sparsis signata, pollicaria, 2 lineas lata, acuta, basi angustata, margine spinoso-dentata, rarius subintegerrima, uninervia, nervo infra apicem evanescente. *Vesiculae* raras, Viciae magnitudine, petiolo 4-lineari, plano, integerrimo, apice dilatato insidentes. *Receptacula* oblonga vel ovato-oblonga, 1½ lin. longa, lineam lata, compressa, margine dentibus subulatis, incurvis, latitudinem fructus subaequantibus praedita.

Differt a praecedente: substantia tenuiore, ramis non alatis, praesertim vero dentibus fructus longioribus, subulatis, incurvatis.

8. **Sargassum tristichum** Sond. ramis triquetris, ramulis basi retroflexis horizontaliter patentibus, foliis linearibus inciso-serratis, vesiculis mucronatis muticisve petiolo planiusculo insidentibus inferioribus sphaericis superioribus ellipticis, receptaculis cylindraceis tristiche spinuloso-dentatis. Sond. l. c.

Cystoseira tristicha Grevill. et Agardh!

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2527. (Ad litus meridionale legit Fraser.)

Tripedale et ultra. *Caulis* brevis teretiusculus. *Rami* 2-3, flexuosi, articulati ut in *Cystoseira retroflexa*, triquetri vel trialati, ramulis conformibus 3-4-pollicaribus, tenuibus, foliosis. *Folium radicale* in nostris specimenibus solitarium, subcoriaceum, 1-1½ poll. longum, ovatum, obtusum, margine subcrispatum; *folia ramea* iis *Sargassi lacerifolii* simillima, 1-1½ pollicaria, tenuia, profunde serrata. *Vesiculae* solitariae, pisi majoris magnitudine, petiolo brevissimo. *Receptacula* 1½-2 lin. longa, spinulis tristichis incurvis.

9. **Sargassum incisifolium** Agardh. caule ancipiti, foliis lanceolatis inciso-serratis mediotenus uninerviis, vesiculis raris foliolo aristatis, receptaculis brevissimis spinulosis racemosis. Agardh. spec. l. pag. 14.

Fucus incisifolius Turn. hist. t. 214. Mertens mém. p. 10.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2528.

10. **Sargassum biforme** Sond. caule brevi tereti, ramis triquetris articulatis, ramulis subreflexis, foliis inferioribus oblongis sublanceolatisve obtusis integerrimis planis vel denticulatis subcrispatis, superioribus lanceolatis linearibusve dentatis, vesiculis sphaericis folio terminatis, receptaculis subsolitariis oblongis tristiche dentatis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2529.

Differt a *Sargasso paradoxo* Sond. (Fuc. paradox. Turn. hist. t. 156. *Cystoseira paradoxa* Agardh.) affini et simillimo fructibus subsolitariis, oblongis, dentatis. *Sargassum tristichum* distinguitur foliis profunde incis, receptaculis minoribus laxis, quorum dentes sunt longiores et acutiores.

Bipedale et ultra. *Radix* conico-scutata. *Caulis* 1-2-pollicaris, teres, sesquilineam latus. *Rami* 2 vel plures, triquetri, flexuosi, ramulis alternis, distichis, patentibus, basi retroflexis, inferioribus longioribus, vel semipedalibus vel 2-3-pollicaribus. *Folia* inferiora 3-4-pollicaria, pollicem fere lata, subcoriacea, nervo valido instructa, margine plerumque crispata; folia ramulorum lanceolata vel linearia, basi angustata, 1-2 lin. lata, denticulata vel integerrima, tenuia, mediotenus uninervia, pollicaria, saepe aliis intermixta minoribus angustissimis, subfiliformibus, frequentissimis. *Vesiculae* solitariae, coriacea, brevissime petiolatae, pisi majores, superiores duplo triplove minores.

Varietates duplices distingui possunt:

- 1) *isophylla*, foliis omnibus oblongo-lanceolatis, ramulis abbreviatis.
 - 2) *heterophylla*, foliis inferioribus oblongis, superioribus lanceolatis linearibusve densis, ramulis elongatis tenuibus.
11. **Sargassum varians** Sond. caule brevissimo subcompresso, ramis elongatis ancipitibus, ramulis inferioribus basi subrefractis, superioribus erecto-patulis, foliis inferio-

ribus pinnatifidis laciniis lanceolatis integerrimis, superioribus angustissimis, vesiculis sphaericis mucronatis muticisve. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2530.

Bipedale et ultra. *Caulis* semipollicem longus, teres, pennam gallinaeam crassus, *ramos* emittens plures, ancipites, lineam vel sesquilineam latus, sensim attenuatos, subflexuosos, nervo crasso percursos, per totam longitudinem ramulosos. *Ramuli* homogenei, inferiores 3-4-pollicares, basi retroflexi, mox erecto-patentes, superiores sensim breviores, basi non refracti, saepe iterum ramellosi, ramellis abbreviatis. *Folia* poris nullis, *inferiora* seu subradicalia erectiuscula, 3-4-pollicaria, pinnatifida, rarius bipinnatifida, lobis pollicaribus plerumque oppositis, lanceolatis, 1½ lin. latis, nervo instructis, subcoriaceis; *intermedia* dimidio minora, vel inferioribus similia, vel utrinque 1-2-dentata; *suprema* pollicaria vel breviora, plerumque indivisa, 1-½ lin. lata, integerrima vel repando-denticulata, uninervia. *Folia* ramellorum, si adsunt, densa, linearia, angustissima. *Vesiculae* inferiores pisi magnitudine, petiolo plano, 2-3-lineari insidentes, supremae minores. *Receptacula* desunt. *Color* exsiccati fusco-nigrescens.

Variat. foliis supremis linearibus angustissimis, nunc omnibus latiusculis, pinnatifidis. — Quod ad folia inferiora, *Fucus decipiens* R. Brown, Turn. hist. t. 166. nostro simillimus est.

12. **Sargassum fallax** Sond. caule brevi teretiusculo, ramis elongatis flexuosis triquetris, ramulis inferioribus reflexis, foliis oblongo-linearibus linearibusve integerrimis, superioribus brevioribus et angustioribus subdenticulatis, ramulis fructiferis abbreviatis subaphyllis, receptaculis aggregatis ovato-cylindraceutis inermibus, vesiculis sphaericis folio terminatis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2531.

Caulis 2-3-pollicaris, teretiusculus, pennae anserinae crassitie. *Rami* plures, 3-4-pedales, flexuosi, articulati, triquetri vel angusto-trialati, intervallo subpollicari ramulos emittentes homogeneos, erectos vel subpatentes, basi retroflexos, pedales vel longiores. *Ramuli* superiores saepe iterum ramulosi, foliis numerosis receptaculisque dense vestiti. *Folia* omnia indivisa, poris nullis, *inferiora* lanceolato-linearia, semipedalia, 5-6 lin. lata, subcoriacea, margine integerrima, nervo valido instructa, in aliis speciminibus subbreviora et margine crispato-dentata; *intermedia* plerumque basi angustata, inferioribus aequilonga sed angustiora; *superiora* sensim minora et duplo vel triplo angustiora, rarius elongata, intermediis similia, integerrima vel serrato-dentata. In axillis foliorum superiorum ramuli saepe adsunt abbreviati, aggregati, foliis brevissimis receptaculisque obsessi. *Receptacula* aggregata, ovato-cylindrica, inermia, semilinea vix longiora. *Vesiculae* ad basin ramulorum solitariae, pisi majores, pedicello 2-3-lineari insidentes, apice folio terminatae. *Color* exsiccati fusco-nigrescens.

Sargasso vestito Agardh. (Fuc. vestitus Turn. hist. t. 177.) proxime affine, sed foliis majoribus fructibusque diversum. Ad nostrum pertinere videtur *Fucus heterophyllus* Turn. hist. t. 92, qui non idem ac *Sargassum heterophyllum* Agardh. spec. l. pag. 21.

13. **Sargassum flaccidum** Sond. caule brevi compresso, ramis elongatis subangulatis, ramulis 3-4-fariis horizontalibus basi non refractis, foliis imis oblongis lanceolatisve integris vel pinnatifidis, reliquis omnibus capillaceis dichotomis demum tuberculatis, tuberculis seminiferis, vesiculis

parvis sphaericis mucronulatis longe petiolatis. Sond.
l. c.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2532.

Radix discus conicus. *Caulis* in plerisque speciminibus brevis, pollicaris, in unico semipedalis, subcompressus, pennam gallinaceam crassus, ramorum rudimentis distichis sinuato-dentatus. *Rami* plures, adscendenti-erecti, bi- vel tri-pedales, debiles, basi vix lineam crassi, laxi, angulati, basi saepius nudi vestigiisque ramulorum subpungentibus armati. *Ramuli* crebri, tristichi vel tetrastichi, ramis conformes sed tenuiores, horizontaliter patentibus, basi non retroflexi, inferiores et superiores breviores, intermedii longiores, circ. semipedales. *Folia* ad basin ramorum oblonga, lanceolata vel linearia, rarius pinnatifida, $\frac{1}{2}$ -1 pollicem longa, lineam lata, coriaceo-membranacea, uninervia; reliqua omnia angustissime linearia, subsetacea, pollicem longa vel breviora, dichotome divisa, aetate juniore laevissima, postea tuberculis obsita minutis, sparsis, poro pertusis, conceptacula includentibus. *Vesiculae* subsphaericae, *Vicia* minores, mucrone brevi apiculatae, petiolo 1-2-lineari suffultae. *Color* nigricans.

Species quoad habitum *Fuco flaccido* Labillard. Nov. Holland. t. 259. affine, characteribus tamen satis diversa. Fructificationem *Sargassi flaccidi* nostri, et in *Fuco verruculoso* Mert. mém. pag. 15. et in *Sargasso Desfontainesii* Agardh. observavi.

14. **Sargassum uviferum** Agardh. caule teretiusculo subaphyllo, vesiculis sphaericis muticis brevissime petiolatis caulinis, ramis in paniculam receptaculorum lineari-lanceolatorum abeuntibus. Agardh! system. pag. 306.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2533.

Subpedale. *Caules* plures, debiles, teretes. *Rami* pollicares, horizontaliter patentibus, dichotomi, ramulis rectis, vix patentibus. *Folia* juniora linearia, subcapillacea, demum in receptacula cylindrica, attenuata, 2-3 lineas longa mutata. *Vesiculae* pisi minimi magnitudine sphaericae, muticae vel mucrone brevi apiculatae, petiolo lineam longo suffultae.

An rectius *Cystoseirae* species?

TURBINARIA Bory. Endl. gen. suppl. III. n. 122/8.

1. **Turbinaria gracilis** Sond. ramis retroflexis, foliis vesiculososis sphaericis apice obtuso membrana lata subdentata coronatis, receptaculis axillaribus ramosis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2534.

Caulis deest. *Ramus* gracilis, tenuis, teretiusculus, sesquipedalis. *Ramuli* omnes reflexi, intermedii speciminum nostr. digitales, supremi pollicares. *Folia* vesiculosa, basi in petiolum angustata. *Vesiculae* ovatae vel obovatae, 2-3 lin. longae, margine bi- vel tridentatae, dentibus vel minutis conicis, basi saepe ala connatis, vel elongatis, filiformibus 1-1 $\frac{1}{2}$ lin. longis. In nonnullis speciminibus vesicularum dentes non explicantur, tunc vesiculae ex apice emittunt ramulos filiformes $\frac{1}{2}$ -1 poll. longos, qui denique in vesiculas 2-3, ellipticas, concatenatas abeunt. *Receptacula* petiolis adnata, ramosa, ramis teretiusculis, apice obtusis vel bifidis, lineam longis, axi percursis. *Conceptacula* parietalia, multiseriata, ostiolo hiantia. *Color et substantia Turbinariae denudatae.*

Species a reliquis hujus generis bene distincta, *Turbinariam* cum *Cystoseira* conjungit.

SCYTOTHALIA Grevill. Endl. gen. suppl. III.
pag. 33.

1. **Scytothalia dorycarpa** Grevill. fronde coriaceo-cartilaginea, plana, enervi, lineari, alternatim pinnatifida, segmentis simplicibus pinnatifidisque falcatis integerrimis apice obtuso vel dentato, receptaculis pedunculatis ovatis acuminatis lanceolatisve marginalibus sparsis. Grevill. syn. XXXIV.

Fucus dorycarpus Turn. hist. t. 143.

Cystoseira dorycarpa Agardh. spec. I. pag. 80.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2535.

Ord. FLORIDEAE J. Agardh.

Trib. CERAMIEAE.

CALLITHAMNION Lyngb. Kütz. phyc. gen.
pag. 370.

1. **Callithamnion Preissii** Sond. minutissimum, repens, ramis erectis, ramulis subpatulis verticillatis pinnatis, articulis ramorum diametro subtriplo longioribus, ramellorum aequalibus. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2536.

Parasiticum, *Callithamnio pectinato* Montagn. affine. Rami vix 2 lineas longi, circumscriptione lineari-lanceolati. Ramulorum pinnae patentes, distichae, acutae. Fructus deest. Color roseus.

2. **Callithamnion spinescens** Kütz. ramellis minutis verticillatis distantibus patentissimis divaricato-ramosis subdichotomis spinescentibus medio articulorum trichomatis primarii (diametro subtriplo longioribus) insertis. Kütz. phycol. general. pag. 373.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale, in *Janio antennino* Kütz., *Acrocarpo laterali* Kütz. aliisque algis parasiticum. Herb. Preiss. No. 2537.

Tripollicare, tenuissimum. Rami primarii et secundarii distichi, ramellis minutissimis, verticillatis, acutis, simplicibus vel iterum ramellosis. Articuli filii primarii ramorumque diametro 3-4-plo, ramellorum duplo longiores. Sphaerosporae oblongae in ramulis ultimis ad genicula sessiles, hyalinae, nucleo triangulatim quadripartito.

β , **julaceum** Kütz. ramellis superioribus approximatis, adpressis. Kütz. l. c.

Hab. cum var. α .

3. **Callithamnion ramellosum** Sond. filis basi subdichotomis apice irregulariter ramosis, ramellis abbreviatis subincurvis, articulis ovali-cylindricis diametro 2-3-plo longioribus. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2538.

Semipollicare, tenuissimum, *Corallinis Amphiroisque* adnatum. *Rami* strictiusculi ramellis nunc lineam longis nunc bi- vel trilinearibus, apice plerumque hamulatis. *Articuli* filii primarii et ramorum diametro duplo-, rarius triplo longiores, ramellorum diametro subbreviores. *Fructus* deest. *Color et habitus Ceramii ciliati* Agardh.

CERAMIUM Adans. Agardh. (ex parte.)

1. **Ceramium rubrum** Agardh. filis dichotomis subcartilagineis, articulis ovatis opacis diametro sesqui-triplo longioribus, geniculis contractis. Agardh. spec. II. pag. 146. Kütz. phycol. general. pag. 381.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2539.

β , **pygmaeum** Sond. semipollicare, tenuissimum.

Parasiticum in *Thamnophora Mertensii*. Fructificatio exacte ut in forma primaria.

2. **Ceramium** (Gongroceras) **australe** Sond. minutum, filis dichotomis, ramis erectis, superioribus abbreviatis obtusiusculis, geniculis obscuris subcontractis, articulis medio diaphanis diametro subbrevioribus. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2540.

Parasiticum, 3-6 lineas longum, roseum, siccatum nigrescens. *Fila* aggregata, tenuia, crebre dichotoma, ramulis ultimis brevibus, erectis. *Articuli* suborbiculati, geniculis valde obscuris. *Sphaerosporae* oblongae, ramis adnatae, hyalinae, nucleo triangulatim quadripartito.

3. **Ceramium** (Echinoceras) **puberulum** Sond. aculeolis brevissimis vestitum, filis dichotomis fastigiatis, ramellis sparsis abbreviatis obtusis, articulis diametro aequalibus. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2541.

Fila 3-4-uncialia, crassitie filorum *Ceramii rubri*, dichotoma, apice interdum sparse ramosa, undique aculeolis minutissimis vestita. *Articuli* oblongi, medio hyalini, geniculis obscuris vix contractis, rarissime ciliolatis. *Fructus* desunt. *Color* pallide ruber.

Ceramio rubro affine.

4. **Ceramium** (Centroceras) **cryptacanthum** Kütz. articulis superioribus diametro aequalibus, inferioribus 2-3-plo longioribus, spinulis minutissimis, raris.

Centroceras cryptacanthum Kütz! in *Linnaea* 1842. p. 741.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2542.

Fila tenuia, 2-3-pollicaria, caespitibus *Hypneae musciformis* intermixta, erecta, dichotoma, saturate rubra. *Articuli* inferiores cylindrici, strato continuo e cellulis ordinatis formato obducti, ad genicula non contracti, sed plerumque latiores ibidemque spinulas minutissimas gerentes. *Sphaerosporae* oblongae, hyalinae, inter geniculorum spinulas, nucleum includentes triangulatim quadripartitum.

Forsan sequentis varietas denudata.

5. **Ceramium** (Centroceras) **hyalacanthum** Kütz. articulis superioribus diametro aequalibus, inferioribus duplo

longioribus transversim zonatis, spinulis maximis hyalinis biarticulatis cuspidatis erectis.

Centroceras hyalacanthum Kütz. l. c. pag. 742.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2543.

Praecedenti proxime affine, differt cellulis corticalibus regulariter transversim zonatis, spinulisque elongatis, articulatis.

GRIFFITHSIA Agardh. Endl. gen. suppl. III. n. 122/17.

1. **Griffithsia Binderiana** Sond. fronde dichotoma fastigiata, ramis apice incurvis, axillis obtusis, articulis cylindraceis diametro 2-3-plo longioribus, ultimis obtusis, geniculis non contractis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2544.

Fila *Kützlingiae canaliculatae* adnata, aggregata, 1-2-pollicaria, inferne simplicia, a medio dichotome ramosa, seta porcina subduplo crassiora, ramis homogeneis apice incurvatis, supremis parum tenuioribus. *Articuli* omnes subaequales, diametro duplo, rarius triplo longiores, medio non angustati, nec apice rotundati. *Favellae* ramellis 4-6 brevissimis, obtusis involucretae. *Sphaerosporas* non vidi.

Differt potissimum ab affinibus speciebus, *Griffithsia corallina* et *secundiflora*: statura multo humiliore, ramis subdivaricatis angulisque obtusis, ramulis apice incurvis articulisque supremis obtusiusculis. *Diagnosis Griffithsiae crassiusculae* Agardh. in nostram plantam non quadrat.

SPYRIDIA Harvey. Endl. gen. suppl. III. n. 122/19.

1. **Spyridia spinella** Sond. fronde tereti subcontinua monosiphonia decomposito-dichotoma, ramis articulatis inferioribus divaricatis superioribus erecto-patentibus ramellos sparsos breves spinaeformes emittentibus, articulis diametro aequalibus, sphaerosporis ramellis adnatis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae, ad Chondrias, Corallinas aliasque algas. Herb. Preiss. No. 2545.

Frons 4-6-pollicaris, late pyramidata, a basi ramosa, ramis primariis ternis, lateralibus horizontaliter patentibus, intermedio erecto. *Ramuli* ultimi abbreviati, ramentis seu spinulis minutis, acutissimis obsiti. *Spinulis* ex articulis 6-12 constantibus latere superiore, rarissime inferiore *sphaerosporae* adnatae sunt 3-4, uniseriatae, infra medium e quovis geniculo solitariae, sphaericae, hyalinae, nucleos triangulatim quadripartitos includentes. *Color* pallide rubens, sed plantae exsiccatae viridis, spinularum albidus.

Species spinulis abbreviatis, rigidulis insignis.

DASYPHILA Sond. in Mohl et Schlechtend.
bot. Zeit. 1845. pag. 53.

Frons filiformis pluries distiche pinnata, undique filis articulatis ramosis vestita, continua, intus articulata pleiosiphonia siphone centrali maximo. Fructificatio: *Favellidia* in apicibus ramulorum externa, filis articulatis densis involucrata, perisporio hyalino granula numerosissima fovente. *Sphaerosporae* fila articulata terminantes, sphaericae, hyalinae, nucleo triangulatum quadripartito.

Alga marina, Australasiaca, roseo-rubra, cartilaginea, habitu *Ptilotae*.

1. **Dasyphila Preissii** Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale, algis majoribus conchisve adhaerens. Herb. Preiss. No. 2546.

Radix scutulata. *Frondes* subaggregatae 3-5-pollicares, pinnatim ramosae. *Rami* primarii semilineam lati, teretes, subhorizontaliter patentes, *ramulis* 1-2-pollicaribus bi-vel tripinnatis, quibus alii multo minores, lineares vel sesquilineares intermixti sunt, obsessi. *Pinnulae* intervallo lineae unius exeuntes, rigidulae, pectinatae, alternae, lineam longae, teretiusculae, steriles acutae, fructiferae capitellatae. Tota frons filis brevissimis, articulatis dense vestita est, ut omnino tomentosa appareat. Fila haec callithamnoidea articulis diametro duplo longioribus, ramis gaudent pluribus, erecto-patulis, distiche ramulosis. Cellula ultima ramulorum *sterilium* minima, acuta, *fertilium* major, oblonga, in *sphaerosporam*, nucleum triangulatum divisum continentem mutata. *Favellidia* 10-20 in apice pinnularum externa et filis densissimis involuta, non frondi immersa, sphaerica, granula minutissima, subangulata includentia. *Sphaerosporae* et *favellidia* semper in una eademque pinnula. *Substantia* siccatae rigidiuscula. *Structura* frondis interior: fila numerosissima, elongata, articulata, simplicia vel subramosa, axi percursa maxima, centrali, siphonibusque pluribus, minoribus, axin cingentibus.

PTILOTA Agardh. Endl. gen. suppl. III.
n. 122/22.

1. **Ptilota coralloidea** J. Agardh. jugamento articulato compresso pluries distiche pinnato, pinnis irregulariter suboppositis, pinnellis lineari-attenuatis erecto-incurvis dentatis polysiphoniis, articulis diametro brevioribus. J. Agardh! in *Linnaea* XV. pag. 35.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2547.

Frons tri-quadripollicaris, pulchre rubra vel purpurascens, *radice* scutulata conchis adhaerens. *Jugamentum* subflexuosum, basi $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ lin. latum, intus articulatum, trisiphoneum. *Pinnulae* ultimae lineam longae, acutiusculae, 2-vel 3-siphoneae, quae lateraliter emittunt fila callithamnoidea, brevissima, ramosa, articulata, basi 2-siphonea. Articuli florum diametrum aequantes, ultimi maximi, sphaerici, in *Sphaerosporam* mutati, nucleum triangulatum quadripartitum includentes. *Favellidia non vidi*. *Substantia* frondis cartilaginea, exsiccatae fragilis.

HANOWIA Sond. in Mohl et Schlechtend.
bot. Zeit. 1845. pag. 52.

Frons cylindrica dichotoma e filis articulatis callithamnoideis ramosis composita. Fila centralia elongata extrorsum ramosissima, ramis reticulatim connexis apice liberis. Fructus.....

Alga Australasiaca, marina, roseo-rubra, subspongiosa.

1. **Hanowia australis** Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae, in caulibus *Cauliniae?* antarcticae. Herb. Preiss. No. 2548.

Frondes plures, aggregatae, digitales, cylindricae, lineam crassae, basi simplices, apice vel medio subramosae, ramis paucis, dichotomis, fastigiatis, frondi primariae conformibus et vix tenuioribus. Frons tota composita est e filis 4-8 centralibus elongatis, inter se hinc inde connatis, articulatis. Quae fila longitudinaliter extrorsum emittunt ramos numerosos, abbreviatis, anastomosantes, apice summo, libero horizontaliter patentem. Fila *centralia* axin referentia subcrassiora, articulis diametro triplo quadruplove longioribus, *lateralia* articulis diametro duplo longioribus, articulis ultimis brevissimis obtusis.

PTILOCLADIA Sond. in Mohl et Schlechtend.
bot. Zeit. 1845. pag. 52.

Frons rosea spongiformis compressa pectinato-pinnata e filo centrali crasso articulato ramisque ex geniculis fili centralis ortis constituta. Fila peripherica horizontalia densa abbreviata dichotoma apice subflabellata endochromate rosea praedita, intermedia longiora inter se anastomosantia hyalina. Fructificatio.....

Alga marina Australasiaca, habitu Ptilotae.

1. **Ptilocladia pulchra** Sond. fronde tripinnata, pinnis pinnulisque alternis. Sond. l. c.

Ad rupes et conchas in litore occidentali Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2549.

Radix scutata. *Frons* ambitu triangularis. *Jugamentum* tri- vel quadripollicare, ima basi parum angustatum, medio lineam latum, ramis seu pinnis inferioribus subhorizontaliter patentibus, bi- vel tripollicaribus, intermediis sesquipollicaribus, erectiusculis, superioribus sensim brevioribus. *Pinnulae* ultimae subulatae, subincurvae, lineam longae. *Substantia* subspongiformis, fere *Haloplegmatis*, sed adhuc firmior, exsiccatae fragillima. *Color* roseo-ruber, ad sanguineum vergens. *Structura*: filum crassum, callithamnoideum, articulatum, frondem totam percurrens axinque referens, ad quodque geniculum obsessum ramis horizontalibus, anastomosantibus, dense intricatis, quorum ultimi brevissimi, subflabellati, multoque tenuiores. *Articuli* fili centralis diametro triplo longiores.

HALOPLEGMA Montagn. Endl. gen. suppl. III. n. 122/24. **Rhodoplexia** Harv. in Hook. icon. XIII. t. 613.

1. **Haloplegma Preissii** Sond. fronde plana, lineari, subflabellata, pluries dichotoma vel vage ramosa, ramulis subsecundatis, linearibus, obtusis, emarginativse.

Rhodoplexia Preissii Harvey. l. c.

Ad caulem *Caulinia* ? *antarcticae* in litore occidentali Novae Hollandiae, d. 10. Jun. 1840. Herb. Preiss. No. 2550.

Radix scutulata. *Frons* 3-5-pollicaris, basi angustior, in medio 3-4 lin. lata, dichotoma vel irregulariter ramosa, ramis alternis, axillis obtusis. *Ramuli* ultimi lineam lati. *Fructificatio*: 1) *Pustulae* hemisphaericae in disco frondis sparsae, favellas plures, filis involucrantibus tectas continentis. *Favellae* filis adnatae, sphaericae, intra perisporium hyalinum granula numerosissima, angulata, subpyriformia ferentes. 2) *Sphaerosporae* in filis frondis marginantibus, liberis terminales, subpedicellatae, hyalinae, nucleo triangulatum quadridiviso. — *Structura* frondis eadem ac *Haloplegmatis Duperreyi* Montagn. Fila marginantia libera, in nostra specie longiora sunt, subulata et apice subincurva.

Haloplegma Duperreyi, cujus specimen authenticum possideo, et ad insulam Martinicam et ad Africae oras australes et austro-occidentales provenit.

Trib. II. CRYPTONEMEA J. Agardh.

Subtribus II. Nemastomeae J. Agardh.

CATENELLA Grevill. Endl. gen. suppl. III. n. 122/31.

1. **Catenella major** Sond. fronde erecta ramosa, articulis teretibus oblongis subspathulatis diametro 5-6-plo longioribus. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2551.

Corallinis adhaerens. *Frons* bipollicaris, ramis di- et trichotomis. *Articuli* oblongi vel clavati vel lineari-oblongi, cylindrici, 2-3 lin. longi, $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ lin. crassi, inflati, stipite brevi insidentes, diametro 4-5-plo longiores, exsiccatione plicati. *Fructus* non vidi. *Color* frondis junioris viridis, demum in purpurascentem abiens. *Substantia* quam in *Catenella Opuntia* tenuior. *Structura* interna: fila centralia, longitudinalia, ramos laterales, trichotome divisos, fastigiatos emittentia.

Differt a *Catenella Opuntia*, habitu graciliore, articulis basi angustatis, stipitatis, longioribus, tenuioribus, et structura interna.

Subtrib. III. Spongiocarpeae Grevill.

PHYLLOPHORA Grevill. Endl. gen. suppl. III. n. 122/37.

1. **Phyllophora obtusa** Grevill. fronde plana e disco prolifera, subflabelliformi, dichotoma, segmentis obtusis.

Grevill! in Edinb. Journ. of natur. and geograph. science, New Series n. III. cum icone.

Rhodomenia Drègeana Suhr! in Alg. Drègeanis.

β, **crispata**, fronde basi evidenter nervosa, marginibus crispatis.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2552.

Specimen a cl. Preissio collectum praeter frondem crispatam a planta Capensi non differt. Nervus validus frondem mediotenus percurrens, et in speciminibus majoribus Africanis semper adest.

GELINARIA Sond. in Mohl et Schlechtend. bot. Zeit. 1845. pag. 55.

Frons compresso-plana, viridis, stipitata, lanceolata, pinnatim ramosa, carnosae, lubricae, intus gelatinosae, filisque elongatis articulatis percursa. Fructificatio

Alga marina Australasiaca, siccata coriacea.

1. **Gelinaria ulvoidea** Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2553.

Frons pedalis, ramis explicatis circiter sex pollices lata, e radice scutulata stipitem emittit tripollicarem. Stipes subcoriaceus, inferne subcompressus, 2 lineas latus, apice latiore planus et sensim in laminam 8-10 lin. latam dilatatur. Lamina seu jugamentum ramos emittit erecto-patulos, distichos, oppositos vel alternos, quorum inferiores 3-4-pollicares, superiores sensim breviores. Rami 3-4 lin. lati, pinnis erectiusculis, subincurvis, linearibus, 1-2 lineas latis, rarissime iterum divisis, praediti sunt. Substantia cartilaginea, valde lubrica. Structura interna fere Chondri.

Subtrib. IV. Gasterocarpeae.

HALYMENIA Agardh. Endl. gen. suppl. III. n. 122/42.

1. **Halymenia pusilla** Sond. fronde membranacea plana dichotoma, axillis acutiusculis, segmentis linearibus subacutis basi angustatis margine integerrimis dentatisve. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2554.

Pusilla, pollicaris, semilineam lata. Frons dichotoma vel sparse ramosa, ramis erecto-patulis. Color amoene roseus. Fructus deest. An revera hujus generis?

2. **Halymenia chondricola** Sond. fronde gelatinoso-membranacea oblonga cuneata pinnata apice dichotoma, pinnis oblongis lanceolatisve ciliatis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae, in algis majoribus parasitica. Herb. Preiss. No. 2555.

Frons tripollicaris, semipollicem lata, in stipitem brevissimum sensim attenuata. Ramenta (pinnae) disticha, 1-2 pollices longa, 2-4 lin. lata,

lanceolata, rarius oblonga, substipitata, margine dentibus subulatis, 1 lin. longis, apice interdum bispinulosis ciliata. *Color* roseo-purpureus. *Sphaerosporae* sphaericae, triangulatim quadridivisae, in cellulis magnis, sub strato peripherico sitis vel in interioribus nidulantes. *Favellidia* desunt. An vera *Halymenia*?

3. ***Halymenia australis* Sond.** fronde cartilagineo-membranacea dichotoma inferne cylindracea, ramis compressis costatis ultimis margine ciliato-dentatis.

Ginannia australis Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2556.

Tri-vel quadripollicaris. *Radix* scutata. *Frons* inferne teres, lineam fere crassa, mox dichotome divisa, ramis basi teretibus, sensim in ramulos compresso-planos, $\frac{3}{4}$ lin. latos, dichotomos vel sparse ramosos abeuntes. *Ramuli* costa media prominente instructi sunt, margine hinc inde ramellos breves, dentiformes vel ciliiformes, subulatos, erectos, subincurvos emittentes. *Color* roseo-coccineus vel dilute ruber. *Substantia* exsiccatae cartilaginea. *Structura* interna: stratum periphericum e cellulis minimis horizontalibus constans, fila numerosissima, subramosa, intricata, inarticulata includens. Cellulae epidermidis hexagonae. *Fructus* ignoti.

Substantia cartilaginea et fronde costata differt a *Ginannia* quacum olim conjunxeram.

DICRANEMA Sond. in Mohl et Schlechtend. bot. Zeit. 1845. pag. 56.

Frons cartilaginea filiformis dichotoma e cellularum stratis tribus diversis formata; cellulae medullares elongatae filiformes hyalinae, intermediae parenchymaticae subhexagonae granulis minutissimis repletae, corticales minutae horizontales. Fructificatio duplex in ramulis intumescentibus inclusa, 1) spora numerosissima subpyriformes in glomerulum oblongum congestae, 2) sphaerosporae (in distincta specie) oblongae demum zonatim quadridivisae.

Algae marinae Australasiacae, purpurascens.

1. ***Dicranema filiforme* Sond.** fronde elongata, ramis erectis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2557.

Frons caespitosa, pedalis, erecta, teres, filiformis, inferne semilineam crassa, apicem versus parum tenuior, a basi regulariter dichotoma, ramis apice fastigiatis, angulis acutis. *Sphaerosporae* in ramulis terminalibus demum intumescentibus et cum fronde articulatis, infra stratum corticale, oblongae vel ovatae, nucleum zonatim quadridivisum continent. *Favellidia* non vidi. *Color* purpurascens, exsiccatae saepe pallidior.

2. ***Dicranema Grevillei* Sond.** fronde pusilla, ramis divaricatis. Sond. l. c.

Gracilaria pumila Grev. in Edinb. Journ. nat. Sc. Vol. 3. pag. 338. c. icone.

Gigartina pumila Grev. in litt. 1844.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale, ramis *Cauliniae* ? antarcticae insidens. Herb. Preiss. No. 2558.

Frons 1-2-pollicaris, habitu *Heringiae mirabilis*, caespitosa, erecta, rigidula, teres, siccata rugulosa, a basi dichotoma. *Rami* frondi conformes, vix tenuiores, divaricati, angulis obtusiusculis, ultimi brevissimi, obtusi. *Fructus* in ramulis terminalibus propriis, cum fronde articulatis. *Sphaerosporae* et *favellidia*? in distinctis speciminibus, illae infra stratum corticale exacte ut in *Dicran. filiformi*; glomerulus oblongus seminum subpyriformium in apice ramuli nidulans. *Semina* placentae centrali affixa sunt. *Color* frondis purpurascens, siccatae nigrescens, apicibus sphaecellatis. *Substantia* cartilaginea, tenax.

Subtrib. V. COCCOCARPEAE.

ACROCARPUS Kütz. phycol. gener. p. 405.

1. **Acrocarpus ramellosus** Kütz. setaceus decumbens irregulariter ramosus, ramellis fructiferis lateralibus sphaecellatis. Kütz. l. c.

Acrocarpus lateralis Kütz. l. c. p. 373. (in adnotatione).

Ad conchas et inter caespites *Janiae antenninae* in litore occidentali Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2559.

Frons tenuissima semipollicaris vel pollicaris, teres, filiformis, ramis conformibus, erecto-patulis, acutis, hinc inde subdichotome divisis. *Ramelli* fructiferi minuti, laterales, saepius cum ramis alternantes, cylindrici vel subclavati, sub strato corticali *sphaerosporas* sphaericas nucleo triangulatum quadridiviso includentes. *Favellidia* ignota. *Structura*: cellulae corticales minutae, internae elongatae, parenchymaticae. *Substantia* frondis cartilagineo-cornea. *Color* purpurascens, apice pallidior, ramellorum fructiferorum nigrescens.

GELIDIUM Lamourx. Endl. gen. suppl. III.

n. 122/46.

1. **Gelidium corneum** Lamourx. fronde cartilagineo-cornea distiche ramosa, segmentis compresso-planis linearibus bipinnatis, pinnis oppositis patentibus obtusis, capsulis ellipticis lateralibus pedicellatis. Lamourx.

Sphaerococcus corneus Agardh. spec. I. pag. 280.

In Novae Hollandiae ora occidentali. Herb. Preiss. No. 2560.

2. **Gelidium oppositifolium** Grevill. caule filiformi compresso bi-tripinnato, pinnulis oppositis pectinatis subdichotomis linearibus angustissimis. Grevill. syn. LVIII.

Sphaerococcus oppositifolius Agardh. spec. I. pag. 294.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem. Herb. Preiss. No. 2561.

Specimen nostrum pedale, caule subcompresso, sesquilineam lato. Pinae inferiores pollicares, intermediae bipollicares, superiores sensim breviores. Fructum non vidi.

3. **Gelidium lucidum** Sond. fronde cartilagineo-membranacea inferne tereti mox plana lineari costata, costa apice evanida, ramis bi-tripinnatis, pinnis alternis oppositisve, pinnulis obtusiusculis.

Fucus lucidus Turn. hist. t. 238.

Sphaerococcus ?lucidus Agardh. syst. I. pag. 290.

Phyllophora lucida Grevill. synops. LVI.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2562.

Frons inferne e lamina prolifera, rami autem non proliferi. *Pinnae* distichae. *Fructificatio* in pinnulis ultimis. *Capsulae* laterales, solitariae, vel 2-3 concatenatae, granula numerosissima, pyriformia, subangulata includentes. *Sphaerosporae* carpocloniis ovatis inclusae, ellipticae, nucleo cruciatim quadridiviso.

CALLOPHYLLIS Kütz. phycol. gen. p. 400.

1. **Callophyllis australis** Sond. fronde lanceolata bipinnata, pinnis lineari-lanceolatis elongatis, pinnulis abbreviatis linearibus margine ciliato-dentatis.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2563.

Frons spithamea et ultra. *Jugamentum* 6 lin. latum. *Pinnae* 2-3-pollicares 2 lin. latae, *pinnulae* 3-6 lin. longae. *Sphaerosporae* strato corticali immersae, oblongae, nucleo cruciatim quadridiviso. *Structura* frondis: stratum corticale e cellulis minutis, horizontalibus, concatenatis, stratum intermedium e cellulis parenchymaticis, maximis constans. *Substantia* membranacea, lubrica. *Color* purpurascens.

GIGARTINA Lamourx. Endl. gen. suppl. III. n. 122/49.

1. **Gigartina disticha** Sond. fronde cartilagineo-gelatinosa compressa distiche subbipinnata, ramentis teretibus sparsis obtusis rugulosis bi-tri-furcatis rarius simplicibus. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2564.

Frons spithamea, basi teretiuscula, mox compressa, 2 lin. lata, laevissima, nitidula, distiche ramosa. *Rami* oppositi vel alterni, jugamento similes, basi subattenuata teretiusculi, dichotomi vel subpinnati. *Ramenta* disticha sparsa nunc creberrima, cylindracea, 1-2 lin. longa, plicato-rugosa, apice plerumque bifurcata, rarius simplicia vel trifurcata et ramulosa. *Favellidia* pericarpio subcyathiformi, demum poro pertuso, in apice ramentorum sito inclusa, granulis obovatis, numerosissimis. *Sphaerosporae* sub strato peripherico ramentorum indulantes, nucleo demum cruciatim quadridiviso. *Color* livide purpurascens. *Substantia* gelatinoso-cartilaginea, exsiccatae cornea. *Structura* interna *Gigartinae*.

Species *Gigartinae lividae* J. Agardh. (Fusco livido Turn. t. 254.) valde similis, notis datis tamen satis diversa.

2. **Gigartina speciosa** Sond. fronde dichotoma apice subcorymbosa crassa teretiuscula vel subcompressa cartilagineo-gelatinosa rugosa dense papillosa, papillis undique patentibus subulatis, inferioribus brevioribus superioribus elongatis furcatis ramosisque. Sond. l. c.

β , **denudata**, fronde basi nuda.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2565. (In insula Diemen, herb. Binder.)

Specimina nonnulla semipedalia, alia subpedalia, circumferentia latiora quam longa. *Frondis* caespitosae pars inferior penna anserina subcrassior. *Rami* a basi orti irregulariter dichotomi, teretiusculi vel angulati vel subcompressi, 2-3 lin. lati, undique obsessi ramentis rigidis, subulatis, nunc brevibus 1-2 linearibus, nunc elongatis ramosis. *Fructus* ignotus. *Substantia* gelatinosa, exsiccatae cornea, subdiaphana. *Color* dilute vel intense ruber, vel purpurascens, immo nigrescens, plerumque e rubro et purpureo variegatus.

Species affinis *Sphaerococco Serra* J. Agardh. et *Sphaerococco isiformi* C. A. Agardh., a priore differt fronde robustiore et ramificatione dichotoma, a posteriore fronde compressa, crassiore, papillisque undique patentibus multo longioribus non verticillatis.

3. **Gigartina flagelliformis** Sond. fronde filiformi elongata subdistiche ramosa, ramis virgatis oppositis alternisve erecto-patulis apice angustatis indivisis furcatisve, ramulis abbreviatis.

Polyides flagelliformis Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2566.

Pedalis et ultra, habitu var. denudatae *Fuci nodosi*. *Frons* primaria flexuosa, teres, lineam crassa. *Rami* conformes basi plerumque angustati, medio incrassati et in apicem subulatum sensim attenuati, 3-pollicares vel semipedales, iterum divisi vel hinc inde ramulo abbreviato, subpollicari furcati. *Sphaerosporae* in cellulis periphericis ramorum incrassatorum nidulantes, creberrimi, oblongi, perisporio hyalino nucleum demum cruciatim quadridivisum continentes. *Favellidia* ignota. *Substantia* cartilagineo-cornea. *Color* purpurascens, demum nigrescens. *Structura* interna fere ut in *Polyide lumbricali*, sed stratum medullare fibrosum deest.

CHRYSYMENIA J. Agardh. Endl. gen. suppl. III. n. 122/50.

1. **Chrysymenia obovata** Sond. caule teretiusculo dichotomo, ramentis obovatis undique sparsis oblecto.

Gigartina ovata Lamourx. ess. pag. 48. t. 4. f. 7.

Chondria ovalis β , obovata Agardh. spec. I. pag. 349.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2567.

Rami digitales. *Ramenta* vesiculaeformia, viridia vel subpurpurascens, 4-6 lin. longa. *Fructus* ignotus.

Differt a *Chrysymenia Uvaria*: fronde robustiore, ramentisque obovatis non sphaericis

Trib. III. LOMENTARIEAE.

LOMENTARIA Lyngb. Endl. gen. suppl. III. n. 122/51.

1. **Lomentaria parvula** Gaill. fronde filiformi articulata, ramis sparsis, articulis diametro aequalibus. Gaill. Resum. 19.

Chondria parvula Agardh. syst. I. p. 207. Grevill. Scot. crypt. flor. VI. t. 346.

Fucus kaliformis var. γ , *nanus* Turn. hist. p. 61.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2568.

Specimen Preissianum juvenile, virescens.

2. **Lomentaria articulata** Lyngb. fronde filiformi articulato-concatenata tubulosa, ramis fastigiatis dichotomis verticillatisque. Lyngb. Agardh. spec. I. p. 357.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2569.

CHAMPIA Lamourx., Agardh. Endl. gen. suppl. III. n. 122/52.

1. **Champia Tasmanica** Harv. fronde compressa subbipinnatim ramosa, pinnis elongatis patentibus plerumque oppositis basi attenuatis, pinnulis clavatis distantibus oppositis vel alternis nunc ad axillas pinnarum fasciculatis, articulis diametro duplo brevioribus. Harvey in Hook. Lond. Journ. of Bot. III. tab. XIX.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae in *Hypnea musciformi* parasitica. Herb. Preiss. No. 2570.

Huic simillima est *Champia compressa* Harvey (*Gastridium zonatum* Suhr in Flora 1834. II. tab. 2. f. 19). Articulorum longitudo nec in *Champia Tasmanica*, nec in *Ch. compressa* constans esse videtur.

LAURENCIA Lamourx. Endl. gen. suppl. III. n. 122/53.

1. **Laurencia arbuscula** Sond. fronde tereti erecta gracili subramosa, ramis patentibus alternis rarissime suboppositis intermediis longioribus, ramulis erectis oppositis cylindraceis obtusiusculis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2571.

Bi-tri-pollicaris. *Laurenciae dasyphyllae* affinis. Rami intermedii inferioribus superioribusque longiores, plerumque sesquipollicares. Ramuli erecti vel subadpressi, cylindrici, rarius subclavati, vel medio subincrassati, lineam longi, simplices vel apice ramellis minutissimis praediti. Fructus ignoti. Substantia cartilaginea. Color dilute ruber, marcescentis flavescens.

2. **Laurencia pinnatifida** Lamourx. fronde compressa 2-3-pinnata, pinnis alternis, pinnulis obtusis callosis. Lamourx. essai. pag. 42.

Chondria pinnatifida Agardh. spec. I. pag. 337.

Var. **elata**, fronde pluries pinnata, pinnis pinnulisque linearibus elongatis erectiusculis truncato-obtusis. Agardh. l. c. p. 340.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2572.

Planta speciosa, colore et habitu *Thamnophorae*. Pinnae saepius ultra lineam latae.

3. **Laurencia obtusa** *Lamourx.* fronde tereti filiformi pluries pinnata, pinnis oppositis cylindracois clavatis abbreviatis horizontalibus. *Lamourx.* l. c. pag. 42.

Chondria obtusa Agardh. spec. I. pag. 340.

- α , **vera**, ramentis oppositis cylindraco-clavatis subhorizontalibus simplicibus aut singulo ramentorum pari ornatis. *Laurencia obtusa* var. α , J. Agardh. Alg. medit. et adriat. p. 114 *Fucus obtusus* Turn. hist. t. 21.

- β , **gracilis**, fronde gracillima, ramentis oppositis abbreviatis submultifidis, segmentis cylindraco-clavatis. Agardh. spec. I. pag. 342. J. Agardh. l. c.

- γ , **intricata**, ramentis subsparsis, majoribus minoribusque mixtis papillaeformibus cylindraco-truncatis. J. Agardh. l. c.

Laurencia intricata Lamourx. ess. t. 3. f. 8, 9.

Chondria intricata Kütz. phycol. gener.?

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2573.

4. **Laurencia Forsteri** *Grevill.* fronde tereti filiformi dichotoma fastigiata, ramis patentibus, summis divaricatis. apicibus obtusis, sterilibus incrassatis, fructiferis globosis. *Grevill. synops.* LII.

Chondria Forsteri Agardh. spec. I. pag. 343.

Formae sunt:

- α , **vera.** *Fucus Forsteri* Turn. hist. t. 77.

- β , **delicatula**, minor, 1-2 pollicaris, ramis summis brevissimis obtusis.

- γ , **gracilis**, fronde gracili, tripollicari, subpyramidata, erectiuscula.

- δ , **elata**, subpedalis, ramis elongatis erectiusculis, summis abbreviatis, patulis.

- ϵ , **fragilis**, ramis erecto-patientibus, superioribus subsecundis. An species distincta? Substantia quam in variet. praeced. magis cartilaginea, color e. carneo flavescens.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae, Caulinae? antarcticae adnata. Herb. Preiss. No. 2574.

Species ramificatione dichotoma a plerisque hujus generis distincta, valde polymorpha; omnes enim partes praeter essentielles valde variabiles sunt, ita ut specimina seorsim adspecta, ob habitum generalem mutatum, toto coelo differre videantur. Fructus in centenis fere exemplaribus frustra quaesivi.

5. **Laurencia affinis** *Sond.* fronde tereti ramosissima, ramis alternis erecto-patientibus fastigiatis, ramulis patulis basi subattenuatis. *Sond.* l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2575.

Quadripollicaris, circumferentia orbiculari. *Radix* callosa. *Frons* teres, a basi ramosissima, ramis densis, irregulariter dichotomis, patulis, suberectis, superioribus saepe subsecundis, ramulis ultimis subdivaricatis, cylindra-

ceis, basi subattenuatis, apice obtusis, lineam longis. *Fructum* non vidi. *Substantia* cartilaginea. *Color* fusco-ruber, marcescentis flavescens.

Multa communia habet cum *Laurencia Forsteri*, differt tamen primo intuitu colore subfusco, ramis condensatis, irregulariter divisis ramentisque basi attenuatis.

6. **Laurencia botryoides** Gaill. fronde compressa bipinnata, pinnis primariis horizontalibus elongatis, pinnulis obtusiusculis densissime papillosis. Gaill. resum. pag. 15.
Chondria botryoides Agardh. spec. I. pag. 346.
Fucus botryoides Turn. hist. t. 178.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2576.

Trib. IV. RHODOMELEAE.

DASYA Agardh. Endl. gen. suppl. III. n. 122/56.

1. **Dasya elongata** Sond. fronde continua vage decomposito-ramosa, ramis alternis nudis, ramulis undique filis densis divaricato-dichotomis vestitis, articulis diametro $1\frac{1}{2}$ -2-plo longioribus terminali obtuso, stichidiis lanceolatis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2577.

Frons expansa ultra pedem longa, teres, basi crassitie pennae columbinae, ramis patentibus, 2-3-pollicaribus, sensim attenuatis. *Ramuli* homogenei, sed multo tenuiores, alterni, erectiusculi, filis coccineis, articulatis dense vestiti. *Stichidia* aggregata, lanceolata, subpedicellata. *Sphaerosporae* biseriatae, rarius 3-4-seriatae, nucleo triangulatum quadridiviso. *Keramidia* ignota. *Frons* primaria extus nuda, intus polysiphonia. *Substantia* cartilaginea.

2. **Dasya velutina** Sond. filis roseis dense vestita, fronde tereti subcontinua, ramis alternis articulatis superioribus erecto-patulis simplicibus pinnatisve, filis divaricato-dichotomis, articulis diametro duplo longioribus terminali acuto. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2578.

Frons circumscriptione pyramidata, 3-4-pollicaris, crassitie $\frac{1}{3}$ lineae, tota filis roseo-purpurascens, ramosissimis, dense oblecta, ramis alternis, sesqui-vel bipollicaribus, inferioribus horizontaliter patentibus, superioribus brevioribus, subsimplicibus, erectis. *Frons* obsolete articulata, articulis diametrum aequantibus, sectione transversali polysiphonea, tubo centrali maximo. *Fila* frondem vestientia a basi ramosissima, ramis callithamnoideis divaricatis, articulo ultimo brevissimo, acuto. *Fructus* deest. *Substantia* cartilaginea.

3. **Dasya pallida** Sond. fronde subarticulata, ramis alterne pinnatis, pinnis ultimis fila verticillata pluries dichotoma internodiis 3-4-plo longiora emittentibus, articulis diametro 4-6-plo longioribus terminali brevissimo obtuso. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2579.

Affinis *Dasyae verticillatae* Harv. in Hook. Lond. Journ. of bot. 1844, p. 434., qua differt: filis dichotomis, non striatis, internodiis 3-4-plo, non 6-8-plo longioribus.

Specimen Preissianum incompletum tripollicare, *ramis* subsetaceis pollicaribus vel sesquipollicaribus, erecto-patulis, *ramulis* conformibus, sed dimidio minoribus et tenuioribus. *Ramuli* praesertim ad genicula subpellucida verticillo filorum articularum praediti. *Articuli* frondis diametrum subduplo superantes. *Fructus* ignotus. *Substantia* subcartilaginea. *Color* pallide roseus.

Ad *Eupogonium* Kütz. pertinet, genus a *Dasya* vix satis diversum.

POLYSIPHONIA Grevill. Endl. gen. suppl. III. n. 122/57.

A. *Oligosiphonia* J. Agardh.

1. **Polysiphonia Callithamnium** Sond. repens, minutum, filo elongato oligosiphoneo, ramis obsessis articulatis alternis divaricato-dichotomis, articulis fili primarii diametro sublongioribus, stichidiis pedicellatis ovatis oblongisve subrostratis. Sond. l. c.

In litore occidentali Novae Hollandiae, ad Corallinas reptans. Herb. Preiss. No 2580.

Plantula parasitica, pygmaea, habitu et colore *Callithamni*. *Filum* primarium 4-5-siphoneum, teres, articulis subdiaphanis diametro subduplo longioribus. *Rami* 3-2-siphonei, brevissimi, horizontaliter patentes, abeuntes in fila articulata, subintricata, ramosissima, divaricata, acuta. *Stichidia* filis lateraliter adnata, pedicello brevi insidentia, sive ovata, sive oblonga, apice in rostrum breve, rectum vel subincurvum attenuata, rarissime sublanceolata. *Sphaerosporae* uni-bi-vel triseriatae, nucleo intra perisporium hyalinum triangulatim quadriviso.

2. **Polysiphonia inversa** Sond. repens, filis erectis simplicibus vel apice subdivisis, ramis brevibus subulatis alternis patentibus, ramulis secundis sursum spectantibus, articulis fili primarii 6-siphoneis diametro subbrevioribus, stichidiis lanceolatis sphaerosporas uniseriatas continentibus. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2581.

Frons caespitosa, pollicaris. *Filum* primarium setaceum, rigidiusculum, basi apiceque attenuatum, a basi articulatum, articulis subaequalibus, indivisum, circumscriptione lanceolatum, vel apice dichotomum, per totam longitudinem *ramis* abbreviatis, semilineam longis, inferioribus superioribusque brevioribus, angulo recto egredientibus obsitum. *Ramuli* omnes erecti, secundi, simplices, subulati, acuti, ramis duplo triplove breviores. *Stichidia* solitaria, axillaria, lanceolata, recta vel subobliqua, sessilia vel breve pedicellata. *Sphaerosporae* semper uniseriatae, sphaericae, nucleo triangulatim quadriviso. *Tubus* centralis fili primarii siphonibus 6 radiatim dispositis, parum minoribus cinctus, rami 3-2-siphonei. *Color* fusco-purpureus.

Species primo intuitu sequenti simillima, attententius vero adspecta ramulis sursum nec deorsum spectantibus satis diversa.

B. *Polysiphonia* J. Agardh.

3. **Polysiphonia rostrata** Sond. repens, filis erectis, ramis brevibus subulatis apice subincurvis indivisis vel

iterum ramulosis, ramulis secundis deorsum spectantibus, articulis fili primarii 12-siphoneis diametro subaequalibus, stichidiis linearibus rostratis sphaerosporas uniseriatas includentibus. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2582.

Caespitosa, pollicaris. *Fila* primaria erecta, rigidiuscula, sensim attenuata, a basi ramosa, *ramis* erecto-patulis, inferioribus superioribusque brevioribus, intermediis $\frac{1}{2}$ - $1\frac{1}{2}$ lin. longis, apice subrecurvis. *Ramuli* filiformes, secundi, omnes deorsum spectantes, versus rami apicem sensim breviores. *Stichidia* sessilia, aggregata, linearia, vel lanceolata, rostro filiformi terminata. *Sphaerosporae* ut in praecedente semper uniseriatae, nucleo triangulatum quadridiviso. *Siphones* in parte fili primarii inferiore 12, in superiore plerumque 10; tubus centralis siphonibus aequalis. *Articuli* ramorum diametro longiores.

4. **Polysiphonia nigrita** Sond. filis vage ramosis inferne dichotomis, ramis ramulisque erecto-patulis, spinis subulatis alternis patentibus, articulis fili primarii 8-siphoneis diametro subquadruplo brevioribus, stichidiis lanceolatis sphaerosporas biseriatas includentibus. Sond. l. c.

Ad Novae Hollandiae litus occidentale. Herb. Preiss. No. 2583.

Frons in *Caulinia?* antarctica parasitica, 2-4-pollicaris, habitu et colore *Polysiphoniae Wulfenii*. *Filum* teres, fili emporetici minoris crassitie, apice attenuatum, reticulato-venosum vel exsiccatione foveolatum, a basi irregulariter dichotomum vel sparse ramosum, ramis patulis bipollicaribus, pollicaribus vel brevioribus. *Ramuli* creberrimi, simplices, spinaeformes, nunc iterum divisi, semilineam longi vel breviores. *Stichidia* aggregata, sessilia, lanceolata, basi subattenuata. *Sphaerosporae* biseriatae, nucleo triangulatum quadridiviso.

Articuli obscuri, in fronde primaria inferne obsoleti, siphonibus 8-10 tuboque centrali valde angusto percursi, geniculis non elevatis, obscuris. *Substantia* cartilaginea, siccatae rigida, subfragilis. Chartae laxae adhaeret.

TRIGENEA Sond.

Frons cartilaginea, filiformis, continua, subramosa, undique ramentis filiformibus carnosissimis obsessa. Ramenta alia *sterilia*, plerumque simplicia, nuda, alia *fructifera*, ramosa, filis articulatis, callithamnoideis, ramosis obsita. Fructificatio duplex, 1) *Sphaerosporae* sphaericae, in ramentis inclusae, nucleo triangulatum quadridiviso. 2) *Favellidia* oblonga, filis ramentorum fructiferorum articulatis lateraliter adnata, sporas 4-6 subangulatas continentia.

Alga marina, Australasiaca, sanguinea, habitu *Digeneae*.

1. **Trigenea australis** Sond.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2584.

Specimina Preissiana spithamea, dichotome divisa. *Frons* teres, lineam crassa, undique ramentis obsita. *Ramenta* filiformia, semipollicem longa, $\frac{1}{3}$ lin. lata, horizontaliter patentia, in apice frondis erecta, subcomosa, carnosissima, siccitate subrugulosa, simplicia vel ramis nonnullis conformibus, lateralibus terminalibusve praedita. Ramenta *sterilia* extus nuda, intus cellulosa cellulis parenchymaticis subhexagonis, axi centrali nulla; *fructifera* illis

intermixta, saepissime ramosa, extus filis articulatis, (articulis diametrum aequantibus, basi saepe bisiphoneis) callithannoideis, subdichotome ramosis. oculo nudo vix conspicuis obsita, intus cellulosa axique centrali, articulata percursa. *Sphaerosporae* in ramentis fructiferis et praesertim in apice subclavato nidulantes, sphaericae, demum triangulatim quadridivisae. *Keramidia* oblonga, filis articulatis ramenta fructifera vestientibus adnata, perisporio hyalino sporas paucas, angulatas, saepe zonatim divisas, continentia. *Structura*: frons primaria e stratis duobus composita, parenchymatico. exteriore, epenchymatico interiore. *Color* plantae madefactae sanguineus, siccatuae atrosanguineus.

A *Digenea* cui characteribus affinis, primo adpectu ramentis crassis, carnosis, non articulatis, sanguineis differt.

RHODOMELA Agardh. Endl. gen. suppl. III. n. 122/61.

1. **Rhodomela Preissii** Sond. fronde tereti filiformi siccitate subplicata a basi dichotome ramosa, ramis inferioribus patentibus superioribus brevioribus erectiusculis, ramulis sparsis setaceis simplicibus furcatisve, capsulis subpedicellatis solitariis ramis superioribus adnatis.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2585.

Radix scutata parva. *Fronde* aggregatae, bipollicares, setaceo-filiformes. *Rami* subfastigiati, sensim attenuati, rigidiusculi, ramulis ultimis 2-4 lin. longis. *Fructus*: capsulae subgloboae, pedicello brevi insidentes, apice dehiscentes, granulis minutissimis, subangulatis, placentae centrali affixis. *Color* rubro-fuscus, exsiccatuae subnigrescens. *Substantia* cartilaginea. *Cellulae* frondis *periphericae* minutae, *interiores* tubum centralem cingentes maximae.

DICTYOMENIA Grevill. J. Agardh. Symbol. p. 27. Endl. gen. suppl. III. n. 122/63. Spir- hymenia Decaisn.

1. **Dictyomenia spiralis** Sond. fronde lineari costata spiraliter torta pinnatifida ciliato-serrata, ciliis erectiusculis acutissimis, stichidiis e costa pinnularum media ortis, sphaerosporas biseriatas continentibus, keramidiis globosis pedicellatis costae spinulisve marginalibus insidentibus.

Delesseria spiralis Lamourx. ess. pag. 36. t. 3. f. 2.

Rhodomela tridens β , spiralis Agardh. spec. I. pag. 374.

Epineurum spirale Harv. msc.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2586.

Frons pedalis et ultra, basi teres, pennae anserinae crassitie, mox in laminam dentato-serratam, $1\frac{1}{2}$ -3 lin. latam dilatata. *Rami* alterni, pluries pinnatifidi, 1-2 lin. lati. *Costa* pinnarum tenuis, non evanida. *Stichidia* oblonga acutiuscula, subpedicellata, semper costa media insidentia et sorum longitudinalem praebentia. *Sphaerosporae* biseriatae, sphaericae, nucleo triangulatim quadridiviso. *Keramidia* vel e spinulis vel e costa media egredientibus. *Color* fusco-purpureus. *Substantia* et structura interna exaete *Dictyomeniae serratae* J. Agardh. (Carpophylli serrati Suhr), cui valde similis.

POLYZONIA Suhr. Endl. gen. suppl. III.
n. 122/67.

1. **Polyzonia elegans** Suhr. fronde erecta alterne bipinnata, pinnulis subverticalibus deorsum integerrimis, sursum in dentes 3-4 acutos sublanceolatosve abeuntibus. Suhr in Regensb. bot. Zeit. 1834. p. 739. t. II. f. 15.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae *Gelidium cornutum* perrepens. Herb. Preiss. No. 2587.

Nostra planta omnino eadem ac Capensis. *Polyzonia incisa* J. Agardh. Symbol. p. 24. vix a *P. elegante* diversa videtur. *Polyzonia cuneifolia* Montagn. Hooker et Harv. in flor. antarctic. p. 68. t. LXXVI. pinnulis apice truncatis, margine superiore serrato-dentatos facile distinguitur.

LEVEILLEA Decaisn. Endl. gen. suppl. III.
n. 122/68.

1. **Leveillea Schimperii** Decaisn. ramis sparsis pinnatim lobatis, lobis distichis subimbricatis, foliolis rotundatis saepius apice penicillatis mucronulatis, receptaculis arcuatis superne haud raro foliosis. Decaisn. in Archiv. Mus II pag. 161. t. 6.

Amansia jungermannioides Mart. et Herg. in Flora 1836. p. 485. c. icone.

Polyzonia jungermannioides J. Agardh. symbol. p. 25.

β , **nuda** foliolis omnibus rotundatis non penicillatis.

Leveillea gracilis Decaisn. in Nouv. Annal. sc. natur. XI. p. 376. fide speciminis a cl. Montagne communicati (ad insul. Toud lect.).

Ad litus occidentale Novae Hollandiae, *Hypneum musciformem* perrepens. Herb. Preiss. No. 2588.

LENORMANDIA Sond. in Mohl et Schlechtend. bot. Zeit. 1845. p. 54.

Frons membranacea, plana, tenuis, costata, e disco proli-fera. Cellulae in zonas rhombeas ordinatae. Fructificatio: Stichidia clavata, per totam frondem sparsa, sphaerosporas biseriatas foventia. Keramidia ovata, granulis clavatis foeta.

Alga marina, Australasiaca, purpurascens.

Genus dicavi Algologo acutissimo *R. Lenormand*.

1. **Lenormandia spectabilis** Sond. fronde cuneata vel oblonga basi angustata. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2589.

Radix ignota. *Frons* primaria linearis basi angustata, 4-6 poll. longa.

pollicem vel sesquipollicem lata, integerrima, hinc inde e disco prolifera. *Pro-lificationes* conformes, oblongae, subsessiles vel breve petiolatae, basi suban-gustatae, apice obtusae, subemarginatae, costa media, tenui percursae, mar-gine integerrimae vel subdenticulatae, 3-5 poll. longae, pollicem latae. Frons tota pulcherrime oblique zonata et areolata, areolis omnibus rhombeis. *Sti-chidia* per frondem ubique sparsa, nunc solitaria, nunc subcoacervata, obo-vata, breve pedicellata, duplici serie sphaerosporas continentia. *Sphaero-sporae* sphaericae, nucleo triangulatim quadridiviso. *Keramidia* sparsa, obovata, sessilia, sporidiis clavatis, majusculis, peridio hyalino cinctis, e pla-centa subbasilari egredientibus foeta. *Color* roseus, demum purpurascens. *Substantia* membranacea.

KÜTZINGIA Sond. in Mohl et Schlechtend.
bot. Zeit. 1845. p. 54.

Frons membranaceo-cartilaginea, plana, corticata, costata, distiche pinnata. Cellulae interiores in zonas tetraëdras paral-lelas transversales ordinatae. Fructificatio: *Stichidia* oblonga, costae mediae striisque transversalibus adnata, duplici serie sphaerosporas foventia, *Keramidia*.

Alga marina, Australasiaca, atropurpurea, basi caulescens.

Genus dicatum Algologo celeberrimo *F. T. Kützing*, Prof. Nordhusiensi.

1. **Kützingia canaliculata** Sond. l. c.

Rytiphlaea canaliculata Grevill. in Edinb. Journ. of nat. et geograph. science New Series N. III. c. icone.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2590.

Radix scutata, parva. *Frons* spithamaea. *Caulis* bipollicaris, pennae columbinae crassitie, teres, in ramos explanata patulos, foliaceos, bi-vel tri-pinnatos, costa valida percursos. *Pinnae* lineares pollicares vel ultra, 1½-2 lin. latae, ut *pinnulae* distichae, subcanaliculatae, margine integerrimae, co-statae, transverse parallele zonata, areolis tetragonis. *Stichidia* 4-6 aggre-gata, in pagina frondis superiore costam mediam occupantia, i. e. longitudi-naliter uniseriata, in pagina inferiore ad utrumque latus costae striis trans-versalibus, intervallo lineae unius sejunctis affixa, oblonga vel ovata, breve pedicellata. *Sphaerosporae* biseriatae, sphaericae, nucleo triangulatim qua-dridiviso. *Keramidia* ignota. *Color* madefactae obscure purpureus, sicca-tae subnigrescens.

POLYPHACEAE Decaisn. Annal. scienc.
natur. ser. 2. XVII. p. 363.

POLYPHACUM Agardh. Sond. in Mohl et
Schlechtend. bot. Zeit. 1845. p. 54.

Frons caulescens, ramis foliiformibus proliferis, verrucis stipitatis spinulosis obsitis. Folia membranaceo-coriacea nervo crasso percursa, cellulis interioribus maximis parenchymaticis seriatis. Verrucarum stipes folio conformis, spinulae articulatae.

Stichidia minuta, fasciculata, folium terminantia, rarius nervo medio insidentia, duplici serie sphaerosporas demum triangulatum divisas continentia.

Alga Australasiaca atro-fusca*).

1. **Polyphacum proliferum** Agardh. spec. I. p. 106.
Osmundaria prolifera Lamourx. ess. p. 22. t. 1. f. 4. 5. 6.

Ad litus austro-occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2591 et 2592.

Spithamea. *Radix* scutata, pollicaris, multicaulis. *Caules* teretiusculi, subpollicares, pennae anserinae crassitie, ramis paucis, alternis, conformibus, brevibus, mox in frondem foliiformem, e disco proliferam abeuntibus. *Folia* plana, linearia vel sublanceolata, 1-3-pollicaria, 2-3 lin. lata, nervo medio, crasso percursa, margine integerrima vel serrato-dentata, undique verrucis minimis, fuscis dense oblecta. *Verrucae* pedicello brevissimo insidentes, spinulis numerosis, simplicibus, ramosisve, articulatis constant. *Stipes* verrucarum teretiusculus, angulatus vel subcompressus, frondi conformis, e cellulis minutis corticalibus, majoribusque interioribus constituta. *Stichidia* lanceolata vel lineari-clavata, plerumque folium terminantia, rarius in nervo medio lateralia, semper aggregata, vix lineam longa. *Sphaerosporae* sphaericae, hyalinae. *Color* frondis fuscus, siccatae atro-fuscus.

Frons in omnibus speciminibus a me examinatis e nervo medio, nunquam e margine prolifera, folia vel margine integerrima vel evidenter serrata, nervus medius crassus semper inconspicuus, nunquam denudatus ut pingit et describit Lamourouxius.

Genus dubiae affinitatis.

THAMNOCLONIUM Kütz. phycol. gen. p. 392.
Sond. in Mohl et Schlechtend. bot. Zeitg. 1845.
p. 56. Polyphaci species J. Agardh. in Symbol.
pag. 3.

Frons cartilagineo-cornea compressa enervis linearis ramosa vel sursum explanata, verrucis stipitatis spinulosis vestita. Cellulae interiores perenchymaticae angustissimae. Verrucae spinulaeque frondi conformes. Fructificatio

Algae Australasiacae, marinae, fuscae vel virides, caulescentes.

1. **Thamnoclonium flabelliforme** Sond. viride, stipite tereti crasso demum nudo, ramis compressis basi verrucis brevibus spinulosis obsitis, apicem versus in ramellos elongatos filiformes intertextos frondem flabellatam efformantibus solutis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2619.

Frons subspithamea. *Caulis* pollicaris vel ultra, duas lineas crassus, teretiusculus, rigidus, corneus, albescens, apice in ramos ramulosque tenues, flabellum planum, apice subplicatum, crispatum, reticulatum, viridem, 4-5 pollices

*) *Polyphacum dichotomum* J. Agardh. est *Thamnoclonii* species. *Thamnocl. hirsutum* Kütz.

latum efformantes, explanatus. *Rami* compressi, ad basin obtecti verrucis brevissimis, frondi conformibus, quae versus apicem frondis sensim in ramullos filiformes, intertextos mutantur. *Fructificatio* ignota. *Color* caulis albidus, frondis viridis.

2. **Thamnoclonium proliferum** Sond. stipite tereti nudo, fronde compressa e disco prolifera, proliferationibus cuneatis profunde bifidis verrucis minutissimis spinulosis viridibus vestitis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2620.

Quadripollicaris vel ultra. *Caulis* teres vix lineam crassus, albidus, ramis paucis, alternis, semipollicaribus instructus. *Rami* in laminam abeunt planam, cuneatam, e disco proliferam. *Proliferae* infra divisuram 3 lin. latae, segmentis linearibus $1\frac{1}{2}$ -2 lin. latis. *Verrucae* laminam obtegentes minutae, virides, spinulis minutissimis, obtusiusculis, frondi et verrucarum basi conformibus ramosae. *Fructus* ignoti. *Color* stipitis albidus, laminae obscure viridis. *Substantia* cartilaginea, siccati cornea, subfragilis.

Affinis *Thamnoclonio hirsuto* Kütz. l. c. (*Polyphac. dichotomo* J. Agardh.), differt fronde latiore prolifera, et colore qui in illo fusco-niger.

CORALLINEAE Endl. gen. suppl. III. pag. 48.

JANIA Lamourx. Endl. gen. suppl. III. n. 122/72.

a, *Jania* Decaisn. in Nouv. Ann. sc. nat. XVIII. p. 123.

1. **Jania antennina** Kütz. dichotoma, fastigiata, submoniliformis, ramis erectiusculis, articulis diametro subaequalibus, keramidiis ovatis subproliferis. Kütz. phycol. gen. pag. 389.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae, Conchis adhaerens. Herb. Preiss. No. 2593.

Pollicaris, caespitosa, tenuissima, capillo humano vix crassior, rubens. *Articuli* oculis nudis vix conspicui. *Keramidia* subpyriformia, terminalia vel ramulis elongatis axillaria, corniculis 2-4 instructa, interdum prolifera. *Sporae* fundo affixae, clavatae, demum transverse (zonatim) quadridivisae.

2. **Jania tenuissima** Sond. dichotoma, fastigiata, submoniliformis, ramis divaricatis, articulis diametro sublongioribus, keramidiis ovatis.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2594.

Priori simillima, sed duplo tenuior. Caespitosa vix pollicaris, ramis valde divaricatis, articulis vix conspicuis. *Fructus* ut in antecedente.

Jania crassa Lamourx. expos. meth. p. 23. t. 69. f. 9, 10. ramis duplo triplove crassioribus articulisque longioribus dignoscitur.

b, *Haliptylon* Decaisn. l. c.

3. **Jania subulata** Sond. pinnatim ramosa vel subdichotoma, articulata, articulis frondis primariae compressis

cuneiformibus ex apice utriusque lateris proliferis, ramulis brevibus subulatis, articulis teretibus.

Corallina subulata Sol. et Ell. p. 119. n. 23. t. 21. f. b.

B. *Lamourx.* expos. meth. p. 25. t. 21. f. b. B.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2595.

Caespitosa, caulibus *Caulinae?* *antarcticae* adhaerens, pollicaris.

Fructus deest. Color roseus.

Species ramulis abbreviatis insignis.

4. **Jania granifera** *Decaisn.* pinnatim ramosa vel subdichotoma, articulis frondis primariae compressis cuneiformibus, ramulis teretiusculis subelongatis, keramidiis lateralibus ovalibus pedunculatis interdum proliferis. *Decaisn.* l. c.

Corallina granifera Sol. et Ellis. p. 120. n. 24. t. 21. f.

c. C. *Lamourx.* exp. meth. p. 24. t. 21. f. c. C.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2596.

Antecedenti simillima sed major, magis composita, ramulis filiformibus longioribus diversa.

Frons 3-4-pollicaris, dichotoma, ramis bi-vel tripinnatis. *Keramidia* minuta, cornuta vel apice prolifera, pedicello $\frac{1}{3}$ lin. longo insidentia.

AMPHIROA *Lamourx.* *Endl.* gen. suppl. III. n. 122/73.

a, *Euamphiroa* *Decaisn.* l. c.

1. **Amphiroa charoides** *Lamourx.* ramis ternis verticillatisve erecto-patulis, articulis cylindricis diametro suboctuplo longioribus, keramidiis hemisphaericis verruciformibus in articulis sparsis. *Lamourx.* polyp. flex. pag. 301. *Decaisn.* in *Nouv. Annal. sc. nat.* XVII. t. 17. f. 9.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2597.

Bi-tripollicaris, in ramis *Caulinae?* *antarcticae* cum *Janiis* etc. caespitosa. *Articuli* 2 lin. longi. *Keramidia* minuta, saepe longitudinaliter uniseriata.

Affinis *Amphiroae fragillimae* *Lamourx.*

2. **Amphiroa elegans** *Sond.* fronde elongata gracillima dichotoma, articulis fili primarii elongatis nudis medio anulo calcareo praeditis, ramis ramulisque verticillatis, articulis ultimis tenuissimis obtusis. *Sond.* in *Mohl et Schlecht. bot. Zeit.* 1845. p. 55.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2598.

Caespitosa, 3-4-pollicaris, tenuissima. *Rami* patentis, teretes, 1-8 verticillati, $\frac{1}{2}$ -1 poll. longi, inferiores intervallo pollicari, superiores semipollicari sejuncti. *Keramidia* minutissima, hemisphaerica, in ramulorum articulis sparsa.

Ab *Amphiroa charoide* fronde gracillima, elongata, ramulis multo tenuioribus keramidiisque dimidio minoribus diversa.

c, Eurytion Decaisn. l. c.

3. **Amphiroa galaxauroides** *Sond.* dichotoma basi subcylindracea, ramis fastigiatis, articulis compressis linearibus basi angustatis apice auriculatis, keramidiis creberrimis verrucaeformibus poro pertusis.

Galaxaura versicolor *Sond.* l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2599.

Tri-quadri-pollicaris. *Rami* subdivaricati, supremi erecti. *Articuli* compressi 4-6 lin. longi, apice lineam lati, superiores breviores sublineares. *Keramidia* in utraque articuli pagina, saepe numerosa, minuta, hemisphaerica, apice poro pertusa. *Color* amoene roseus.

β , **tenuior.** articulis subdimidio angustioribus, ancipitibus terebibus mixtis, nitidulis. *Keramidia* ut in variet. *a.*

4. **Amphiroa australis** *Sond.* dichotoma vel geniculis prolificantibus trichotoma, articulis compressis ovalibus oblongisve laevissimis. *Sond.* l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2600.

Specimina Preissiana incompleta bipollicaria. *Articuli* inferiores 4 lin. longi, 2-2½ lin. lati, compresso-plani, oblongi, ovati vel obovati, superiores et laterales saepe duplo triplove minores, omnes pallide rosei, nitiduli. *Fructus* ignoti.

Species forma articulorum ab omnibus hujus generis satis distincta.

d, Cheilosporum Decaisn. l. c.

5. **Amphiroa sagittata** *Decaisn.* dichotoma, articulis sagittatis, extremitatibus acutis vel ovariiferis. *Decaisn.* l. c.

Corallina sagittata *Lamourx.* in Freycinet Voy. Zoolog. 625. t. 95. f. 11. 12.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae, caulibus *Caulinia?* antarcticae adhaerens. Herb. Preiss. No. 2601.

MELOBESIA *Lamourx.*

e, Mastophora Decaisn. l. c.

1. **Melobesia** (*Mastophora*) **plana** *Sond.* plana, fronde tenui expansa subdichotoma lobata, segmentis elongatis cuneatis apice bifidis, laciniis obtusis planis, keramidiis hemisphaericis sparsis. *Sond.* l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2602.

Tripollicaris, membranaceo-coriacea, obscure rosea, segmentis fastigiatis, apice 3-5 lin. latis, in basin vix semilineam latam angustatis. *Segmenta* ultima 2 lin. lata. *Frons* tota striis minimis, transversalibus zonata. *Keramidia* majuscula, in fronde sparsa, hemisphaerica, poro pertusa, sporas basi affixas, subpyriformes, demum zonatim quadridivisas includentia.

2. **Melobesia** (*Mastophora*) **flabellata** *Sond.* fronde tenui expansa irregulariter divisa, segmentis elongatis an-

gustis apice flabellatis, integris vel 2-3-lobatis, lobis rotundatis apice marginibusque subinvolutis, keramidiis hemisphaericis sparsis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2603.

Praecedenti proxime affinis, segmentis irregularibus tenuioribus diversa. Tripollicaris, a basi divisa. *Segmenta* ultima semipollicem lata, subdivisa, nunc divisione repetita vix 2 lin. lata, siccata margine involuta. *Keramidia*, color et structura interna praecedentis.

Trib. V. SPHAEROCOCCOIDEAE J. Agardh.

HYPNEA Lamourx. Endl. gen. suppl. III.
n. 122/79.

1. **Hypnea musciformis** Lamourx. fronde subcartilaginea filiformi ramosissima ramentis setaceis spinuliformibus hirta, apicibus ramorum lanceolatis uncinatis, capsulis sphaericis in ramulis sessilibus, sphaerosporis in ramulis, pericarpium lanceolatum referentibus, inclusis.

Hypnea musciformis Lamourx. ess. p. 43.

Hypnea spinulosa Lamourx. l. c. p. 44.

Fucus musciformis Wulf. in Jarq. Coll. III. p. 154. t. 14. f. 3. Turn. hist. t. 127.

Sphaerococcus musciformis Agardh. spec. I. p. 326.

Hypnea Ecklonii Suhr! planta granulifera.

Chondria cirrhosa Suhr! planta capsuligera.

Hypnophycus musciformis Kütz. phycol. gen. p. 404. t. 60. f. IV (opt!).

Ad litus occidentale Novae Hollandiae, aliis Algis Corallinisque adnascens. Herb. Preiss. No. 2604.

Specimina Preissiana alia coccidiis, alia sphaerosporis instructa. *Sphaerosporae* zonatim quadridivisae. Varietas nova insignis est

foliosissima, fronde crassiuscula, ramulis abbreviatis densis. Color coccineus. Ramuli apice hamati et capsula ut in var. *v.*

Sphaerococcus spinellus Agardh! spec. I. p. 323. ab *Hypnea musciformi* non nisi ramulis brevioribus rigidioribusque differre videtur, fructificatio omnino eadem est.

2. **Hypnea charoides** Lamourx. fronde cartilaginea filiformi subdichotoma, ramis alternis apice rectis erecto-patulis, undique ramentis horizontalibus subulatis tenuissimis simplicibus ramosisve dense vestita, capsulis sphaericis in ramulis sessilibus. Lamourx. ess. p. 44. t. 10. f. 1-3. non herbar. Lamourx. fide Agardh. et Montagne.

Ad Novae Hollandiae oram occidentalem, Herb. Preiss. No. 2605.

Spithamaea, teres, a basi ramosa. *Rami* inferiores subdivaricati, dichotomi, basi pennae passerinae crassitie, sensim attenuati apice setacei. *Ramenta* densa, tenuissima, subpiliformia, 1/2-1 lin. longa, rarius subramosa longiora. *Coccidia* sphaerica, ramulis adnata. *Sphaerosporae* (ex icone Lamourx.) in ramulis, pericarpium siliquaeformem, rostratum referentibus

inclusae. *Substantia* cartilaginea, exsiccatae fragilis. *Color* purpureo-roseus, marcescentis flavescens.

β , **delicatula**, fronde filiformi tenuissima, ramentis minus densis abbreviatis obtusis.

Bi-tri-pollicaris, ramis subsetaceis. *Color* purpurascens.

Hypnea Valentiae Montagn. forsitan non satis differt a *H. charoide*.

3. **Hypnea hamulosa** Lamourx. fronde teretiuscula filiformi attenuata ramosissima, ramis apice rectis, laxe vestita ramentis horizontalibus subulatis bi-trifurcis, capsulis sphaericis sessilibus, sphaerosporis in ramulis pericarpium lanceolatum rostratum referentibus, inclusis. Lamourx. ess. pag. 44.

Fucus hamulosus Esp. Ic. Fuc. p. 129. t. 89. Turn. hist. t. 79.

Chondria hamulosa Agardh. spec. I. p. 361.

Hypnea Valentiae var. α hamulosa Decaisn. in Archiv. Mus. II. p. 183.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2606.

Sphaerosporae zonatim quadridivisae.

4. **Hypnea divaricata** Grevill. fronde gelatinoso-membranacea, tereti, filiformi, attenuata, ramosissima, ramis divaricatis, ubique laxe obsitis ramulis horizontalibus abbreviatis subulatis vage pectinatis, coccidiis sphaericis in ramis majoribus subimmersis, sphaerosporis in ramulis pericarpium rostratum referentibus, inclusis. Grevill. syn. LIX.

Fucus divaricatus R. Brown. Turn. hist. t. 181.

Chondria divaricata Agardh. spec. I. p. 360.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2607.

Sphaerosporae oblongae, basi ramulorum innatae, demum zonatim quadridivisae.

Species habitu singulari et substantia subgelatinosa ab affinibus diversa. Chartae adhaeret.

PLOCARIA Nees. Endl. gen. suppl. III. n. 122/80. (excl. nonnull. spec.)

1. **Plocaria dactyloides** Sond. fronde flaccida teretibus terve dichotoma, ramulis obsita pedicellatis apice subpalmatim divisis, laciniis subulatis simplicibus dichotomisve.

Gracilaria dactyloides Sond. in Mohl et Schlecht. bot. Zeit. 1845. p. 55.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2608.

Planta pulchra. Specimen unicum spithameum, ramis filiformibus, patulis, pennae columbinae crassitie, teretibus, siccitate subplicatis. Ramuli undique egredientes, $\frac{1}{2}$ -1 poll. longi, pedicello 2-4 lin. longo, laciniis madefactis subulatis, exsiccatis compressiusculis. *Coccidia* hemisphaerica, apiculata, semper ramis primariis nunquam (saltem in nostro specimine) ramulis

adnata. *Sporae* numerosae, subangulatae, filis confervoideis e placenta centrali egredientibus affixa. *Sphaerosporae* desunt. *Color* purpurascens. *Substantia* cartilaginea tenax. *Structura* frondis interna: e stratis duobus composita est, cellulae corticales minutae, angustae, medullares maximae parenchymaticae.

RHODOMENIA Grevill. Endl. gen. suppl. III. n. 122/81.

1. **Rhodomenia australis** *Sond.* fronde plana lineari e basi subcuneata dichotoma fastigiata, segmentis linearibus obtusis emarginatisve, axillis obtusiusculis. *Sond.* l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae, Spongiis Corallinisque adnata. d. 10. Jul. 1840. Herb. Preiss. No. 2609.

Radix scutulata. *Frons* caespitosa 4-6-pollicaris, stricta, a basi dichotome divisa, enervis. *Segmenta* inferiora 3-4 lin. lata, cuneata, superiora linearia, 1 lin. lata, apice fastigiata, obtusa vel bifida, omnia patentia, margine integerrima, rarissime hinc inde proliferationes breves, obovatas emittentia. *Sphaerosporae* frondi immersae et in segmentis ultimis maculas seu excavationes ut in *Acropeltide* efformantes. *Maculae* sive oblongae sive obcordatae, fronde angustiores; *sphaerosporae* subsphaericae vel subpyriformes, nucleo cruciatim quadridiviso. *Coccidia* hemisphaerica, in disco frondis sparsa, apiculata, demum poro pertusa. *Color* roseo-purpureus. *Substantia* membranacea. *Structura*: cellulae corticales minutae, interiores maximae parenchymaticae.

β, **constricta**, fronde angusta lineari, segmentis hic illic obsolete articulato-constrictis.

Fucus constrictus Turn. hist. t. 152.

Specimina Preissiana perfecte in iconem Turnerianam quadrant.

2. **Rhodomenia Preissiana** *Sond.* fronde stipitata membranacea plana e basi palmata irregulariter pinnatim divisa, segmentis apice marginibusque ciliatis, ciliis fructiferis. *Sond.* l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae, Conchis Spongiisque innascens. Herb. Preiss. No. 2610.

Radix scutata. *Stipes* ima basi teretiusculus, apicem versus plano-compressus, pollicem longus, lineam latus. *Frons* circumferentia orbicularis, 4 poll. longa et lata. *Segmenta* inferiora 2 lin., superiora lineam lata, margine ciliis sparsis praedita. *Coccidia* hemisphaerica ciliis adnata, sporis numerosis, subpyriformibus, purpureis, placenta centrali. *Sphaerosporae* in cellulis periphericis ciliarum sitae, oblongae, nucleo zonatim quadridiviso. *Color* e roseo-purpurascens. *Substantia* frondis membranacea, stipitis cartilaginea. *Structura*: cellulae corticales minutae, interiores maximae parenchymaticae.

Species *Sphaerococco ramuloso* Mart. similis, attamen fronde palmatim divisa, fructibusque diversa. *Structura* interna non differt.

3. **Rhodomenia obtusata** *Sond.* fronde plana enervi membranaceo-coriacea irregulariter dichotoma, segmentis cuneatis ultimis linearibus rotundato-obtusis, coccidiis hemisphaericis sparsis.

Chondrus obtusatus *Sond.* l. c.

In Novae Hollandiae litore austro-occidentali. Herb. Preiss. No. 2611.

Frons 3-4-pollicaris, circumscriptione suborbicularis, pluries irregulariter furcata, axillis rotundatis, segmentis margine integerrimis vel subdenticulatis, inferioribus cuneatis 3-4 lin. latis, superioribus linearibus $1\frac{1}{2}$ -2 lin. latis, obtusissimis, rarius submarginatis. *Coccidia* in disco frondis sparsa, minuta, sessilia, hemisphaerica, apice poro pertusa. *Sphaerosporae* ignotae. *Color* badius. *Substantia* membranacea subcoriacea, tenax. *Structura* Rhodomeniae, cellulae corticales minutae, angustae, interiores maximae, parenchymaticae.

Quoad habitum *Chondro dilatato* et quibusdam varietatibus *Chondri crispi* proxima, structura tamen fructibusque satis diversa.

SPHAEROCOCCUS Grevill. Endl. gen. suppl. III. n. 122/82.

1. **Sphaerococcus coriaceus** Sond. fronde coriacea compresso-plana costata bipinnata, pinnis plerisque oppositis, pinnulis pectinato-incisis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2612.

Radix scutata, *Corallinis* innascens. *Stipes* brevis, teretiusculus, apicem versus compresso-planus, 1-2 lin. latus, mox emittens *laminam* disticham evidenter costatam, bipinnatam, rarissime subtripinnatam. *Jugamentum* pinnae primariae 2-2 $\frac{1}{2}$ lineas latum. *Pinnulae* erecto-patulae, plerumque semipollicem longae, lineam latae, costa evanescente, serraturis acutis pectinatae vel pinnatifidae. *Fructus* ignotus. *Color* purpureo-sanguineus, exsiccatae nigrescens. *Substantia* stipitis subcartilaginea, frondis membranaceo-coriacea.

A *Sphaerococco crinito* Agardh. (Turn. t. 123.), cui praesertim colore similis, differt ramificatione pinnata.

Trib. VI. DELESSERIEAE J. Agardh.

PLOCAMIUM Lamourx. Grevill. Endl. gen. n. 122/83.

1. **Plocamium pusillum** Sond. fronde tenerrima subcompressa bi-tripinnata, pinnis pinnulisque alterne geminis subulatis rectis vel subincurvis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2613.

Frons in caule *Caulinae? oceanicae* parasitica, vix pollicaris, caespitosa, tenuissima. *Pinnulae* fere lineam longae, subulatae. *Sphaerosporae* receptaculis propriis lanceolatis, saepe bifidis inclusae, biseriatae, sphaericae, nucleo triangulatum quadridiviso. *Coccidia* desunt.

A *Plocamio coccineo* Lgb. cui structura omnino convenit, facile distinguitur fronde humiliore, tenuiore, magis divisa, praesertim vero pinnis alterne geminis non ternis quaternisve.

2. **Plocamium Preissianum** Sond. fronde ecostata decomposito-pinnatifida, pinnulis alterne ternis quaternisve inferioribus subsimplicibus laciniisque superiorum externe dentato-serratis, receptaculis axillaribus sparsis aggregatisve

sphaerosporas includentibus, coccidiis sessilibus tuberculatis. Sond. l. c.

Ad litus austro-occidentale Novae Hollandiae, d. 10. Jul. 1840. Herb. Preiss. No. 2614.

Frons pedalis et ultra, stipite subcostato lineam lato. *Pinnae* alternae, erecto-patulae, $\frac{3}{4}$ lin. latae, enerves. *Pinnulae* ultimae ternae quaternaeve alternantes, quarum inferiores subulatae, erecto-incurvae, lineam longae, superior parum major et composita, i. e. latere interiore versus apicem pinnulam novam vel ramulum emittens, omnes, saltem superiores margine inferiore acute serratae. *Receptacula* linearia vel lanceolata, subpedicellata, minuta, vix $\frac{1}{2}$ lin. longa, in axillis pinnularum aggregata, rarius marginem pinnulae superiorem occupantia. *Sphaerosporae* subbiseriatae, oblongae, nucleo zonatim quadridiviso. *Coccidia* (in distincta stirpe) pinnis pinnulisve adnata, solitaria, sphaerica, tuberculis minimis obsita. *Sporae* numerosae, subpyriformes, subangulatae, purpureae, ad placentam basilarem affixae. *Color* roseo-purpureus, in sanguineum vergens. *Substantia* membranacea. *Structura*: e stratis duobus composita est, cellulae strati interioris maximae, versus peripheriam minores, corticales minutae, angustae.

Species pulcherrima, *Thamnophorae Mertensii* simillima, structura tamen satis distincta.

THAMNOPHORA Agardh. Endl. gen. suppl. III. n. 122/84.

1. **Thamnophora Mertensii** Grevill. fronde ecostata uninervi decomposito-pinnatifida, pinnis pinnulisque alterne geminis, inferioribus laciniisque superiorum externe supra medium serratis, e basi vix latiore linearibus elongatis obtusiusculis. Grevill! synops. XLIX. J. Agardh. symbol. p. 10.

Ad litus austro-occidentale Novae Hollandiae, d. 10. Jul. 1840. Herb. Preiss. No. 2615.

Frons pedalis et ultra. *Pinnae* lineam latae, erecto-patulae, axillis obtusis. *Pinnulae* ultimae lineam vel sesquilineam longae, subincurvae. *Receptacula* sphaerosporas includentia, in axillis pinnarum et pinnularum aggregata, minuta, linearia vel lanceolata, simplicia vel ramosa, pedicello brevissimo insidentia. *Sphaerosporae* plerumque biseriatae, oblongae, nucleo zonatim quadridiviso. *Coccidia* (in distincta stirpe) subsphaerica, in axillis pinnularum solitaria vel aggregata, pedicello insidentia longiusculo, simplici vel basi ramoso, ramis iterum capsuligeris. *Sporae* subpyriformes, angulatae, purpureae, numerosissimae, e placenta centrali, elevata, filis articulatis composita egredientes, glomerulum densum formantes. *Color* purpureo-roseus, madefactae in album transiens. *Substantia* membranacea, subcartilaginea. *Structura*: frons ex axi centrali filiformi stratisque tribus diversis composita. Stratum pericentrale annuliforme, e serie simplici cellularum subrotundatarum efformatum; strati intermedii cellulae magnae, parenchymaticae, inordinatae, corticalis minutae, angustae, uniseriatae.

Species pulcherrima, a cl. Harvey nuper cum *Plocamio* conjuncta, sed injuste. Genus *Thamnophorae* cum *Plocamio* magnam quidem similitudinem demonstrat, sed illi non accensendum est, cum structura interna longe differat.

DELESSERIA Lamourx. Endl. gen. suppl. III.
n. 122/87. Delesseria et Hypoglossum Kütz.
phycol. general.

1. **Delesseria spathulata** Sond. pumila, fronde sub-
stipitata lineari-spathulata obtusa vel subemarginata inte-
gerrima e costa prolifera. Sond. l. c.

Ad litus Novae Hollandiae occidentale. Herb. Preiss. No. 2616.

Frons pusilla, caespitosa, pollicaris vel minor, in Fucaceis aliisque algis majoribus parasitica, spathulata, apice 1½ lin. lata, striis transversalibus pellucidis notata, margine integerrima, subundulata, hinc inde e costa media tenuissima proliferationes paucas, oblongas spathulatasve frondi conformes emittens. *Fructificatio* ignota. *Color* amoene roseus. *Substantia* tenuissime membranacea. *Structura interna* Delesseriae alatae.

Affinis *Delesseriae crispae* Zanard. quae fronde magis elongata, angustiore, crispata differt.

CRYPTOPLEURA Kütz. phycol. gen. p. 444.

1. **Cryptopleura minor** Sond. fronde tenuissima lineari
dichotoma integerrima, segmentis ultimis abbreviatis obtu-
sis, soris fructiferis terminalibus rotundatis. Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2617.

Frons tenuis, venis aliquot tenuissimis, longitudinalibus, subramosis per-
cursa, 1-1½-pollicaris, semilineam lata, in *Lenormandia spectabile* *Chon-*
driisque parasitica, *Cryptopleurae laceratae* simillima. *Rami* divaricato-
patentes, supremi saepe subirregulariter dichotomi, ultimi obtusi. *Sori* fructi-
feri in apice ramulorum, orbiculares, *Sphaerosporae* numerosae, sphaericae,
nucleo triangulatum quadridiviso. *Color* amoene roseus. *Substantia* et
textura omnino *Cryptopleurae laceratae*.

SARCOMENIA Sond. in Mohl et Schlechtend:
bot. Zeit. 1845. p. 56.

Frons plana carnosae submembranacea e disco prolifera,
segmentis stipitatis subcostatis. *Fructus* per discum frondis
sparsi, 1) *Keramidia* globosa subpedicellata sporas angulatas
subpyriformes includentia, 2) receptacula oblonga vel lanceo-
lata pedicellata sphaerosporas biseriatas foventia.

Alga Australasiaca, marina, sanguinea.

1. **Sarcomenia delesserioides** Sond. l. c.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. Herb. Preiss. No. 2618.

Spithamea vel ultra. *Radix* in nostris speciminibus deest. *Frons* pri-
maria 3-4 poll. longa, 4 lin. lata, basi angustata, integerrima, costa media
tenui, non prominente percursa, obsolete reticulata, hinc inde e disco emit-
tens proliferationes magis minusve elongatas, frondi conformes, iterum proli-
feras. *Receptacula* in disco frondis sparsa, interdum aggregata, minuta,

lanceolata, pedicello brevissimo insidentia, serie duplici, rarissime simplici *sphaerosporas* sphaericas, nucleo triangulatim quadridiviso praeditas, includentia. *Coccidia* (in diversa stirpe) subsphaerica, in pedicellum brevissimum attenuata, glomerulum sporarum oblongarum foventia. *Color* sanguineus, siccatae roseo-sanguineus. *Substantia* subgelatinosa, exsiccatae tenax. *Chartae* adhaeret. *Structura* cellulosa, e duplici strato componitur, cellulis corticalibus uniseriatis, angustis, sublinearibus, interioribus majusculis, parenchymatis.

A *Delesseria* dignoscitur hoc genus non tantum substantia subgelatinosa, verum etiam fructu singulari.

ADDITAMENTA
ET
EMENDATIONES.

LEGUMINOSAE.

(Auctore C. F. MEISNER.)

MIMOSEAE.

A C A C I A Neck.

I. *Aphyllae*. Benth.

1. **Acacia restiacea** *Benth.* β *scoparia* Meisn. in *Lehm. Plant. Preiss.* Vol. I. pag. 3.

In colonia ad fl. Cygnor. l. Drummond. coll. II. No. 143. *)

II. *Alatae*. Benth.

5. **Acacia stenoptera** *Benth.* Meisn. l. c. pag. 5.

In colonia ad fl. Cygnor. l. Drummond. coll. II. No. 145. 146. — et Gilbert sine No.

- 5/1. **Acacia trigonophylla** *Meisn.* glabra, ramis trialatis, stipulis subnullis; phyllodiis patentibus, linearibus, recurvo-falcatis, trifariam decurrentibus, rigidis, pungenti-acutis, compresso-triquetris, angulis nerviformibus scabriusculis, faciebus lateralibus uninerviis, superiore duplo angustiore enervia supra basin glandulifera; pedunculis axillaribus, solitariis, monocephalis, deflexis, capituli multiflori diametro vix longioribus, phyllodio dimidio v. pluries brevioribus.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 144.

Primo vultu simillima *A. stenopterae*, sed characteribus indicatis, praecipue caule trialato, stipulis obsoletis, phyllodiis triquetris, et insuper corolla

*) Specimina a Drummondio et Gilbert lecta omnia nobis subpeditavit Herb. amicissimi Shuttleworth.

dimidio minore laevi (nec nervoso-striata) facile distinguenda. — Ab *A. triptera* Benth. abhorret jam phyllodiis utrinque uninerviis (nec striato-multinerviis) glanduligeris et capitulis globosis (nec spicis cylindricis). Reliquae ejusdem sectionis species (*A. alata*, *diptera*, *dolabriformis* et *incurva*) magis adhuc recedunt phyllodiorum forma, capitulis racemosis v. sessilibus, caet.

8. **Acacia extensa** Lindl. Meisn. l. c. p. 6.

Prope flum. Harvey m. Nov. 1842. florentem legit Gilbert.

III. *Armatae*. Benth.

9. **Acacia teretifolia** Benth. Meisn. l. c. p. 6.

In colonia ad fluv. Cygnor. l. Drummond. coll. II. No. 140.

10. **Acacia laricina** Meisn. l. c. p. 6.

Drummond. coll. II. No. 101.

Rami leviter angulato-striati. *Phyllodia* usque ad pollicem longa. *Pedunculi* floriferi 8-10 lin. longi.

12. **Acacia nervosa** DC. Meisn. l. c. p. 7.

Fielding Sert. pl. t. 4. Drummond. n. 290. fide Fielding (298. in Hb. Shuttl.).

12/1. **Acacia congesta** Benth. ramulis teretibus, puberulis, saepe spinescentibus; stipulis brevissimis, rigide spinescentibus; phyllodiis inaequaliter ovato-oblongis, undulatis, glabris, penniveniis, nervo in mucronulum brevissimum obliquum excurrente; pedunculis phyllodiis subbrevioribus, ad nodos congestis, capitulis dense multifloris, calyce dimidiam corollam subaequante. — Benth. in Hook. Lond. Journ. l. p. 327. n. 18. Meisn. l. c. l. p. 6. in nota.

In colonia ad fl. Cygnor. legit Drummond. coll. II. No. 293 et No. 163. (ex parte, — alia specim. ad *A. erinaceam* pertinent).

Ramuli breves, rigidi, divaricati. *Phyllodia* fere *A. armatae*, sed proportione latiora, crassiora. *Stipulae* vix semilineae longiores. *Flores* fere *A. armatae*. *Legumen* lineare, valde arcuatum, sesquipollicare, 2-3 lin. latum, 2-5-spermum, inter semina paulo contractum, submarginatum, suturis obsoletis, valvis convexis enerviis pallidis. *).

16. **Acacia urophylla** Benth. Meisn. l. c. p. 8.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 282! — Synon.: *A. smilacifolia* Fielding Sert. pl. t. 3! (ex cit. No. Drummond.)

IV. *Triangulares*. Benth.

18/1. **Acacia scalpelliformis** Meisn. ramis sulcatis, pubescentibus; stipulis spinescenti-setaceis, patentibus, rectis; phyllodiis lanceolato-triangularibus, infra medium cuneatis, glabris, binerviis, penniveniis, nervo margini inferiori subarcuato approximato in mucronem rectum pungentem ex-

*. Inter *Acacias* Drummondianas sub n. 162. exstat species verisimiliter nova, sed e specim. fere defloratis haud rite definienda, proxima *A. auronitenti* Benth. l. c. p. 326. n. 15., sed discrepans phyllodiis scabris, obtusis, pedunculis pubescentibus phyllodia demum superantibus.

currente, altero parum divergente extra medium evanescente, marginibus tenuiter nerviformibus, superioris angulo glandula urceolari instructo; pedunculis axillaribus solitariis geminisve, indivisis, phyllodio dimidio brevioribus, glabris; legumine lineari, submoniliformi, compresso, marginato, utrinque acuminato, glabro.

In colonia ad flum. Cygnorum legit Drummond. coll. II. No. 161.

Rami graciles, subsimplices, nervoso-striati. *Stipulae* 1-2 lin. longae, pungentes, persistentes. *Phyllodia* semipatentia, 9-15 lin. longa, 3 lin. lata, nervis utrinque acute prominulis, venis tenuibus, margine inferiore leviter arcuato, superiore infra medium in angulum glanduliferum producto. *Flores* non suppetunt. *Legumen* phyllodio paulo longius, 1½ lin. latum, 3-4-sper-mum, inter semina plerumque constrictum, saepe tortum. — *Species* ab affi-nibus bene distincta phyllodiorum forma et magnitudine, quibus accedit ad *A. cultriformem* Cunn. (Hook. ic. t. 170.) sed huic phyllodia 1-nervia sub-mutica et pedunculi elongati racemoso-polycephali.

18/2. **Acacia biflora** *R.Br.* ramulis pubescentibus, rarius glabratis, vix angulatis; stipulis plerisque spinescentibus; phyllodiis triangularibus, nervo margini inferiori approxi-mato in spinulam excurrente, lateralibus obscuris v. nullis, margine superiore angulo valde prominente glandulifero; pedunculis brevibus, capitulis bifloris, alabastro acuminato. — Benth. in Hook. Lond. Journ. 1. p. 331. n. 29. Wendl. diss. p. 10. t. 2.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 160.

Phyllodia pleraque 3 lin. longa, 2 lin. lata, rarius majora. *Legumen* anguste lineare, sesquipollicare, 1½ lin. latum, marginatum, valvis coriaceis glabris.

19. **Acacia divergens** *Benth.* Meisn. l. c. I. p. 9.

„South Islands“, Gilbert, sine No. — Varietatem ramis glabris in Colonia ad fluv. Cygnor. legit Drummond. coll. II. No. 159.

23. **Acacia bidentata** *Benth.* β **pubescens**, Meisn. l. c. p. 10.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 158.

V. Pungentes. Benth.

26/1. **Acacia striatula** *Benth.* ramulis leviter angulatis, puberulis; phyllodiis divaricatis v. recurvis, breviter li-neari-subulatis, subcompressis, rigidis, acuminato-pungenti-bus, striato-plurinerviis; pedunculis abbreviatis, capitulis parvis multifloris; sepalis liberis, tenuissimis apice spha-celato-spathulatis. — Benth. l. c. p. 336. n. 47.

Perth, Swan River, Gilbert, No. 51.

Habitu ad *A. Brownii*, phyllodiorum nervatione ad *A. colletioidem* accedit. A posteriore differt phyllodiis dimidio minoribus, tenuioribus, ple-risque recurvis. Flores *A. spha-celatae*.

27. **Acacia Benthamii** Meisn. l. c. pag. 11.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 139.

28. **Acacia sessilis** Benth. Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 301.

29/1. **Acacia ulicina** Meisn. glaberrima, ramis teretibus sulcatis, apice spinescentibus, junioribus glaucis, axillis ramulum sterilem brevem spiniformem patentissimum subarcuatum sulcatum gerentibus, stipulis setaceis, deciduis; phyllodiis subtetragono-filiformibus, obtusis, oblique mucronulatis, spinam axillarem subaequantibus, deciduis; pedunculis axillaribus, solitariis, monocephalis, capitulum subaequantibus, spina pluries brevioribus.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 147.

Accedit ad *A. sphacelata* Benth. et *asparagoidea* Cunn., sed jam glabritie, ramis sterilibus ex omnibus fere axillis nascentibus constanter spinescentibus et phyllodiis haud pungentibus bene distincta. — *Rami* rigidi, fertiles semierecti; steriles (s. spinae axillares) patentissimi, 3-6 v. raro 9 lin. longi, recti v. levissime recurvo-arcuati, apice spicelato pungentes, plerique hinc inde cicatricula minuta quasi denticulati v. folio uno alterove minuti, omnes quasi nervis decurrentibus viridibus subangulati, sulcis juniorum albido-glaucis. *Phyllodia* 3-6 lin. longa, angustissime linearia, margine subrevoluto incrassato nervoque subtus prominulo obtuse 3-4-gona, mucronulo exiguo innocuo. *Pedunculi* 2 lin. longi. *Alabastra* obtusa. *Calyx* ultra medium 5-fidus, dimidiam corollam aequans, lobis obtusis ciliolatis haud sphacelatis. *Corollae* lobi acutiusculi. *Legumen* haud suppetit.

VI. *Calamiformes*. Benth.31. **Acacia Hookeri** Meisn. l. c. p. 12.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 141.

VII. *Brunioideae*. Benth.32/1. **Acacia ericaefolia** Benth. ramulis teretibus, pilosis; stipulis obsoletis; phyllodiis confertis, sparsis, subulatis, teretibus v. margine revoluto compressis, obtusis, laxe pilosis v. glabratis; pedunculis phyllodio sublongioribus, capitulis parvis multifloris; sepalis liberis, anguste spathulatis. — Benth. in Hook. Lond. Journ. l. p. 345. n. 75.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 151.

Phyllodia 3-5 lin. longa. *Pedunculi* graciles, laeves. *Capitula* multo minora quam *A. bruniadis*.

VIII. *Uninerviae*. Benth.32/2. **Acacia glaucifolia** Baumann. Meisn. l. c. l. p. 14.
in nota.

Vidimus in herb. Lehmann. specimen, quod in Australia occidentali lectum dicitur, cum planta nostra culta perfecte congruum. *Racemi* usque ad 2 poll. longi, 10-15-cephali.

35. **Acacia myrtifolia** Willd. Meisn. l. c. p. 14.

Variet. **major**, foliis majoribus magis falcatis.

In rupestribus promontorii Cape Riche. Herb. Preiss. No. 2641.

40. **Acacia leiophylla** Benth. Meisn. l. c. p. 15.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 142.

43. **Acacia crassiuscula** Wendl. Meisn. l. c. p. 16.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 98.

43/1. **Acacia erinacea** Benth. l. c. p. 360. n. 128.

Swan River, Drummond. No. 163. (ex parte, — specimina quaedam ad *A. congestam* referenda, v. supra n. 12/1.)

Phyllodia fere omnia lanceolato-oblonga (vix unquam obovata) pleraque acutiuscula, pedunculi ipsis aequales v. sublongiores, 4-6 lin. longi. Caet. cum diagnosi l. c. bene conveniunt.

45/1. **Acacia ligustrina** Meisn. ramulis angulatis; stipulis subnullis; phyllodiis lanceolatis, rectis v. recurvo-subfalcatis, utrinque aequaliter attenuatis, planis, laevibus, junioribus ramulisque minutissime puberulis, mucronulo sphacelato obliquo, nervo centrali, venis obsoletis, marginibus obsolete nerviformibus, superiore remote minuteque 2-3-glandulifero; pedunculis axillaribus, geminis, monocephalis, capitulum aequantibus, phyllodio sextuplo brevioribus.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 150.

Valde accedere videtur ad *A. ligulatum* Cunn. (Benth. l. c. p. 362. n. 137.) sed diversa phyllodiis utrinque aequaliter attenuatis (plerumque acutis, rarius subobtusis) semper glanduliferis. Legumen non vidimus. — *Ramuli* acute triquetri v. subancipites, apice obsolete tomentoso-canescens. *Phyllodia* 9-16 lin. longa, 2-3 lin. lata, margine superiore plerumque magis arcuato glandulis 2-3 minutis subaequidistantibus (infima 3-5 lin. a basi remota) munito, mucronulo minuto nigricante vix pungente margini inferiori approximato subrecurvo, nervo medio conspicuo quamvis parum prominulo, venis raris obsoletis, pube minutissima adpressa fugacissima. *Pedunculi* 2-2½ lin. longi, glabri. *Capitula* aurea, *Pisi* mole. *Alabastra* obtusa. *Calycis* corollaeque lobi quinque lineari-spathulati, corollae acuti, calycis dimidio brevioris obtusi.

X. *Juliferae*. Benth.

50. **Acacia ephedroides** Benth. Meisn. l. c. p. 18.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 149.

52/1. **Acacia stereophylla** Meisn. glabra, ramis teretibus: phyllodiis crassis, rigidis, linearibus, rectis v. subfalcatis, tenerrime multinerviis, utrinque parum attenuatis, apice acuto sphacelatis, basi crassis, marginibus obtusis; spicis axillaribus, geminis, subsessilibus, cylindricis, brevibus, densifloris, patulis deflexisve; sepalis liberis, spathulatis.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 100.

Proxima *A. doratoxylo* Cunn. (cui phyllodiorum nervatione omnino convenit) et *A. acuminatae* Benth., ab utraque differt phyllodiis crasse oriaceis, rigidissimis, rectis v. vix ac ne vix arcuatis, brevioribus, 3-5 poll.

(in *A. doratox.* 8-12 poll.) longis, 2 lin. latis v. plerumque paulo angustioribus, basin versus modice attenuatis, ad insertionem crassis croceis, apice sphacelato recto inermi acutatis (nec attenuatis uncinato-recurvis) pedunculis semper monostachyis vix 1-1½ lin. longis, tomentosus, spicis brevioribus, 5-6 lin. longis (in illa subpollicaribus) — a posteriore, praeter eorundem characterum complures, etiam calyce glabro. — *Rami* graciles, laeves, laxe foliosi, novelli parce puberuli, juniorum epidermide pallide cinerea (nec glauco-pruinosa, ut saepius in *A. doratox.*, v. g. Drumm. n. 99., occurrit). *Phyllodia* plana, flavo-viridia, nervis tenerrimis dense lineata, nervo medio et utrinque uno alterove laterali saepe paulo magis conspicuis. *Spicae* aureae.

54/1. **Acacia neurocarpa** *Cunn.* Hook. Icon. tab. 168. Benth. l. c. pag. 381. no. 201.

β glabrata

In rupestribus promontorii Cape Riche et montis Baldhead Nov. 1840. cum fl. et fr. Herb. Preiss. No. 2642.

Phyllodia 4-6 poll. longa, 1-3 poll. lata, v. inferiora 8-9 poll. longa, 4-5 poll. lata. Benth. l. c.

XIII. Pulchellae. Benth.

55. **Acacia nigricans** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 20. *Diagnosis emendanda:*

inermis, glabra, ramulis acute angulatis; stipulis lineari-subulatis, diu persistentibus; foliis unijugis, petiolo communi pinnis vix dimidio brevioribus, apice glandula cupulari elevata instructo ultra pinnas in processum subulatum brevem crassiusculum producto, partialibus eglandulosis; foliolis 4-7-jugis, oblongis, muticis, basi rotundatis obliquis, margine demum recurvis; pedunculis axillaribus, solitariis geminisve, monocephalis, petiolo communi duplo longioribus, capitulis multifloris; calycis dimidiam corollam subaequantis turbinati costati dentibus brevibus obtusiusculis subciliolatis; petalis oblongis acutiusculis, nervoso-subrugosis.

β? **subracemosa**, *Meisn.* capitulis hinc inde racemosis.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 157.

55 1. **Acacia Gilbertii** *Meisn.* inermis, glabra, ramis teretibus v. subangulatis, stipulis obsoletis; foliis unijugis, petiolo communi pinnis triplo brevioribus apice glandula scutelliformi depressa instructo submutico, partialibus eglandulosis; foliolis 4-6-jugis, oblongis, basi attenuata subaequalibus obliquisve, margine planis; pedunculis axillaribus geminis pluribusve, monocephalis, petiolo communi vix longioribus, in apice ramorum aphylo racemum formantibus, capitulis paucifloris; calyce cupulari, breviter acuteque dentato, nudo corollaque triplo longiore laevissimis enerviis, petalis ovalibus obtusis.

Swan River, „Vasse and Augusta road“, m. Dec. 1842. Gilbert, No. 50. „White blossomed Acacia.“

Simillima quidem *A. nigricanti*, at certe distincta. *Rami* graciles, laxi, minus conferte foliosi. *Stipulae* nullae nisi caducissimae (nusquam enim eas deprehendere licuit). *Pinnae* $1\frac{1}{2}$ -2-pollicares; petiolus communis plerumque 6-8 lin. (subinde vix 3 lin.) longus, mucrone terminali 1-2 lin. longo acutiusculo; foliola 4-7 lin. longa, 2-3 lin. lata, tenera, basi obscure binervia (quod in *A. nigricante* rarissime accidit). *Capitula* 3-8-flora, evoluta tamen dimidio majora quam *A. nigricantis* (cui 20-100-flora) singuliflores (ex Gilbert albi) fere duplo majores, corolla circ. 2 lin. longa, ex sicco purpurascenti-rufa. *Legumen* desideratur.

55/2. **Acacia biglandulosa** Meisn. inermis glabra; ramis teretibus, costato-lineatis, apice angulatis; stipulis lanceolato-linearibus, deciduis; foliis bijugis; petiolo communi pinnis multoties brevioribus, apice et infra jugum inferius glandula cupulari munito, processu herbaceo lineari brevi acuto terminato, partialibus eglandulosis; foliolis 15-30-jugis, oppositis, sessilibus, oblique ovato-oblongis, obtusis, basi subtruncatis, obsolete 1-2-nerviis rhachique subciliolatis; pedunculis axillaribus, monocephalis (?) aggregatis solitariisque, petiolo paulo longioribus, basi squamatis; calycis 5-partiti glabri corolla dimidio brevioris lobis spathulatis, obtusis, subciliolatis; legumine sessili, lanceolato, basi attenuato, compresso, crassiuscule marginato, bivalvi, glabro.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 97.

An varietas *A. pentadeniae* Lindl.? (Benth. in Hook. Lond. Journ. 1. p. 386. n. 218.) cui plurimis notis convenire videtur, sed *pinnae* constanter 2- (nec 3-5-)jugae, $1\frac{1}{2}$ -3-pollicares (frondi juniori *Asplenii Trichomanis viridisque* similes) petiolo communi cum rhachi 6-8 lin. longo, foliolis 2 lin. longis, 1 lin. latis, margine demum recurvis, junioribus invicem contiguis v. subimbricatis. *Capitula* jam deflorata paucos tantum flores superstites nobis praebuerunt. *Pedunculi* 8-10 lin. longi, ima basi bracteolis pluribus ovatis acutis rufis imbricato-squamati. *Legumen* circ. pollicare, 2 lin. latum, 2-4-spermum, inter semina nonnunquam leviter constrictum.

57. **Acacia strigosa** Link. Meisn. l. c. p. 20.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 153.

Forma α genuina.

57/1. **Acacia fagonioides** Benth. glabra v. puberula, spinis axillaribus ramulisve spinescentibus; pinnis unijugis solitariisve; foliolis 1-2-jugis, late obovatis, retusis, crassiusculis, glaucis; capitulis globosis, glabris. — Benth. in Hook. Lond. Journ. 1. p. 387. n. 223.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 154.

Spinae numerosae, fere semper gemmiferae. *Foliola* 1-2 lin. longa et saepe vix angustiora. *Pedunculi* tenues 3-4 lin. longi. *Capitula* 6-10-flora.

59. **Acacia denudata** Lehm. γ **spinosissima** Meisn. l. c. p. 21.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 156.

Forma spinis foliisque solito brevioribus, 2-3 lin. longis, glandula petiolarum plerumque nulla, foliolis obovato-oblongis obtusis.

63/1. **Acacia Candolleana** Meisn. inermis, ramulis angulatis puberulis; stipulis lineari-setaceis, deciduis; pinnis unijugis; petiolo communi crassiusculo, apice glandula sessili munito partialibus subeglandulosis dimidio brevioribus et cum iis cuspidate rigida innocua terminato; foliolis oblongis obovatisve, inaequilateris, acutiusculis obtusisve, crassiusculis, planis, glaucis, obscure 1-3-nerviis, glabris; spicis axillaribus, subsolitariis, folio longioribus, cylindricis, densifloris, nonnunquam ramosis, pedunculo tomentoso, calycis lobis ciliolatis, corolla laevi glabra.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 152.

Species insignis, pulchra, polystachya, ab *A. Drummondii*, cui inflorescentia convenit, notis indicatis, praecipue foliis, facile distinguenda. — *Rami* elongati, graciles, obtuse costato-angulati, pube minuto-adpressa subtomentosi, inferne demum subteretes et glabrescentes. *Stipulae* petiolum communem aequantes, 2 lin. longae, anguste lineares, subsetaceo-acuminatae, patulae, deciduae v. basi rigidula persistente. *Petiolus* communis et partiales subangulati, seta terminali 1-2 lin. longa crassiuscula subspinescente acuminati, glandula verrucaeformi subrotunda umbilicata pinnis et nonnunquam etiam inferiori foliolorum pari interposita: *foliola* 5-7 lin. longa, 3-3½ lin. lata, basi rotundata et valde obliqua, apice acutiuscula v. plerumque rotundata cum acumine brevissimo obtusiusculo mucronuliformi; nervo supra vix conspicuo, subtus visibili plus minus excentrico, plerumque ante apicem evanescente, accessoriis 1-2 interdum ad basin conspicuis. *Spicae* *A. Drummondii*; *alabastra* subglobosa, obtusissima: *calycis corollaeque* lobi ovati acutiusculi.

PAPILIONACEAE. *)

Tribus I. PODALYRIAE. Benth.

BRACHYSEMA R.Br.

2. **Brachysema latifolium** R.Br. Meisn. in Lehm. Plant. Preiss. Vol. I. pag. 24.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 86.

3. **Brachysema undulatum** R.Br. Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 87.

4. **Brachysema praemorsum** Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 13.

CRYPTOSEMA Meisn. n. gen.

Calyx ebracteolatus, subunilabiatus. lobis quinque angustis, acutis. inferioribus tribus elongatis, superioribus duobus bre-

*) Specimina Drummondiana et Gilbertiana benevole nobiscum communicavit cl. Shuttleworth.

vissimis abinvicem profunde distinctis. *Corolla* papilionacea, calyci prope basin inserta, unguibus longiusculis liberis; *vexillum* minutum, vix exsertum, lamina angusta in ipsius dorsum replicata; *alae carinaeque* rectiusculae, ovato-oblongae, obtusae, ecalcaratae subaequales. *Stamina* 10, libera, aequalia, glabra; *antherae* oblongae, versatiles. *Ovarium* sessile, vaginula brevissima truncata basi cinctum, villosum, uniloculare, 4-8 ovulatum; *stylus* filiformis, glaber; *stigma* simplex, acutum? *Legumen* *Frutex* foliis oppositis simplicibus indivisis, stipulis 2 membranaceis, capitulis terminalibus 4-floris involucri 4-phyllo primum clauso subgloboso cinctis, floribus sessilibus ebracteolatis.

Genus proxime affine *Brachysemati*, optime distinctum inflorescentia insigni, calyce admodum inaequali et corollae vexillo magis adhuc diminuto et egregie refracto.

Cryptosema pimeleoides Meisn.

In colonia ad fl. Cygnorum detexit Jacobus Drummond. coll. III. No. 100. (Herb. Shuttleworth!)

Frutex erectus, ramis gracilibus (sesquipedalibus) teretibus, laevibus, glabris, internodiis inferioribus saepe tripollicaribus, ramulis oppositis semipatentibus ad nodos apiceque compressis, novellis adpresse canescenti-pilosiusculis. *Folia* patentia, lanceolata, integerrima, utrinque obtusissima v. retusa, apice mucronulata, cum petiolo 1-2 lin. longo pilosiusculo 1-1½-pollicaria, 2-4 lin. lata, coriacea, laete viridia, margine leviter recurva saepiusque obsolete undulata, utrinque dense minuteque reticulato-venosa glabra (novella tantum cano-villosa) nervo medio supra impresso, subtus prominente apiceque in mucronulum innocuum plus minus recurvum deciduum excurrente, venis primariis laxis et parum conspicuis. *Stipulae* geminae, lineares, acutae, petiolo vix longiores, intus glabrae fuscae, caducae. *Capitula* ramum primum ramulosque breves terminantia, inter summum par foliorum subsessilia, solitaria v. rarius gemina ante involucri expansionem magnitudine *Avellanae* et ovato-subglobosa (juniora acutiuscula, subtetragona) demum illa *Knautiae arvensis* subaequantia. *Involucri* foliola quatuor, biserialiter per paria opposita et initio marginibus valvatim cohaerentia, deinde ad basin usque disjuncta, sessilia, herbacea, ovato-subrotunda, 4-5 lin. longa, hemisphaerico-convexa, intus glabra fusca, exteriora pube brevi densa canescenti-tomentosa demum patentia, interiora paulo angustiora et acutiora suberecta sericeo-villosiuscula. *Flores* constanter quatuor, ramuli apici abortivo brevissimo villosio circumpositi, singuli involucri foliolo oppositi! ebracteolati, 9 lin. longi. *Calyx* albido-sericeus, quasi unilabiatus (v. si mavis bilabiatus, labio superiore brevissimo dorso profunde fisso) tubo 3-4 lin. longo, supra fere ad basin usque fisso, lobis acutis, inferioribus tribus lineari-oblongis subaequalibus carinam subaequantibus, 5 lin. longis, basi fere lineam latis, superioribus duobus triangularibus acuminatis 1½ lin. longis labio inferiori altius quam inter se connatis. *Corolla* purpurea? glabra, unguibus linearibus planis calycis tubum aequantibus: *vexillum* calycis labio superiore vix longius, lamina elliptico-lanceolata acuminata (1½ lin. longa, ⅔ lin. lata), supra basin leviter complicato-constricta ibique in ipsius dorsum arcte replicata (forma accedens ad vexillum *Brachysematis praemorsis*, sed multo minor): *alae* ovato-oblongae, obtusae, carina paululum breviores, ecalcaratae sed basi leviter saccato-concavae: *carina* oblonga, obtusa, fere recta, petalis ultra medium liberis basi (alarum instar) subsaccatis. *Genitalia* aequilonga, calyce vix longiora. *Stamina* 10, libera, aequalia, cum petalis imo calyci inserta, carinam aequantia, glabra: filamenta filiformia, in-

ferne complanata, apice subulato-attenuata incurva, suprema (vexillo proxima) ima basi subgeniculata; antherae parvae, oblongae, versatiles, aequales, birimosae. *Ovarium* sessile, vaginula exigua truncata glabra basi cinctum, oblongum, villosum, intus glabrum, ovulis 1-8-plerumque 6? *Stylus* capillaris, glaber; *stigma* simplex, acutum? *Legumen* haud suppetit.

CALLISTACHYS Vent.

3. **Callistachys parviflora** *Benth.* Meisn. l. c. pag. 26.
Swan River, Drummond. coll. III. No. 135.

- 5/1. **Callistachys spathulata** *Meisn.* foliis exstipulatis, sparsis, subsessilibus, cuneato-spathulatis, margine recurvis, apice rotundato v. retuso plicato-recurvis submucronulatis, carinatis, subvenosis, utrinque puberulis, supra demum ramisque glabratis; racemis terminalibus, simplicibus, brevibus, laxiusculis.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 89.

Fere omnia (praecipue florum structura et color). *C. carinatae*, sed folia plerumque duplo majora, constanter apicem versus dilatata et margine subincrassato nerviformi recurva, minus carinata venosaque. Vix illius mera varietas.

OXYLOBIUM Andr.

1. **Oxylobium ovalifolium** *Meisn.* l. c. pag. 28.
Swan River, Drummond. coll. III. No. 83.
7. **Oxylobium parviflorum** *Benth.* Meisn. l. c. p. 31.
Swan River, Drummond. coll. III. No. 98.

ISOTROPIS Benth.

2. **Isotropis biloba** *Benth.* Meisn. l. c. p. 31.
Swan River, Drummond. coll. III. No. 89.

CHOROZEMA Smith.

1. **Chorozema cordatum** *Lindl.* Meisn. l. c. pag. 32.
Swan River, Drummond. coll. II. No. 91.
3. **Chorozema triangulare** *Lindl.* Meisn. l. c.
Swan River, Drummond. coll. II. No. 90.
- 3/1. **Chorozema ovatum** *Lindl.* caulibus debilibus, ascendentibus; foliis ovatis v. obovatis, acutis; pedunculis terminalibus, elongatis, nudis, trifloris; calycis laciniis acuminatis. — Lindley in Bot Reg. t. 1528.
Swan River, Drummond. coll. II. No. 125.
Folia pleraque obovata.

- 3/2. **Chorozema spectabile** Lindl. caule volubili, tereti; foliis oblongo-lanceolatis linearibusve, mucronulatis, subtus glabriusculis; racemis terminalibus axillaribusque, laxe multifloris; calycis labiis tubo longioribus, superiore breviter bifido, inferioris lobis lanceolatis acuminatis. — Lindley in Bot. Reg. 1841. misc. p. 37. no. 66. t. 45!

Swan River, Drummond. coll. II. No. 126.

Forma linearifolia.

8. **Chorozema Henchmanni** R.Br. Meisn. l. c. p. 34.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 93.

9. **Chorozema Baueri** Benth. Meisn. l. c.

Locis natal. adde: In planitie arenosa montis Currie, York, d. 15. Apr. 1840. fructiferum legit Preiss. No. 1059. — Swan River, Drummond. coll. II. No. 94.

Obs. *Chorozema Baueri* (fide specim. nostr. Preiss. et Drummond.) carina fere recta acuminata v. breviter rostrata ab *Euchorozemate* recedit et hoc eodem caractere, sicut et habitu, cum genere *Orthotropis* Benth. (in Lindley Swan River p. XVI. n. 70.) convenire videtur, quod ex descriptione saltem ab illa distinguere non possum. Quum vero eadem penitus carinae forma etiam in *Ch. Henchmanni* observetur, utraque species ad *Orthotropidem* referenda foret, immoque *O. pungens* a *Ch. Baueri* vix specie differre videtur, nisi foliis „lineari-lanceolatis marginatis“. — Caeterum existimo, *Orthotropidem* a *Chorozemate* generice separandam non esse, quia hujus species nonnullae (*Ch. costatum* Meisn. et *Ch. angustifolium* Benth.) carina acuta v. breviter quidem, sed tamen manifeste acuminata transitum ad *Orthotropidem* indicant ideoque *unicum*, ut videtur, signum diagnosticum inter utrumque genus tollunt. — *Chorozema costatum* nostrum plurimis notis quidem cum *Orthotropide* quadrat, sed differt tamen carina ovata (nec oblonga) saccata, brevissime v. obsolete acuminata et disco perigyno brevi.

- 9/1. **Chorozema** (Aciphyllum) **rhynchotropis** Meisn. foliis patentibus, rectis, lineari-acerosis, mucronulo recto pungentibus ramisque glabris, supra transverse venulosis. subtus bisulcis, axillis aphyllis; racemo terminali, brevi. paucifloro, pedicellis dimidio calyce subbrevioribus, calyce subsericeo-villosiusculo; carina oblonga, alas subaequante, rostro recto acuto ipsa dimidio brevior acuminata; stylo brevissimo, crasso, falcato, stigmatate capitato glabro.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 92.

A *Ch. Baueri*, cui habitu floribusque simillima, dignoscitur: ramis glabris; foliis brevioribus (non ultra 7 lin. longis) constanter rectis (nec arcuatis) nec apicem nec basin versus attenuatis, mucrone dimidio brevior ($\frac{1}{2}$ lin. longo) marginibus arctius ad nervum medium usque recurvis; axillis nunquam foliorum fasciculum ferentibus, summis tantum ramulos breves pubescentes emittentibus, et praecipue *corollae* carina dimidio longiore, rectiore, in rostrum purpurascens $1\frac{1}{2}$ -2 lin. longum (in illa dimidio brevius) attenuata. — An hae differentiae constantes?

- 9/2. **Chorozema** (Aphyllon?) **ericifolium** Meisn. suffruticosum, ramosissimum, ramis teretibus sulcatis glabris, ramulis apice spinescentibus, novellis subsericeo-puberulis; foliis sparsis v. passim oppositis verticillatisque, subsessilibus, exstipulatis, filiformi-linearibus, obtusis, muticis,

glabris, margine recurvis; racemis terminalibus, laxiusculis, interruptis, pedicellis subfasciculatis, brevissimis; calycis cano-pubescentis labio superiore rotundato emarginato.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 96.

Habitus *Jacksoniae* potius quam *Chorozematis*. *Rami* sulcati ramulique apice spinescentes. *Folia* haud abortientia, sed solito citius decidua, passim 3-4-verticillata, 3-4 lin. longa, 1½ lin. lata, semper obtusissima, mucosa, supra vix convexa, subtus marginibus revolutis leviter canaliculata, petiolo vix conspicuo. *Racemi* terminales 1-1½-pollicares, plerumque aphylli et internodiis 3-6 lin. longis interrupti. *Flores* 2-4 approximato-subfasciculati, rarius solitarii, ebracteolati, flavi, magnitudine et forma fere *Ch. ilicifolii*, pedicellis ½-1 lin. longis. *Carina* parva, obtusa, alis brevior. *Stylus* brevis, compressus, incurvus (omnino *Ch. daviesioidis*). *Ovarium* sessile, pilosum, 10-ovulatum. *Legumen*

GOMPHOLOBIUM Sm.

2. **Gompholobium amplexicaule** Meisn. l. c. p. 36.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 124.

4. **Gompholobium pedunculare** DC. Meisn. l. c.

β **volubile**, caulibus volubilibus.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 73.

Obs. *Folia* interdum palmatim quinesfoliolata. An igitur haec var. nostra conjungenda cum *G. polymorpho*, quod vix differt nisi foliolis majoribus, petiolo paulo longiore, stipulis magis setaceis et bracteolis a calyce remotioribus?

5. **Gompholobium tenue** Lindl. Meisn. l. c. p. 37.

Prope montem William, versus Vasse et Augusta, m. Nov. 1842. legit Gilbert, sine No.

6. **Gompholobium polymorphum** R.Br. Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 123. Gilbert sine No.

7. **Gompholobium burtonioides** Meisn. l. c. p. 37.

β **subacerosum** Meisn. l. c. p. 38.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 74.

Tota planta minus pubescens. *Folia* etiam inferiora saepe 5-foliolata, demum glabra. *Calyx* parce pilosiusculus.

8. **Gompholobium aristatum** Benth. Meisn. l. c.

Circa Freemantle l. Gilbert, No. 113.

9. **Gompholobium capitatum** Cunn. Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 129.

11. **Gompholobium viscidulum** Meisn. l. c. p. 29.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 75.

Carina apice rotundato minute denseque ciliolata.

12. **Gompholobium venustum** R.Br. Meisn. l. c. pag. 40.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 72.

BURTONIA R.Br.

3. **Burtonia villosa** Meisn. l. c. pag. 41.
Swan River, Drummond. coll. II. No. 138.
5. **Burtonia diosmaefolia** Benth. Meisn. l. c. pag. 42.
Swan River, Drummond. coll. II. No. 134.
Var. ramis magis sericeo-villosis.

LEPTOCYTISUS Meisn. n. gen.

Calyx ebracteolatus, quinquepartitus, laciniis subaequalibus lineari-subulatis. *Corollae* papilionaceae petalis brevissime unguiculatis; *vexillo* reliquis parum longiore ovato; *alis* *carinaque* aequalibus, oblongis, obtusis, rectiusculis, supra basin vix auriculatis. *Stamina* 10, libera, aequalia, glabra. *Ovarium* subsessile, sericeo-pubescent, 2-ovulatum. *Stylus* capillaris, incurvus, glaber, ovario longior, basi vix dilatatus; *stigma* acutiusculum. *Legumen* brevissime stipitatum, lanceolatum, acuminatum, compressum, suturis nerviformibus tenuiter marginatum, uniloculare, 2-spermum, intus glabrum. *Semina* estrophiolata. — *Fruticulus* tenellus, ramis elongatis filiformibus; foliis sparsis, exstipulatis, angustis, pedicellis terminalibus solitariis v. subcorymbosis, floribus parvis flavis.

Genus, ut olim jam suspicabamur, a *Burtonia*, cui praeter calycem, legumen et habitum diversissimum, plurimis notis convenit, separandum.

Leptocytisus tenellus Meisn.

Burtonia? *tenella* Meisn. in Lehm. Pl. Preiss. I. pag. 42.
(deleatur in diagnosi vox „glaberrima“.)

α **glaberrimus**, foliis ramisque subfiliformibus glaberrimis.

Herb. Preiss. No. 878. Swan River, Drummond. coll. II. No. 133.

β **puberulus**, ramis firmioribus foliisque novellis puberulis.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 94.

Folia in *β* pleraque longiora, 3-5 lin. longa, paulo latiora, carina acutiore, mucronulo obsoleto sphacelato caduco, demum obtusa. Caet. omn. ut in var. *α*.

JACKSONIA R.Br.

3. **Jacksonia Sternbergiana** Hüg. *β* *puberula* Meisn. l. c. pag. 43.
Swan River, Drummond. coll. II. No. 111.
4. **Jacksonia sericea** Benth. Meisn. l. c. p. 44.
Prope Perth, Gilbert No. 58.
5. **Jacksonia gracilis** Meisn. l. c.
Herb. Preiss. No. 1073.

6. **Jacksonia dumosa** Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 112 et coll. III. No. 80.

Specimina haec cum Preissianis sub n. 1069 varietatem sistunt ramis sterilibus tenuioribus insignem.

6/1. **Jacksonia fasciculata** Meisn. ramis validis, teretibus v. ad nodos apiceque subcompressis ramulisque dense sulcato-striatis, junioribus sericeo-puberulis; sterilibus spinulentibus, simplicibus (v. raro furcatis) patulis, leviter recurvo-falcatis, basi compressis; floribus ad basin spinarum fasciculatis, subsessilibus; calycis sericei tubo brevissimo, lobis oblongis acutiusculis, ovario stipitato.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 113.

Proxima *J. furcellatae* DC., quae (ex diagnosi) differt: ramis inermibus et floribus in racemo terminali pedicellatis. Habitu accedit ad *J. horridam*, sed abunde differt ramis tenuiter denseque sulcatis (nec angulatis), sterilibus itidem striatis et (basi excepta) teretibus (nec foliaceis uninerviis), duplo triplove brevioribus (3-4 lin. longis) vix unquam stricte rectis, squamula minuta sphacelata v. cicatrice villosula suffultis ibidemque flores 3-6 fasciculatos subsessiles (sive racemum sessilem, rhachi ad pulvinum contracta) proferentibus, floribus paulo minoribus (forma similibus) alabastris obtusis (nec acuminatis) et calyce magis argenteo-sericeo, tubo ovarii stipitem superante. — A reliquis speciebus omnibus nostra tam inflorescentia quam ramis sulcatis nec angulatis, sterilibus fere semper indivisis brevibus subarcuatisque facile distinguenda.

7. **Jacksonia spinosa** R.Br. Meisn. l. c. p. 45.

Loco natali adde: In solo subarenoso inter frutices planitiei cis flum. Gordon, d. 6. Nov. 1840. l. Preiss., „Suffrutex pedalis.“ — Swan River, Drummond. coll. III. No. 81.

8. **Jacksonia horrida** DC. Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 79.

9. **Jacksonia capitata** Benth. Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 88.

Specimina fere pedalia, radice parce ramosa, caulibus erectis, satis firmis (fere *J. restioidis*) apice novellisque albido-sericeis, capitulis 3-7-floris.

10/1. **Jacksonia racemosa** Meisn. ramis ramulisque teretibus, tenuiter striatis, sericeis, demum glabris, sterilibus subsimplicibus inermibus; racemo terminali, pedicellis solitariis calyce dimidio brevioribus medio bibracteolatis; calycis extus adpresse albido-sericei lobis breviter acuminatis, tubo quadruplo longioribus, patulis; ovarii villosi stipite calycis tubum subaequante; legumine oblongo, demum glabro mutico, valvis parum convexis.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 78.

A proxima *J. restioides* differt: ramis tenuioribus, floribus dimidio brevioribus, bracteolis pedicelli (1 lin. longi) exiguis linearibus adpressis florem haud attingentibus et calycis pube brevioris magisque adpressa. — *J. haakeoides*, ramis teretibus et inflorescentia ad nostram accedens, abhorret ramis sterilibus pluries divisis, caet. — *J. sericea* et *dumosa* differunt ramis angulatis, inflorescentia, caet. — *Fruticulus ramosissimus* (vidimus ramos subpedales) ramis erectis v. adscendentibus, strictiusculis, tamen debilibus,

sterilibus acutis sed non pungentibus. *Racemi* subpollicares, erecti, 5-8-flori; flores 1-2 lin. dissiti, erecti, bractea squamiformi ovata fusca dimidium pedicellum aequante suffulti. Vexillum citrinum, alae et carina purpurea.

DAVIESIA Sm.

1. **Daviesia juncea** Sm. Meisn. l. c. p. 47.
Swan River, Drummond. coll. II. sine No.
2. **Daviesia divaricata** Benth. Meisn. l. c.
Swan River, Drummond. coll. II. sine No.
- 3/1. **Daviesia Benthamii** Meisn. l. c. p. 48. in nota.
Swan River, Gilbert sine No.
- 3/2. **Daviesia chordophylla** Meisn. l. c.
Swan River, Drummond. No. 239 (ex parte) et 240.
4. **Daviesia colletioides** Cunn. Meisn. l. c.
Swan River, Drummond. coll. II. No. 104. Gilbert sine No.
6. **Daviesia physodes** Cunn. Meisn. l. c. p. 49.
Swan River, Drummond. coll. II. No. 105.
Forma gracilis, foliis omnibus subulatis.
- 13/1. **Daviesia? trigonophylla** Meisn. dense puberula, ramis alato-triquetris, inter alas teretibus subcostatis; foliis horizontalibus! patentibus, rigidissimis, triquetris, mucronato-pungentibus, utrinque laevibus enerviis, facie superiore ovali plana v. complicato-concava, dorsali alte carinata, carina in rami alam deorsum deliquescentem decurrente; floribus
Swan River, Drummond. coll. III. No. 77.
Ex habitu omnino *Daviesiae* generis esse videtur. Facie valde accedit ad *D. prionodem*, sed pubescentia et praecipue foliis *horizontalibus* enerviis bene distincta maximeque insignis. Tota superficies viridis (nec glauca) sub lente minute denseque punctata et obsolete vernicoso-nitidula (tactu tamen nequaquam glutinosa) et excepta foliorum pagina superiore pube minuta patente dense tecta. *Rami* validi, crassitie pennae anserinae, ramulis confertis adscendentibus iterum ramosis, alis $1\frac{1}{2}$ -2 lin. latis laevibus acie obtusiusculis cum foliorum carina continuis et in eorum mucronem excurrentibus. *Folia* trifariam alternatim disposita, 3-6 lin. dissita, facie superiore cum mucrone (1- $1\frac{1}{2}$ lin. longo, recto fusco pungente) 4-6 lin. longa, 2-3 lin. lata. *Flores fructusque* haud suppetunt, attamen de genere vix dubitandum.
14. **Daviesia quadrilatera** Benth. Meisn. l. c. p. 52
Swan River, Gilbert sine No.

SPHAEROLOBIUM Sm.

- 2/1. **Sphaerolobium macranthum** Meisn. ramis teretibus, leviter-sulcatis, caeterum laevibus; calycis tubo brevissimo; carina obovata, arcuata, obtusissima, alas subae-

quante; stylo filiformi, basi recto nudo, apice exserto et hinc breviter membranaceo-alato.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 115.

A *S. grandifloro* Benth., cui proxime accedit, differt: ramis distinctius sulcato-striatis, floribus (praecipue calycibus) paulo majoribus, calyce vix punctato, tubo lobis triplo brevior, labii superioris cuneati profundius bifidi (nec emarginati) lobis acuminatis, alis carinaque amplioribus vexillo subaequalibus, ovarii stipite brevior, stylo basi apiceque fere recto.

2/2. **Sphaerolobium scabriusculum** Meisn. ramis teretibus, leviter sulcatis, minute punctato-scabriusculis; calycis tubo labiis dimidio brevior; carina obovata, ampla, obtusissima, vexillo alisque longior; stylo complanato-filiformi, basi recto, apice exserto et hinc membrana angusta longe decurrente alato.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 114.

S. macrantho simillimum, sed notis indicatis facile dignoscendum. *Flores* immo majores (in genere maximi), calyx flavo-viridis, impunctatus, labio superiore latiusculo truncato breviter bifido, lobis obtusis, inferioris brevioris lobis angustis acuminatis. *Carina* 4 lin. longa! 2 lin. lata, pallide lutea, apice rotundata, calyce duplo longior, alis anguste obovato-oblongis vexilloque aurantiis longior; vexillum calyce alisque parum longius. *Ovarii* stipes calycis tubum vix superans.

3. **Sphaerolobium formicatum** Benth. Meisn. l. c. I. pag. 58.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 116.

5. **Sphaerolobium acuminatum** Benth. Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 117. — Circa „Wangan Hills et Australind“ m. Sept. 1842. legit Gilbert, sine No.

ROËA Hügel.

2. **Roëa nudiflora** Meisn. l. c. p. 59.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 82.

PHYLLOTA Benth.

Phyllota barbata Benth. Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 84, 85.

AOTUS Sm.

1. **Aotus gracillima** Meisn. l. c. Hook. in Bot. Mag. t. 4146.

3. **Aotus Preissii** Meisn. ramis pubescentibus, foliis sparsis oppositisque v. ternatim subverticillatis, linearibus, obtusiusculis, muticis, pilosis v. demum glabris, supra convexis, subtus canaliculatis, margine revolutis; pedicellis

axillaribus subsolitariis, brevissimis, squama obcordata concava decidua bracteatis, calycis laxo cano-pilosi labio superiore acute bifido.

a leiophylla, procumbens, ramis apice adscendentibus, foliis cito glabris laevibusque supra nitidis exsulcis, saepe tortis. *Aotus procumbens* Meisn. l. c. I. pag. 60.

Herb. Preiss. No. 845 et 882.

β dasyphylla, ramis erectis, patentim villosis, foliis rectis, diu pilosiusculis, secus margines punctato-scabriusculis.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 95.

Accedit ad *A. dillwynioidem*, sed huic folia semper glabra laevissima et bracteolae quaternae ovatae (nec obcordatae).

4. *Aotus? dillwynioides* Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 103.

Species, ut l. c. jam indigitavimus, in genere anomala, foliis margine involutis (*supra*, nec *subtus*, canaliculatis) et pedicellis bracteolatis cum *Dillwynia* potius quam *Aoto* conveniens, immo propter stylum brevem crassiusculum, si placet, in proprium genus separanda. Ex nostra tamen sententia neque *Dillwyniae* accensenda, propter semina estrophiolatae, quae majoris momenti credimus quam bracteolas, neque generice separanda, quum praeter stylum eandem floris structuram exhibeat ac *A. Preissii*, quae non obstantibus bracteolis (etiam in *A. intermedia* obviis) certe *Aoti* nec *Dillwyniae* species est. *)

7. *Aotus carinata* Meisn. foliis ternatim verticillatis, sessilibus, lanceolatis, complicatis, obtusiusculis, muticis, dorso acute carinatis, margine dense albo-villosis, junioribus ramulisque pilosis; floribus axillaribus, solitariis, sessilibus, minute bibracteolatis; calycis exigui membranacei glabriusculi dentibus brevibus acutis ciliatis, labio superiore breviter bifido, vexillo late ovato; stylo capillari, glabro; ovario sessili, obovato, compressissimo, puberulo.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 102.

Fruticulus elegans, accedens ad *A. passerinoidem*, sed notis indicatis abunde distinctus. — *Rami* graciles, teretes, inferne defoliati cicatricibus tuberculati et demum glabri, superne dense foliosi. *Folia* constanter terna, imbricatim subadpressa, demum patula, 3-5 lin. longa, 1½-2 lin. lata, basi obtusa, semper laevia et complicata, supra canaliculata et adpresse sericeo-pilosa, margine pilis albo-sericeis fere lineam longis dense barbata, dorso demum glabra, nervo medio acute prominulo carinaeformi. *Flores* fere *A. passerinoidis*, *calyce* tantum paulo minore et parcissime puberulo. *Stylus* lateralis, diu persistens.

EUTAXIA R.Br.

3. *Eutaxia epacridoides* Meisn. l. c. p. 64.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 128.

*) Inter plantas ad Port. Philipp. lectas recentius a cl. Latrobe missas constant: *Dillwynia filifolia* Endl. Nov. Stirp. Dec. 1. p. 15. n. 16. — et *D. peduncularis* Benth. in Ann. Wien. Mus. 2. p. 78. Walpers rept. 1. p. 572.

7. **Entaxia myrtifolia** R.Br. Meisn. l. c. p. 66.

β ? **angustifolia**, Meisn. laxa ramosa, ramis subfiliformibus elongatis; foliis remotiusculis, patulis, lineari-lanceolatis, pungenti-acutis, parce venosis, vix coriaceis, pedicellis calycem subaequantibus.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 110.

An species distincta? Praeter notas indicatas tamen et calycem paulo breviorum ab *E. myrtifolia* R.Br. genuina (α obovata nob. Herb. Preiss. No. 1019.) non distinguenda. Hujus specimina hortensia tam habitu quam calyce et pedicellis cum Drummondianis conveniunt foliaque ostendunt ex parte lineari-lanceolata, ex parte apice paulo dilatato iis varietatis α similia. *E. Baxteri* Benth. (ex Walpers Repert. I. p. 573.) forsan mere formam inter α et β mediam sistit; quae sub hoc nomine culta vidimus specimina, a planta Drummondii (n. 110.) solummodo recedunt foliis apicem versus latioribus, obovato-lanceolatis (nunquam obovatis).

GASTROLOBIUM R.Br.

1. **Gastrolobium bilobum** R.Br. Meisn. l. c. p. 66.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 137.

5. **Gastrolobium spinosum** Benth. Meisn. l. c. p. 68.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 130.

7/1. **Gastrolobium rotundifolium** Meisn. ramis glabris, novellis pedunculisque albido-lanuginosis; stipulis membranaceis, lanceolatis, acuminatis, persistentibus; foliis oppositis, subsessilibus, orbicularibus, passim late ovalibus obovatisque, pungenti-mucronatis, planis, integris, utrinque reticulatis glabris; racemis axillaribus terminalibusque, bracteatis, folio longioribus, demum laxiusculis; calyce subsessili, cano-pubescente, lobis subaequilongis acutiusculis, labii superioris bifidi vix latioribus; ovario subsessili, villosa.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 99.

Species distinctissima, exceptis racemis bracteatis (fere *G. villosi* Benth.) congenerum nulli similis. Fruticulus semipedalis, erectus, radice ramoso-fibrosa, caule a basi corymboso-ramoso, ramis subaequalibus rectis parce ramulosis. Stipulae rectae, 2-2½ lin. longae, basi ⅔ lin. latae, tenerae, fuscescentes, glabriusculae, nervo submarginali in acumen setaceum producto. Folia cum mucrone recto 1-5/4 lin. longo fusco pungente 9-12 lin. longa et plerumque vix angustiora, nonnunquam basi paulo attenuata v. apice subtruncata, reticulatione (*G. spathulati* et *spinosi*) in pagina superiore minus prominula. Racemi subsessiles, demum laxiusculi subbipollicares, juniores folium vix superantes densiflori; bractae oblongae, concavae, acutae (nec acuminatae, paulo latiores quam *G. villosi*) stramineae, glabriusculae, ciliatae, demum deciduae. Flores magnit. et forma fere *G. villosi*, sed pedicelli vix ½ lin. longi et alabastra obtusa (in illo breviter acuminata). Legumen nondum visum.

10/1. **Gastrolobium Callistachys** Meisn. stipulis obsoletis, foliis sparsis subverticillatis oppositisque, breve petiolatis, linearibus, basi attenuatis, apice rotundato v. emar-

ginato mucronulatis muticisve, utrinque reticulatis, supra glabris, subtus ramulisque sericeis demum glabris; racemis terminalibus, erectis, breve pedunculatis, multifloris, pedicellis calycem subaequantibus ebracteolatis; calycis subsericei labio superiore longiore truncato-bifido, inferioris lobis angustioribus; ovario stipitato, villosa.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 90.

Species pulchra, facie, praecipue inflorescentia et florum magnitudine, *Callistachyae* v. *Oxylobii* v. *Chorozematis* speciem simulans. — *Rami* subcorymboso-ramosi, teretes, inferne foliorum cicatricibus remote verruculosi, caeterum laeves, superne conferte foliosi. *Folia* sparsa, subinde opposita vel ternatim approximata, vix unquam vere verticillata, erecta, 1-1½-pollicaria, 1-1½ lin. lata, plus minus cuneata, mucronulo terminali exiguo innocuo v. nullo, nervo medio subtus conspicuo supra impresso sulciformi, venis transversis subreticulatis utrinque prominulis, margine plano v. levisime recurvo, petiolo manifesto ½-1 lin. longo stipulas spinuliformes adpressas superante. *Racemi* simplices, 10-20-flori; *pedunculus* folia vix superans, subangulatus, sericeus; *pedicelli* 3-6 lin. dissiti, 2-3 lin. longi, solitarii v. 2-3 approximati, semierecti; *bracteae* obsoletae v. fugacissimae; *flores* magnit. *Lupini* v. *Chorozematis varii*. *Calyx* campanulatus, dimidiam corollam aequans, basi paulo attenuatus, labiis tubum aequantibus, superioris lobis altius connatis, inferioris dimidio angustioribus, omnibus acutis. *Vexillum* aurantiacum, late ovato-subrotundum, emarginatum, alis concoloribus carinam purpurascens aequantibus parum longius. *Ovarium* stipiti calycis tubum aequanti (1½ lin. longo) insidens, parvulum, sericeo-villosum, biovulatum! *Stylus* falcato-filiformis, glaber, stigmatibus obtusis. *Legumen* ignotum.

11. *Gastrolobium Lehmanni* Meisn. l. c. p. 70.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 95.

Legumen sessile, 3 lin. longum, ovato-ellipticum, ventricosum, acuminatum, sordide cano-sericeum, stylo glabro compresso-filiformi falcato rostratum, 2-spermum, intus glabrum. *Semina* reniformia, strophiola parva.

11/1. *Gastrolobium polystachyum* Meisn. ramis pubescentibus, demum glabratis; stipulis setaceis, petiolo multo longioribus, deciduis; foliis oppositis, oblongis, utrinque rotundatis v. subtruncatis v. apice emarginatis v. passim breviter tridentatis, mucronulatis, margine subrecurvo obsolete crenulatis undulatisque, utrinque reticulatis, supra glabris, subtus cum pedunculis calycibusque adpresse incano-villosis; racemis axillaribus, subsessilibus, folia subaequantibus, dense multifloris, pedicellis calyce brevioribus; bracteis glabriusculis, ovato-lanceolatis, acutis, concavis, calycem superantibus, caducis.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 97.

A proximo *G. Lehmanni* differt: foliis plerumque paulo minoribus (sesquipollicaribus, 5-7 lin. latis) basi vix attenuatis, apice saepius emarginatis v. breviter 2-3-lobis, subtus magis reticulatis, stipulis racemisque longioribus, floribus dimidio minoribus et calyce vix sericeo. — A *G. villosa*, habitu foliisque valde simili, differt: foliis apicem versus haud angustioribus, petiolis racemis bracteis pedicellisque brevioribus, floribus dimidio minoribus, foliis subtus magis villosis et venarum reticulo teneriore.

11/2. **Gastrolobium stipulare** Meisn. ramis villosis-tomentosis; stipulis longissimis, setaceis, ciliatis, recurvopatulis; foliis verticillatis sparsisque, sessilibus, linearibus, mucronatis, margine recurvis, mox glabris, venis transversis utrinque conspicuis, nervo medio supra immerso subtus cum venis prominulo, interstitiis lacunaeformibus; floribus axillaribus, subsolitariis, brevissime pedicellatis; calyce sericeo, labii superioris bifidi lobis vix latioribus; legumine sessili, ovato, turgido, demum glabrato.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 93.

Species insignis, inflorescentia ad *G. Lehmanni* proxime accedens, stipulis ab omnibus distinctissima. — *Rami* simplices (sesquipedales) rectiusculi, teretes, lanugine brevi densa albida tomentosi, dense foliosi. *Stipulae* setiformes, 5-6 lin. longae! molles, fuscae, inferne complanatae et tenerrime ciliatae, apice capillares nudae, primo erectae, mox patulae, recurvo-arcuatae v. flexuosae. *Folia* 3-4 verticillata v. subverticillata, rarius sparsa, 1-1½-pollicaria, 1 lin. lata, basi attenuata, apice obtusiusculo cum mucrone recto pungente tenui fusco similineam longo, supra modice convexa sulco longitudinali levi percursa et transverse venosa, subtus secus costam mediam fortem inter venas transversas acute prominulas quasi biserialim foveolata v. lacunosa; novella utrinque pube tenerrima albida dense villosiuscula. *Flores* in media ramorum parte per spatium 2-5-pollicare axillares (ramo supra infraque sterili) quasi spicam conferte foliosam proliferam sistentes, racemulos axillares subsessiles brevissimos 3-1-floros formantes; pedicelli calyce duplo triplove breviores (vix 1 lin. longi) bractea squamaeformi cuneata setaceo-trifida fulti. *Calyx* pube adpressa cinerea subsericeus (fructifer paulo auctus) bilabiatis semiquinquefidus, labiis subaequilongis, lobis acutis, inferioribus lanceolatis, superioribus paulo altius connexis ovato-triangularibus. *Corolla* aurantiaca? *Ovarium* sessile, dense albo-villosum, biovulatum. *Stylus* compresso-filiformis, arcuatus, glaber, diu persistens, stigmatibus obtusis. *Legumen* magnit. *Pisi*, globoso-ovatum, acutum, demum glabrescens. *Semina* reniformia, strophiola parva.

12/1. **Gastrolobium hamulosum** Meisn. ramulis cano-tomentosis; stipulis minutis, setaceis, caducis; foliis ternis, sessilibus (parvis) oblongo-obovatis, apice rotundato setula recurva mucronatis, planis, utrinque grosse reticulatis glabris; racemis terminalibus, breve pedunculatis, laxe paucifloris; calycis cano-villosi pedicello pluries longioris lobis subaequilongis, breviter setaceo-acuminatis, superioribus duobus latioribus altius connatis, ovarii villosi stipite brevi glabro.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 106.

Affine *G. Brownii*, parvifolio et obovato, sed notis indicatis bene distinctum. — *Rami* teretes, corymboso-ramulosi, inferne glabri, superne albo-tomentosi, internodiis circ. semipollicaribus. *Stipulae* spinuliformes, vix ½-1 lin. longae, rectae, fugacissimae (non nisi in summitatibus reperiendae). *Folia* 2-3 lin. longa, 1-1½ lin. lata, subrecta v. demum patula, perfecte plana, venarum reticulo laxiusculo acute prominulo (fere *G. epacridoides* et *parvifolii*) mucrone setaceo sphacelato recurvo ½-⅔ lin. longo diu persistente. *Racemi* 3-5-flori, subumbelliformes, pedunculo folia subaequante, pedicellis vix lineam longis, bracteis lanceolatis fuscis calycem aequantibus fugacissimis. *Calyx* (alabastri minute apiculatus) pube satis densa albida subsericeo-villosiusculus, bilabiatis semiquinquefidus, magnit. *G. parvifolii*. *Corolla* *G. Brownii*. *Legumen* haud suppetit.

LATROBEA Meisn. n. gen.

Calyx minutus, membranaceus, cupularis, subaequaliter 5-dentatus, ebracteolatus. *Corolla* papilionacea, calyce multoties major, unguibus brevissimis; vexillum subrotundo-ovatum, alis parum longius; alae carinaque subaequales, oblongae, obtusae, vix incurvae, basi auriculatae. *Stamina* 10, imo calyci inserta, libera, glabra, filamentis filiformibus, subaequilongis, antheris oblongis dorso prope basin affixis aequalibus. *Ovarium* brevissime stipitatum, oblongum, pubescens, biovulatum. *Stylus* capillaris, incurvus, basi haud dilatatus, glaber; stigma acutum. *Legumen* sessile, ovato-oblongum, plano-compressum, acuminatum, uniloculare, 2-spermum, intus glabrum. *Semina* reniformia strophiolata. — *Fruticuli* ericoidei, foliis exstipulatis sparsis anguste linearibus inermibus, ramulorum infimis squamiformibus nanis ovatis acutis concavis fuscis, floribus terminalibus solitariis inter folia reliquis latiora subsessilibus ebracteolatis flavis.

Quas jam prius a *Pultenaea* generice separandas suspicabamur plantas nunc ut novum genus proponere audemus, quod nomine ornare liceat clarissimi *Latrobe*, coloniae ad Portum Philippi gubernatoris ejusque Florae Botanicis antea tanquam ignotae, strenui exploratoris.

1. **Latrobea Brunonis** Meisn.
Pultenaea Brunonis Benth. Meisn. l. c. p. 73.
2. **Latrobea genistoides** Meisn.
Pultenaea genistoides Meisn. l. c.

PULTENAEA Sm.

3. **Pultenaea aspalathoides** Meisn. l. c. p. 73.
Swan River, Drummond coll. III. No. 96.
Rami sesquipedales, graciles, subfiliformes, erecti, ramulis sparsis remotiusculis nec in corymbum terminalem (ut in specim. Preiss.) dense congestis.
4. **Pultenaea aciphylla** Benth. β **latifolia**, Meisn.
l. c. p. 74.
Swan River, Drumm. coll. II, No. 108.
Vexillum luteum, medio atropurpureum flabellato-venosum, carina atropurpurea.
5. **Pultenaea ochreatea** Meisn. l. c. p. 75.
Swan River, Drumm. coll. II, No. 107.
6. **Pultenaea ericaefolia** Benth. Meisn. l. c.
Stipulae minutae, setaceae, patulae, diu persistentes; folia exsiccatione corrugata, parce punctato-scabriuscula.
- 6/1. **Pultenaea Drummondii** Meisn. ramis glabris, novellis pubescentibus; stipulis parvis, scariosis, ovato-lan-

ceolatis, setaceo-acuminatis, adpressis, demum glaceris v. deciduis; foliis sparsis, brevissime petiolatis, linearibus, obtusis, muticis, margine revolutis, supra glabris denseque punctato-scabris, subtus adpresse pilosiusculis; capitulis terminalibus; bracteis imbricato-adpressis, calycem subaequantibus, scariosis, ciliatis, glabris, trifidis, lobis acuminatis, intermedio brevi; calycis bibracteolati puberuli labio superiore rotundato, brevissime bifido, inferioris trifidi lobis acutis ciliatis.

Swan River, Drummond coll. II. No. 127.

Proxime affinis *P. ericaefoliae*, sed facile distinguenda: stipulis adpressis, membranaceis, deciduis (nec fere ad basin usque setaceis, patulis et diu persistentibus) foliis paulo latioribus, punctis elevatis crebrioribus minoribusque asperulis, marginibus revolutis subtus haud contiguus; capitulis floribusque paulo minoribus basi angustatis (plus minus obconicis, nec subglobosis) bracteis tenerioribus nitidulis, lacinula intermedia lateralibus dimidio brevior et vix setacea; calycis bracteolis oblongis (nec setaceis) concavis, muticis, stramineis, glabris, ciliolatis; calycis lobis superioribus rotundatis, alte connatis, inferioribus lanceolatis muticis tenerrime ciliatis.

Obs. P. dentata Labill. Nov. Holl. t. 131. (Lam. ill. t. 950.) speciei nostrae nec non P. ericaefoliae et strobiliferae valde affinis, ex icone abhorret calyce aliisque notis. An tamen harum alterutra cum ea conjungenda?

7. ***Pultenaea strobilifera* Meisn. l. c. p. 75.**

Stipulae minutae, adpressae, membranaceae, setula decidua acuminatae; folia obsolete punctato scabriuscula, demum laevia.

9. ***Pultenaea tenuifolia* R.Br. Meisn. l. c. p. 76.**

Port Philipp, Latrobe. (Herb. Shuttleworth.)

10. ***Pultenaea pinifolia* Meisn. ramis pubescentibus, stipulis minutis, falcato-linearibus, patulis, summis longioribus; foliis subsessilibus, filiformi-linearibus, mucronatis, demum muticis, margine revolutis, parce pilosiusculis, demum glabris; corymbis terminalibus contractis, foliosis; calycis pedicello vix longioris puberuli campanulati semiquinquefidi lobis subaequalibus acutis, superioribus 2 altius connatis; legumine sessili, villosa, ovato, turgido, 2-spermo, intus pubescente.**

Swan River, Drummond coll. II. No. 109.

Rami subvirgati, superne dense foliosi, inferne nudiusculi cicatricibus denticulati. *Stipulae* membranaceae, fuscae, summae 2 lin. longae, inferiores dimidio breviores. *Folia* 15-22 lin. longa, vix $\frac{1}{2}$ lin. lata, parum rigida, mucronulo innocuo pallido cito deciduo. *Flores* in summis axillis valde approximatis solitarii (?) corymbum foliosum brevissimum 8-12-florum constituentes, folia haud superantes, pedicellis $1\frac{1}{2}$ -2 lin. longis. *Calyx* campanulatus, $2\frac{1}{2}$ lin. longus, bilabiatus semiquinquefidus, lobis triangulari-lanceolatis, superioribus paulo latioribus. *Corolla* non suppetit. *Legumen* calyce duplo longius, ventricoso-ovatum, breve mucronulatum, suturis acutiusculis, valvis valde convexis intus pube brevi albida satis dense pilosiusculis. *Semina* strophiolata. — Species foliis accedens ad *P. juniperinam*, stipulis ad *P. daphnoidem*, inflorescentia ad *P. racemulosam*, uncinatam aliasque.

MIRBELIA Sm.

1. **Mirbelia dilatata** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 76.

Prope Vasse legit Gilbert, No. 4.

- 1/2. **Mirbelia (Eumirbelia) pulchella** *Meisn.* ramulis angulatis, puberulis; foliis oppositis ternisque, subsessilibus, patentibus, linearibus, margine arcte revolutis, obtusis v. obsolete recurvo-mucronulatis, laeviusculis; floribus in summis axillis solitariis, saepe approximato-subcapitatis; calycis pedicello duplo longioris subsericei basi minute bibracteolati labio superiore breviter bifido, inferioris lobis tubo sublongioribus lanceolatis acutis; ovario glabro, 6-ovulato; legumine sessili, oblongo, subdidymo.

Swan River, Drumm. coll. II. No. 92.

Proxima *M. speciosae* *Sieb.*, cui ramis, pubescentia et inflorescentia penitus convenit, recedens tantum statura humili (semipedali) foliis multo brevioribus (3-4 lin. longis) obtusis, muticis v. mucronulo recurvo (nec unquam recto) praeditis, aveniis, supra (praecipue versus margines) parce minuteque punctato-scabriusculis (more *Aotorum*, *Dillwyniarum* et *Pultenaeorum* quarundam) rarius laevibus, bracteolis floribusque circ. $\frac{1}{3}$ minoribus et calycis subsericeo-canescens labio superiore breviter bifido. *Corolla* ex sicco pulchre cyanea; vexilli lamina ungue paulo brevior, subreniformis, emarginata (latior quam longa) alae oblongae, obtusae, carinam brevem incurvam subacuminato-acutiusculam superantes. *Ovarium* subsessile, glabrum, ovulis 6-8? *Stylus* brevis, subito inflexus, stigmatibus subcapitato.

Trib. II. LOTEAE DC.

HOVEA R.Br.

4. **Hovea Celsi** *Bonpl.* Meisn. l. c. p. 79.

Swan River, Drummond voll. III. No. 88.

Folia speciminum quorundam *omnia* lanceolata, aliorum *omnia* lineari-lanceolata.

BOSSIAEA Vent.

- 1/1. **Bossiaea rufa** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 81 in nota.

Ad *Scott River* legit Gilbert, No. 43.

6. **Bossiaea linophylla** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 83.

Swan River, Drummond coll. II, No. 121. — Prope Vasse, Gilbert, sine No.

- 6/1. **Bossiaea disticha** *Lindl.* ramis junioribus teretibus, foliis distichis, ovatis, obtusis, muticis, stipulis petiolo longioribus; floribus axillaribus, solitariis, pedicellis folio longioribus. *Lindley* in *Bot. Reg.* 1841, misc. p. 38, No. 67, t. 55!

Swan River, Drummond coll. II. No. 122.

Trib. IV. PHASEOLEAE DC.

KENNEDYA Vent.

4. **Kennedyia parviflora** Meisn. l. c. p. 91.

Ad „Gorge of the Murray“ m. Nov. 1842 legit Gilbert, sine No. Drummond No. 119, forma foliis paulo majoribus. Foliola hinc inde mucronulata, lateralia interdum breve petiolulata.

PHYSOLOBIUM Benth.

1/1. **Physolobium macrophyllum** Meisn. volubile? stipulis foliaceis, nervosis, late ovatis, breve acuminatis, in unam perfoliatam patentem connatis; foliolis late ovalibus subrotundisque, subaequalibus, mucronulatis, utrinque reticulato-venosis, subtus ramisque laxe pilosis; floribus in apice pedunculorum longissimorum, indivisorum, pilosorum ebracteatorum laxe racemosis, pedicellis subfasciculatis glabris calyce parum longioribus; calyce glabro, vix dimidiam corollam aequante, labio superiore obtuso breviter bifido, inferioris dentibus acutis tubo subbrevioribus; carina falcata, obtusa; legumine rostrato, glabro, dense nervoso-ruguloso.

Swan River, Drummond coll. II, No. 118.

A proximo *P. carinato* abunde differt: stipulis connatis in unam subrotundam (circ. pollicem latam) foliis pluries majoribus (20-28 lin. longis, petiolum aequantibus) haud retusis nec margine undulatis; pedunculis 6-8-pollicaribus, indivisis, apice v. fere a medio racemoso-multifloris (nec dichotomo-2-3-floris) pedicellis tantum 3-6 lin. longis, glabris; calycis dentibus tubo paulo brevioribus (nec longioribus) corollae carina apice haud geniculata, et legumine ovarioque glabris. — Flores fere omnino, tam forma quam magnitudine et colore, *Kennedyae parviflorae*, calycis labio superiore initio emarginato demum breviter bifido. Stigma simplex acutum. Legumen circ. 10 lin. longum, valde turgidum.

2. **Physolobium elatum** Hügg. Meisn. l. c. p. 92.

Swan River, Drumm. coll. II, No. 120? (specim. nostra imperfecta.)

Errores typographi.

- Pag. 5, lin. 9, pro 393 lege: 993.
 — 5, — 10, — 394 lege: 994.
 — 22, — 24 ab ima, pro 908 lege: 890.
 — 25, — 11, pro γ planifolia lege: planifolium.
 — 29, — 18 ab ima, post No. 827 adde. ex parte.
 — 29, — 24 ab ima, post No. 827 adde; ex parte.
 — 33, — 12, pro 1147 lege: 1047.
 — 34, — 19 ab ima, ad No. 1037 adde: et 1059.
 — 44, — 22, adde: Herb. Preiss. No. 1073.
 — 48, lin. 19, ad No. 1180 adde: ex parte.

- Pag. 48, in nota sub *D. chordophylla* adde: a Drummondio lecta.
 — 49, lin. 27, pro 1848 lege: 1140. 1124
 — 52, — 10, pro No. 1147^a lege: 1147.
 — 59, — 19, pro 2 pag. 33 lege: 1 pag. 33.
 — 61, — 4, pro *cordatae* lege: *cordifoliae*.
 — 61, — 8, pro *Dillwyniam* que lege: *Dillwyniamque*.
 — 66, — 7 ab ima, post No. 839 adde: et 832.
 — 74, — 12, — pro *mudio* lege: *medio*.
 — 81, — 6, pro 1940 lege: 1840.
 — 81, — penultima, pro *gerentia*, lege: *gerentes*.
 — 88, — 21, pro *dellorataa*, lege: *deflorata*.

Pag. 95 ad *Stylobasium lineare* adde synonym: *Macrostigma australe* Hook. Icon. tab. 412.

MYRTACEAE R.Br.

(Auctore J. C. SCHAUER.)

- Pag. 96, lin. 2 ab ima, loco quarum lege: *parum*.
 — 99, No. 7, ad *Verdicordiam Hügelii* adde: in glareolis sublimosis sylvae haud longe a catarracta ad caput fl. Cygnorum, m. Aug. 1839 *alabastrigera* Herb. Preiss. No. 350. — „*Folia fragrantia*.“
 — 103, lin. 22, adde: No. 2638.
 — 103, — 34, ante post, dele: ante.
 — 103, — 37, post *excavata flava*, adde: *terminato*.
 — 103, — 38, loco *medio*, lege: *media*.
 — 108, — 11, post *ligulata* pone :
 — 108, — 12, pro *adnatum*, lege: *adnatam*.
 — 108, — 26, post *imbricata* pone comma, dele vero comma post *lineari*.
 — 108, — 3 ab ima, loco *phyllos*, lege: *phylla*.
 — 109, — 3, post *triloculare*, adde ;
 — 109, — 19, loco *apiculata*, lege: *apiculato*.
 — 109, — 29, loco *exrescentia*, lege: *exarescentia*.
 — 112, — 6, loco *apicem*, lege: *spicam*.
 — 113, — 4, dele *) cum annotatione.
 — 113, — 32, loco *lateralibus*, lege: *lateribus*.
 — 114, — 31, post No. 150 ex parte, adde: et No. 159.
 — 115, — 34, post No. 163, adde: et No. 344.
 — 117, Nomen *Agonis hypericifoliae* Schauer mutetur in „*A. theaeformis*“ Sch. et deleatur synonymon *Leptosperm. hypericifolii* O. et D., quod ab Auctt. sine flore descriptum, nil nisi formam *L. rubricaulis* Lk. exhibet, uti nuperius in horto Regio Berolinensi autopsia plantae vivae didici.
 — 124, sub 3. Floribus capitatis, adde: *Corolla et filamentis lilacinis, (antheris luteis)*.
 — 125, No. 2 deleatur *Kunzeae micranthae* nomen cum descriptione ad specimen *alabastrigerum* exarata et supponantur haecce ante *Kunzeam recurvam*:

Kunzea micromera Schauer, glabra; foliis imbricatis coriaceis, cuneato-oblongis obovatisve, acutiusculis, margine cartilagineo superne scabro; capitulis apicalibus, globosis, multifloris, bractea obovata aucta bracteolisque spathulalis navicularibus, carinatis, scariosis, dorso infero cum axi languinosis; hypanthio obconico glabro brevioribus; germine 5-loculari.

In arenosis limosis ad vicum Guildford, m. Octobr. a. 1839 *alabastrigera*. Herb. Preiss. No. 277.

Fruticulus exilis, nunc pedalis magisque virgatus, nunc vix digitalis squarrosulus. *Ramuli* tenues, albidi; *innovationes* subtiliter pubescentes, mox glabrescentes. Folia parva, 1-2½ lin. longa, patula vel paullo recurva, utrinque subtus vero magis convexiuscula, viridia, nitidula. Hypanthium 1 lin. phylla calycis semilineam longa; haec ovato-triangularia, acutiuscula, inflexa, herbacea margine cartilagineo angustissimo denticulato. *Petala* orbicularia, subunguiculata calyce duplo longiora. *Stamina* corolla haud multo excedentia, stylo nonnihil superata.

Species *floribus capitatis lilacinis* secundum affinitatem hoc modo insequuntur: 1. *K. parviflora* Schauer; 2. *K. Preissiana* Schauer; 3. *K. villiceps* Schauer; 4. *K. micromera* Schauer; 5. *K. recurva* Schauer; 6. *K. praestans* Schauer; 7. *K. Schaueri* Lehm.; 8. *K. parvifolia* Schauer.

Pag. 126, ad *Kunzeam* propinquam adde synonym. *Melaleuca flavescens* Hort.!

ibidem adde ab *Kunzeam* vestitam synonym. *Melaleuca vestita* et *M. arachnoidea* Hort.! *Metrosideros ericifolia* Sm. in Rees Cycl. vol. 23. No. 16. DC. Prodr. III. p. 225.

- 134, No. 1, ad *Melaleucam spathulatam* adde: Herb. Preiss. No. 321.
- 135, No. 3, ad *Melaleucam seriatam* adde: Herb. Preiss. No. 308 fructif.
- 136, No. 6, ad *Melaleucam parvicipitem* adde: In arenosis inter frutices sylvae ad Iluv. Canning, m. Junio a. 1841 fructif. Herb. Preiss. No. 260. No. 310 et No. 326.
- 136, No. 7, ad *Melaleucam pentagonam* β *subulifoliam* adde: Herb. Preiss. No. 318. specimina sterilia.
- 136, Nota ad *Melaleucam trichophyllum* in diagnosi post „foliis inermibus“ adde: mucronatisve subpungentibus. — In regionibus interioribus nec non ad fluv. Cygnorum. Herb. Preiss. No. 2637.
- 139, No. 13, ad *Melaleucam tuberculatam* adde: Herb. Preiss. No. 323.
- 142, No. 22, ad *Melaleucam polygaloidem* adde: In solo sublimoso prope praedium rusticum cl. Whitfield, m. Martio 1840, fructif. Herb. Preiss. No. 328.
- 147, No. 1, ad *Conothamnium trinervem* adde: Herb. Preiss. No. 2639.
- 148, No. 1, ad *Beaufortiam decussatam* adde: Herb. Preiss. No. 797.
- 150, No. 9, *Beaufortia inops*, ut speciminibus fructiferis nuperius misis edocti sumus, ad *Regeliae* genus pertinet. Referatur itaque ad pag. 148 sub nomine *Regeliae inopsis* Schauer et addatur descriptioni:

Folia novella scabra, adulta saepius magis laevigata, viridia. Hypanthium pubescens aut villosum. *Fructus* circa ramos conglobati, *Pisi* magnitudine et fere forma, basi sibimet arcte appressi itaque angulati; hypanthium vertice truncatum oraque edentulo pervium, helvolum, floccato-hispidulum demumque vero superne saltem glabratum; capsula in carpodia tria subtrisperma superne loculicida dehiscens.

Pag. 151, lin. II adde: Herb. Preiss. No. 256.

HALOROGAEAE R.Br.

(Auctore NEES AB ESENBECK.)

Pag. 158 ante *Goniocarpum* inseratur:

MEIONECTES Rob. Br. in Flind. Voy. II. p. 550. Opp. ed. N. ab E. I. p. 43 et 44. Endl. Gen. Suppl. II. p. 93. No. 6137/1. Meisn. Gen. p. 122. (87, 355.) Walp. Rep. II. p. 89.

1. **Meionectes Preissii** N. ab E. foliis pinnatifidis planis, laciniis lineari-lanceolatis calloso-mucronatis.

In arenosis ad marginem lacus Monger'slake (Perth) d. 9. Febr. a. 1839. Herb. Preiss. No. 2385.

Herba facie *Anthemidis vulgaris*.

A *Mejonecte Brownii* J. D. Hook. differt statura majore, foliis planis latioribus, flore fructuque majore. *Folia* circumscriptione spathulata, basi angusta et integra, apicem versus, ubi expanduntur, profunde pinnatifida, laciniis extrorsum bi-trifidis, lacinulis mucrone albo terminatis. Folia summa magis cuneiformia minusque incisa. *Flores* in angulis foliorum superiorum 3-4, subsessiles, reflexi, lin. 1. longi. *Calycis* lacinae herbaceae ovatae, aliis floribus, qui mihi steriles esse videbantur, minores acutae et integerrimae, aliis autem iisque fertilibus longiores et plus minus dentatae inaequales. *Petala* 2, calyce longiora, cucullata, flava. *Stamina* 3-4 filamentis capillaribus. *Stigmata* 2. acuta. *Fructus* e calycis laciniis persistentibus convolutisque rostratus, compresso-tetragonus, subrugosus, bilocularis, dispermus.

Adnot. *Mejonectes Brownii* est describenda:

M. foliis pinnatifidis laciniis teretibus integris.

GONIOCARPAEI Koen.

Pag. 158, ante Sect. II. *Pterogynes* inseratur:

Sect. 1. APODOGYNUS. DC.

1^a. **Goniocarpus pithyoides** N. ab E. foliis erectis confertis alternis lineari-filiformibus subteretibus carnosis setuloso-ciliatis, floribus racemosis, racemo terminali simplici compositove, calycis laciniis triangularibus planis glabris, tubo subgloboso hispido-cano octo-costulato, petalis oblongis fornicato-cucullatis calyce triplo longioribus dorso hispidulis erectis, stigmatibus 4 tuberculiformibus glabris.

In arenosis silvae prope urbiculam Perth Novembri a. 1839. Herb. Preiss. No. 1224.

Proximus *Goniocarpo cordigero*, differt floribus duplo fere minoribus petalisque angustioribus. — *Caules* plurimi ex radice fusca, confertissimi, erecti, stricti, glabri; steriles densissime foliati, fructiferi $\frac{1}{2}$ -1 pedem alti, apice gracilescentes et propter bracteas brevissimas in speciem nudi. *Pedicelli* longiusculi. *Folia* glaucescentia, supra et subtus convexula, in margine setulis raris brevissimis serrulato-ciliata, acutiuscula, scrobiculata, infima subinde opposita. *Flores* nutantes. *Stamina* octo. *Stigmata* valde distincta. *Ovarium* 4-loculare. *Capsula* abortu saepe unilocularis.

1^b. **Goniocarpus mucronatus** N. ab E. glaber, foliis suboppositis alternisve subulatis semiteretibus carnosis calloso-mucronatis, caule apice corymboso-ramoso ramulis compressis, floribus in axillis foliorum superiorum fasciculatis (geminis ternisve) racemi simplicis foliosi speciem exhibentibus, calycis laciniis triangularibus planis tuboque brevi obovato obtuse tetragono glabris, petalis oblongis fornicato-cucullatis calyce triplo longioribus glabris erectis. stigmatibus 3-4 acutis sparse villosulis.

In solo sublimoso silvae ad fluvium Vasse-river (Sussex), Decembri a. 1839. Herb. Preiss. 1221.

Distinctus a reliquis cunctis tum glabritie, tum foliis mucrone calloso albido instructis. *Folia* inferiora saltem subopposita, unguicularia, sicco statu valde corrugata et flexuosa. *Fructus* alii erecti, alii cernui, oblongo-ovales, obtuse tetragoni subinde obiter quadrisulcati, 2-3-4-loculares, 2-4-spermi. Habitu accedit ad *Halorag. digyn.* Labill.

Pag. 159 ante *Laudoniam* inseratur:

- 5^b. **Goniocarpus cordiger** *Endl.*, foliis erectis alternis lineari-filiformibus semiteretibus carnosiss cauleque subsimplici setulis sparsis hispidis, floribus racemosis, racemis terminalibus paniculatis simplicibusque, calycis quadrifidi laciniis cordatis basi medio impressis glabris, tubo obconico octoangulato, petalis obovatis fornicato-cucullatis carina hirsutis calyce duplo longioribus demum reflexis. *Haloragis cordata* *Endl.* pl. Hügel. p. 45. Hook Icon. tab. 598.

In limoso-lapidoso ad latus montis prope catarractam (caput fluvii Cygnorum), Januario a. 1840. Herb. Preiss. No. 1223.

Petala deflorata reflectuntur. *Fructus* maturus obsolete octocostatus, monospermus. 24.

Adnot. Planta revera hermaphrodita.

? caule foliisque rarissimis pilis adpersis, fere glabris.

Ad promontorium Cape Riche, Novembri a. 1840 (specimen floribus maxime incompletis.) Herb. Preiss. No. 1228.

Pag. 163, lin. 19, pro No. 1905 lege: 1904.

DIOSMEAE A. JUSS.

(Auctore F. T. BARTLING.)

Pag. 168 post No. 8. inseratur:

- 8^b. **Boronia ledifolia** *Gay.* fruticosa: foliis lineari-lanceolatis linearibusque margine revolutis subtus tomentosiss; pedunculis axillaribus medio bracteolatis unifloris vel trifloris; sepalis ovatis obtusis utrinque tomentosiss; filamentis basi ciliatis. — *Gay lasiop.* p. 20. *DC. Prodr. I.* p. 722. *Reichenb. iconogr.* p. 53. tab. 74.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis m. Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 2614.

Pag. 168, post No. 9.

- 9^b. **Boronia colorata** *Lehm.* fruticosa, glaberrima: foliis lineari-oblongis planis, pedunculis axillaribus solitariis unifloris folio brevioribus supra basin bracteolatis, superne incrassatis, calycis corollam subaequantis segmentis ovatis acuminatis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2627.

Ramus adest spithamaeus, teres, laevis, fusco-purpureus, crassitie penae gallinaeae. *Ramuli* inaequales, oppositi, erecti, graciles, subdichotomi, novelli subcompressi. *Folia* erecto-patula, internodio plerumque

breviora, crassiuscula, coriacea, obsolete uninervia, acuta, basi attenuata subpetiolata, plana, subcrenulata, adulta 6-10 lin. longa, 1-3 lin. lata, plerumque purpurascens. *Pedunculi* 2-4 lin. longi, purpurei. *Bracteolae* paulo supra pedunculorum basin insertae, lineares, calycem attingentes. *Alabastra* ovata acuta tetragona. *Calyx* purpureus, 2 lin. longus, segmentis planis enervibus. *Petala* ovata acuminata, calyce vix longiora, pallide rubra, dorso obscuriora. *Filamenta* brevissima glabra.

Pag. 169, ante No. 12.

11^b. ***Boronia megastigma*** N. ab E. ramis tetragonis foliisque sessilibus impari-pinnatis 1-2jugis scabris, foliolis linearibus obtusiusculis margine recurvis, pedunculis axillaribus unifloris bibracteatis, stigmatem maximo quadrangularem.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis m. Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 1232. (ex parte).

Fruticulus gracilis, trichotomus, setulis exiguis scaber. *Foliolorum* par inferius ad basin petioli communis, alterum par cum foliolo terminali ex apice petioli oritur; deficiente petiolo par inferius foliolorum folia fasciculato-gemina refert, in aliis duo tantum petioli apici innascuntur foliola. *Pedunculus* folio longior. *Flos* suaveolens. *Petala* fusco-purpurea? *Stamina* exteriora sterilia clavata colorata. *Stigma* disci floris fere ambitu. (Nees ab Esenb.).

Pag. 170, post No. 14.

14^b. ***Boronia pubescens*** Bartl. fruticulosa, a basi ramosa, pubescens: foliis petiolatis impari-pinnatis, foliolis uni-bijugis lineari-oblongis acutis; pedunculis axillaribus solitariis unifloris basi bracteolatis; sepalis lineari-lanceolatis; petalis extus pubescentibus; antheris apice barbatis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 2643.

Boroniae strictae affinis, sed habitu, foliis petiolatis et floribus duplo minoribus facile distincta. *Fruticulus* spithamaeus, a basi in ramos teretes graciles adscendenti-erectos simpliciusculos subfastigiatos basi nudos divisus, totus pilis brevibus mollibus patentibus pubescens. *Folia* parva, erecto-patentia, petiolo 2-3 lin. longo, foliolis lineari-lanceolatis, lineari-oblongis, immo oblongis, utrinque attenuatis, planis, integerrimis, subtus uninervibus, 1½-4 lin. longis. *Pedunculi* rari folium subaequantes. *Calyx* lin. longus. *Petala* oblonga sesquilineam longa. *Stamina* 8. parum inaequalia, calycem aequantia. *Filamenta* pilosa, apice more generis glandulosa. *Antherae* ovatae, apice pilis nonnullis barbatae.

Pag. 170, post *Cyanothamnus anethifolium* inseratur:

2. ***Cyanothamnus tridactylites*** Bartl. caule lignescente a basi ramoso; ramis pubescentibus; foliis ternatis, foliolis lineari-cuneatis apice trifidis; floribus solitariis axillaribus; filamentis ciliatis superne glandulosis; antherarum appendice ipsis triplo breviora recurva.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis m. Octobri a. 1840. Herb. Preiss. No. 2628.

Fruticulus semipedalis a basi divaricato-ramosissimus, ramis ramulisque inaequalibus teretibus pubescentibus a basi foliatis. *Folia* glabra, internodiis longiora, patula, carnosio-coriacea, foliolis 2-3 lin. longis supra canaliculatis, subtus convexis, apice trifidis, laciniis brevibus lineari-oblongis obtusiusculis divergentibus. *Petioli* foliola aequantes parce ciliati, teretiusculi, supra anguste canaliculati. *Pedunculi* erecti, 2 lin. longi, medio bibracteolati, bracteolis linearibus subtus convexis supra canaliculatis appressis glabris articulum pedunculi superiorem paulo superantibus. *Calyx* vix lin. longus, glaber, 4-partitus, segmentis ovato-lanceolatis obtusiusculis. *Petala* glaberrima lineari-oblonga obtusiuscula, demum subconvoluta, calyce plus duplo longiora, superne recurva. *Stamina* 8. calyce parum longiora, subinaequalia. *Filamenta* villosa-ciliata, apice glanduloso-tuberculato. *Antherae* ovato-lanceolatae, appendice lanceolata demum recurva.

Pag. 174 post *Diplolaenam* inseratur:

EMPLEUROSMA Bartl. n. gen.

Flores dioici vel polygami? apetali. *Masc.* *Calyx* quadripartitus per aestivationem valvatus. *Stamina* 8. *Filamenta* brevissima. *Antherae* glandula terminali ovato-lanceolata. *Fem.*.....

Genus jam floribus masculis distinctissimum, *Empleuro*, cujus odorem spirat, proximum, sed calyce, staminum numero, filamentis maxime abbreviatis et glandula antherarum luculenter distinctum.

1. *Empleurosma virgata* Bartl.

In rupestribus ad latus meridionale montis Curric (York) 15. April. 1840. Herb. Preiss. No. 2166^b.

Fruticulus, ut videtur, erectus, virgato-ramosus, ramis ramulisque sparsis, gracilibus angulatis sulcatisque glabris, novellis glandulosis. *Folia* sparsa, erecta vel erecto-incurva, sessilia, coriacea, anguste linearia, obtusiuscula, basi vix attenuata, margine revoluta, uninervia, nervo subtus prominulo, glabra, glandulis punctiformibus prominulis vage adspersa, $\frac{1}{2}$ -2 poll. longa. *Flores masculi* in ramulis novellis solitarii terminales, breviter pedunculati, magnitudine semin. *Viciae* minoris. *Calyx* herbaceus glabriusculus, persistens, per aestivationem valvatus, tetragonus, segmentis ovatis acutis planis enerviis. *Petala* 0. *Stamina* 8. calyce paulo breviora, filamentis brevissimis, antheris lineari-oblongis, erectis conniventibus, bilocularibus, rima duplici dehiscentibus, glandula ovato-lanceolata sessili erecta terminatis. *Germinis* rudimentum vix manifestum.

Obs. Plantae modo descriptae sub eodem No. adjectus est fructus unicus, quem ex eadem stirpe enatum vix crederem. *Calyx* sub fructu persistens coriaceus patentissimus, 5-partitus, segmentis ovato-subrotundis utrinque stellato-tomentosis uninerviis, marginibus ad normam quincunciam imbricatis, 4 lin. longis. *Stamina* 8, filamentis brevibus glabris, antheris linearibus erectis truncatis bilocularibus (sterilibus?) apice glandula haud terminatis, connectivo cum filamentis continuo. *Carpidia* 4. basi connata, horizontaliter divaricata, recta, oblonga, rotundato-obtusa, exappendiculata, extus tomentosa, 2 lin. longa, monosperma (ovulo altero abortivo?). *Semina* reniformi-subrotunda, atra, nitida.

EUPHORBIACEAE.

(Auctore J. F. KLOTZSCH.)

RICINOCARPUS Desfont. Endl. gen. n. 5812.
Meisner gen. p. 253. **Roeperia** Sprengel Rep. 3,
 p. 147. **Echinosphaeria** Sieber Msn.

Flores dioici.

Ricinocarpus glaucus Endl. in Hügel Enum. plant.
 p. 18. foliis alternis, linearibus, mucronatis, margine revo-
 lutis, integerrimis, glaucis, pedicellis axillaribus, subsoli-
 tariis, indivisis, supra medium bibracteolatis; calyce ci-
 liato, intus villosa; petalis oblongo-spathulatis Endl. l. c.

In arenosis montis Elizamountain (Perth) 23. Sept. 1839. Herb. Preiss.
 No. 2017; in asperis montium continuorum Darling'srange (Perth). Herb. Preiss.
 No. 2031 et in rupestribus tergi montis Melville (Plantagenet) 5. Oct. 1840.
 Herb. Preiss. No. 2041.

AMPEREA Adr. Juss. Kl. in Lehm. Pl. Preiss. I.
 pag. 176.

Amperea protensa Nees ab Es. foliis lanceolato-li-
 nearibus, distantibus; glomerulis aliis masculis aliis mo-
 noicis, flore femineo solitario; perianthio masculino 3-rarius
 4-fido, femineo quinquefido duplo majore Nees ab E. Msn.

In solo humoso inter frutices densos prope lacum Keiermulu vel Mongerslake
 (Perth) 21 Januario 1840. Herb. Preiss. No. 1214.

Radix perennis, subfusiformi-ramosus, fusco-cinereus. *Caulis* prostra-
 tus, gracilis, fusco-viridis, glaber, laevis, teres, sesquipedalis, sparsim ramo-
 sus. *Rami* erecti, subsimplices, filiformes, glabri, vix lineam crassi, 8-15
 pollices longi, remote foliosi, pallide-virides. *Folia* solitaria, bina, terna aut
 quaterna, elongato-subspathulata, acuta, pallide-viridia, glabra, margine re-
 curvata, ad paginam inferiorem albida, costa prominente, 8-10 lin. longa,
 1-2 lin. lata. *Florum* glomerula parva, axillaria, bracteolis fuscis, aridis,
 ovatis, acuminatis, inciso-dentatis cincta. *Pedicelli* infra medium articulati.

? *Amperea subnuda* Nees ab E. glauca; foliis linearibus,
 raris, caule teretiusculo, ramoso, stricto.

In arenosis ad tergum montis Curric (York) 15. April 1840. Herb. Preiss.
 No. 1233, absque flore.

Fructum imperfectum, lateralem, reflexum vidi. Nees ab E. Msn.

MONOTAXIS Brong. Kl. l. c. p. 176.

Pag. 176 deleatur *Monotaxis cuneifolia* Kl. ejusque loco substituatur:

Monotaxis occidentalis Endl. in Enum. pl. Hügel.
 p. 19. No. 58. quae nullo modo differt.

In speciminibus authenticis herb. Vindobonensis petala florum mascu-
 lorum quidem calyce breviora sunt, sed minime quadruplo breviora.

Pag. 177 loco: *Monotaxis ericoides* Kl. legatur:

Monotaxis grandiflora Endl. in Enum. pl. Hüg. p. 19. No. 59.

Comparatis speciminibus authenticis nullum dubium superest, quin planta Preissiana a Hügeliana non differat. Huc quoque pertinet:

Reissipa pleurandroides Steudel Msn.

In limoso-glareosis distr. Hay Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2142.

Monotaxis bracteata N. ab E. suffruticosa, glabra; foliis revolutis-teretibus, mucronatis, 3-4-linearibus; stipulis setaceis; umbellis terminalibus, sessilibus, (divisis?) stipulaceo-bracteatis. Nees ab E.

In calculosis montis cis urbiculum „York“ (York) 12 Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1219.

„Fruticulus vix pedalis“ (Preiss.).

Similis *Monotaxi grandiflorae* Endl. in pl. Hüg. p. 19 descriptae, sed differt: caule suffruticoso, nec herbaceo, foliis brevioribus et umbella terminali non feminea sed mascula. Rudimentum pistilli in floribus masculis distinctum, ovario oblongo, stylis 2-3, bifidis laciniisque teretibus. Petala rosea. — Florem centalem femineum in nostro specimine non inveni, probabiliter igitur planta est polygama aut dioica, nisi forsitan haec nostra specimina plantae masculae sunt *Monotaxis grandiflora*. N. ab E. Msr.

Pag. 178

LOPADOCALYX Kl.

Lopadocalyx phyllanthoides Klotzsch l. c. est *Ola* (Spermaxyrum) *Phyllanthi* Robert Brown Prodr. 358.

Spermaxyrum Phyllanthi Labill. nov. Holl. 2. t. 233.

Lopadocalyx uliginosus Klotzsch l. c. est *Ola* (Spermaxyrum) *uliginosa* n. sp.

Tribus PHYLLANTHEAE Endl. gen. pl. p. 1119. *)

Pag. 180, lin. 7 pro No. 1200 lege: 1209.

PORANTHERA Rudge in Linnean Soc. Transact. 10, p. 302, t. 22 fig. 2. Brongn. in Ann. des sc. nat. 29. p. 384. Endl. gen. n. 5859. Brongn. ad Duperry Voyage autour du monde 218. Meisn. gen. p. 342 (254). Hüg. bot. Archiv Heft 2, p. 8.

1. **Poranthera microphylla** Brongn. caule ramosissimo, humili, glabro; foliis obovatis, planis, basi attenuatis, subdistantibus, laete viridibus, subtus pallidioribus; ramis floriferis non corymbosis, superne multibracteatis, elongatis.

*) **Phyllanthus Preissianus** Kl. p. 119 No. 2 est *Ph. pimelioides* A. DC. in: 9ème notice sur les plantes rares cultivées dans le jard. bot. de Genève (Lehm.).

Brongn. in: Bot. de la Coquille pl. L, B. Annales des sc. nat. XXIX. p. 385. n. 3.

In montibus caeruleis prope Port-Jackson et ad fretum Entrecasteaux (Herb. Mus. Paris.). In cavernulis humidis rupium ad latus orientale montis Melville (Plantagenet) Oct. a. 1840. Herb. Preiss. No. 2045.

2. **Poranthera Drummondii** Kl. caule simplici, superne ramoso, glabro; foliis anguste-oblongis, basi attenuatis, margine recurvis, membranaceis; stipulis lanceolatis, niveis, sessilibus, integerrimis; ramis floriferis corymbosis.

In arenosis ad fluvium Cygnorum a 1839. J. Drummond. In arenoso-conchyliosis clivuli prope lacum insulae Rottennest Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 2048.

Suffrutex glaberrimus, 4-5 pollices altus, versus apicem ramosus, inferne rubicundus. *Folia* distantia, erecto-patentia, lineari-oblonga, obtusa, inferne angustata, margine revoluta, 5-8 lineas longa, lineam lata. *Ramuli* floriferi elongati, foliosi, centralis subdeliquescentis. *Capsulae* ad verticem alveolatim rugosae. *)

3. **Poranthera Hügelii** Kl. gracilis; caule inferne simplici; stipulis niveis, lanceolato-subulatis, inferne ad laterem exterioriorem subinde incisus; foliis membranaceis, erecto-patentibus, subdistantibus, linearibus, subacutis, margine revolutis; ramis floriferis tenuissimis, non corymbosis, inferioribus flexuoso-patentibus; staminibus calyce brevioribus.

Poranthera ericifolia Hügel Bot. Archiv fasc. II. t. 8. excl. descript.

In solo subturfoso-arenoso inter frutices densos planitiei prope urbiculum Albany (Plantagenet) Oct. a. 1840. Herb. Preiss. No. 2047.

Caulis subsimplex, gracilis, erectus folioque glaberrimus, basi sanguinolentus, frequentissime nudus, versus apicem nonnunquam ramosus, pedalis et

*) **Poranthera corymbosa** Brongn. caule simplici; foliis approximatis, erectis, lineari-lanceolatis, subspathulatis, acutiusculis, planis, subtus albidis discoloribus. Ad Brongn. in: Bot. de la Coquille pl. L fig. A. et Annales des sc. nat. XXIX. p. 385. *Poranthera lineariodora* Sieber Herb. Nov. Holl. n. 117 et 550. *P. orbusecula* Sieber l. c. n. 116.

Poranthera glauca Kl. glauca; caule simplici, glaberrimo; foliis teretiusculis, subcuspidatis, erectis, distantibus, subtus sulco longitudinali notatis; ramis floriferis nudis, corymbosis.

In arenosis ad fluvium Cygnorum J. Drummond a. 1839. Herb. Preiss. sine No.

Glauca. *Caulis* simplex, glaberrimus, pedalis, erectus. *Stipulae* lanceolato-subulatae, sessiles, niveae. *Folia* sparsa, erecta, linearia, subcuspidata, margine revoluta, subtus longitudinaliter sulcata, 6-11 lineas longa, vix lineam lata. *Folia* floralia capitulis breviora.

Poranthera ericifolia Rudge caule rigido, e basi ramoso; ramis glabris, erecto-patentibus; stipulis niveis inaequaliter laciniatis; foliis approximatis, patentibus, carnosulis, linearibus, obtusis, margine revolutis, subtus sulco angusto notatis; floribus corymbosis ad apicem ramosum dense capitatis; staminibus exsertis.

Rudge in Linnean Soc. Transactions X, p. 302. t. 22. f. 2. Brongn. in Annales des sc. nat. XXIX. p. 384. n. 1. et in Voyage de Duperry p. 218. Hügel Botanisches Archiv fasc. II. p. 8. excl. icon. *Poranthera ericifolia* Sieber Herb. Flor. nov. Holl. n. 118.

Prope Port-Jackson et ad fretum Entrecasteaux (Herb. Mus. Paris.).

ultra. *Stipulae* vix lineam longae. *Folia* linearia subacuta, erecto-patentia, subincurva, 5-8 lineas longa, vix lineam lata. *Rami* floriferi valde inaequales, tenuissimi subflexuosi, inferiores patentissimi. *Laciniae calycis* maris albae, obovatae, *petalis* ovatis concoloribus quintuplo longioribus, feminei virides, margine albae.

4. **Poranthera piceoides** Kl. caule rigido, ramoso; ramis erectis, lenticellatis; stipulis lanceolato-subulatis, integerrimis; foliis carnosulis teretiusculis subacutis, subtus sulco longitudinali notatis, approximatis subpatentibus; ramis floriferis corymbosis; staminibus exsertis.

In arenosis umbrosis sylvae prope Pine-Aple Sept. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1227. et in arenosis sylvae prope Bull's creek (Perth) Nov. a. 1841. Herb. Preiss. No. 2044.

Suffrutex ramosus, rigidus, 4-9 pollices altus. *Rami* erecti, lenticellati. *Folia* approximata, 4-6 lineas longa, vix dimidiam lineam lata. *Capitula* florifera parva.

5. **Poranthera ericoides** Kl. caule rigido, ramoso, humili; ramis ramulisque glabris, erectis; stipulis integerrimis, brevissimis; foliis carnosulis, triquetris, brevissime acutis, subtus sulco longitudinali notatis, approximatis, erecto-patentibus; ramis floriferis monocephalis rarissime 2-3-cephalis, nunquam corymbosis; staminibus exsertis.

In solo glareoso sterili districtibus Hay Nov. a. 1840. Herb. Preiss. No. 2050.

Caulis ramosus, rigidus, subprocumbens, 5 pollices longus. *Rami* teretiusculi, sordide fusci, scabriusculi, *stipulis* sessilibus, ovatis, acuminatis, integerrimis, brevibus vestiti. *Folia* alterna, triquetra, acuta, glauco-viridia, evanescenti-scabrida, erecto-patentia, brevi-petiolata, versus basin attenuata, dorso convexa, longitudinaliter sulcata, apice leviter incurva, 2 lineas longa, $\frac{1}{3}$ lin. lata. *Flores* minuti, in apice ramorum capitulatim congesti. *Pedicelli* glabri, 2-3 lineares.

CHRYSOSTEMON *) Kl. n. gen.

Flores dioici? *Masculi* axillares, solitarii, brevi-pedicellati. *Calyx* cruciatim-tetraphyllus, foliolis ovatis, membranaceis, concaviusculis, margine dentato-incisis, aestivatione imbricatis. *Stamina* 8, in centro floris inserta; filamenta brevia, cylindrica; antherae didymae, biloculares: loculis lateralibus, subglobosis, discretis, post dehiscentiam bivalvibus. *Flores feminei* ignoti.

Chrysostemon virgatus Kl.

In limoso-lapidosis planitie montis Bakewell (York) 12 Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1230.

Fruticulus virgatus, 6-8-pollicaris, radice perenni, fusiformi, crasso, atro-fusco, rugoso instructus. *Caules* conferti, gracillimi, pauci-ramosi, erecti, leviter tetragoni ramisque brevibus puberuli. *Folia* opposita, oblonga, subcoriacea, utrinque acuta, recurva, evanescenti-muricato-pilosa, integerrima, margine recurva, 3-4 lin. longa, 1 lin. lata, costa subtus prominente,

*) Nomen e vocibus χρυσός et στήμων compositum.

basi bistipulatis; stipulis cornutis, subulato-capillaribus, scabris, persistentibus. Flores masculi minuti, axillares, solitarii sulfurei.

Pag. 182 RHAMNEAE: vid. Appendix.

— 200 pro *Mariantho angustifolio* Putterl. lege *Pronaya angustifolia* Lehm. Ind. sem. hort. Hamburg 1845 collector. et adde descriptioni:

Fructus baccatus: bacca cylindracea, 5-linealis, 2 lineas diametro transversali lata, basi rotundata a receptaculo floris superstite amplexa, lateribus duobus externis medio juxta axim sulco longitudinali obsoleto notata, latere superiore et inferiore linea longitudinali elevata subanceps, apice rotundata e basi styli persistente brevissime apiculata, superficie corrugata, fusco-viridis, indehiscens, intus spurie quadriloculata, revera bilocularis e semi-septis, in parietibus internis, sulco longitudinali externo respondentibus convenientibus in axi contiguus et marginibus juxta axim parallelis in loculum utrinque prominulis alternatim et biserialitern seminifera, septis spuris e liquore inspissato et condensato seminaque undique involvente (uti in *Sollya* et *Billardiera*) formatis, polysperma. *Semina* funiculo brevissimo corrugato affixa, in quovis loculo nunc biserialia, subgloboso-reniformia, purpurascencia, e cellularum superficialium convexitate granulato-punctata, glabra, nitida, raphe brevi statim a chalaza suscepta horizontali in latere axim loculi spectante instructa, omnia in liquore inspissato et condensato albo nidulantia. Embryo in fundo albuminis solidi, durioris, albidus prope umbilicum intra cavitatem parvulam situs, minimus, orthotropus, incompletus, mere cellulosus, extremitate plus minusve attenuata hilum spectans, altera parum emarginata. (Colitur in hort. bot. Hamburgens.)

Pag. 206 POLYGALAEAE: vid. Appendix.

— 207, lin. 4 ab ima post No. 2370 adde: et No. 1524.

TREMANDREAE R.Br.

AUCT. J. STEETZ.

Pag. 213 ad *Tetrathecam nudam* Lindl. addas:

Comparavi specimina Drummondiana authentica in herbario regio Berolinensi, a cl. Lindleyo ipso definita! Nullo modo a speciminibus Preissianis differunt! Caveas vero, ne cum *Tetratheca virgata* confundas, quae sub eodem No. 1332 a cl. Preissio edita est.

Pag. 218 ad *Tetrathecam epilobioides* Steetz addas:

var. β , **hirsuta**: caule ramisque setosis, pedicellis hirsutis, styloque recto. *Tetratheca hirsuta* Lindl. Appendix ad Botan. Register pag. XXXVIII No. 187! et Botan. Register New. Series Anno 1844 tab. 67! (optime!) *Tremandra Hügeli* et *floribunda* Hort. (v. v.)

Accurata plantae vivae examinatio me certiore fecit, eam esse veram varietatem setosam stirpis Preissianae, qualem etiam observavimus in *Tetratheca virgata* et *viminea*. *Caulis* hirsutus, inferne setis rubris et pilis apice glanduliferis dense vestitus est, *rami* parcius setosi, sed cum *pedicellis* pilis glanduliferis hirsuti sunt. *Folia* minus undulata, *ovarium* utrinque, et *sepala* margine pilis paucis glanduliferis conspersa video, et *stylus* medio tortuosus non est. — Lubentissime nomen a cl. Lindleyo multo prius adhibitum restituisssem, nisi in omnibus speciebus enumeratis *formam glabram* semper tanquam *primariam* considerassem, et *formam setosam* tanquam *varietatem*.

Obs. Etiam in planta viva *ovarii* loculos semper uniovulatos reperi, idem, de quo jam disserui Vol. I. pag. 212 in annotatione, et quod confirmatur a cl. Lindleyo, icone praestantissima l. c. Loculus ovarii alter, latere

dissectus, exhibet *ovulum solitarium loculum totum occupans*, in fig. 2. cf. *Obs. ad Tremandram* Vol. I. p. 223.

Pag. 218. Nomen *Tetrathecae aculeatae* Steetz deleatur, ejusque locum occupet:

***Tetratheca rubriseta* Lindl. App. ad Bot. Reg. p. XXXVIII No. 185!**

(Herb. Preiss. No. 1319.)

Comparatis speciminibus Drummondianis authenticis *Tetrathecae rubrisetae*. Lindl. a viro celeberrimo ipso definitis, in herbario regio Berolinensi asservatis, equidem non amplius dubito, quin nostra *Tetratheca aculeata* eadem species sit atque illa, quemadmodum jam antea suspicatus eram. (cf. pag. 219 l. c. *Obs.*) Specimina Drummondiana exacte congruunt cum unico Preissiano, nec differunt nisi: caule ramisque setis rigidis rubris paullo densius obsitis. — Restituatur igitur nomen Lindleyanum multo prius vulgatum!

Pag. 219, deleatur nomen *Tetrathecae Preissianae* Steetz, in ejus locum substituat:

***Tetratheca pilifera* Lindley App. ad Bot. Reg. p. XXXVIII No. 188!**

(Herb. Preiss. No. 1323.)

A veritate haud procul aberravi, quum, suspicione ductus, p. 220 in *Obs.* 3. conjectarem, cl. Lindleyum, quum definiret *Tetrathecam piliferam*, nostram speciem ante oculos habuisse. Specimen enim authenticum *Tetrathecae piliferae*. Lindl., quod comparavi in herbario regio Berolinensi, nulla nota differt a planta Preissiana!

Pag. 220 ad *Plathythecam galioides* Steetz (Herb. Preiss. No. 1330) adde Synonyma:

Tetratheca verticillata Paxton Magazine of Botany Sept. 1846. No. 152!

Tetratheca speciosa, et *Tremandra verticillata*. Hort. (v. v.)

Icon plantam nostram bene refert, quum vero omni floris vel fructus analysi careat, novi generis nostri characterem minime illustrat.

Pag. 222 removeatur nomen *Tremandrae oppositifoliae* Steudel, ejusque locum teneat:

***Tremandra stelligera* R.Br. DC. prodr. T. I. p. 344. No. 1.!**

(Herb. Preiss. No. 1699.)

Autopsia ramuli speciminis authenticici *Tremandrae stelligeræ* R.Br., quem liberalitati celeberrimi Hookeri debeo, convictus sum, plantam Preissianam non esse novam speciem, sed veram *Tremandram stelligeram* R.Br., quod nomen igitur, tanquam multo antea nuncupatum etiam nostrae plantae servetur!

Paucis verbis exponere liceat, quibus de causis commotus sim, ut in No. 1669 herbarii Preissiani novam *Tremandrae* speciem constituerem, et sic in errorem haud levem inciderem. Causae hae sunt duae: 1) Patria *Tremandrae stelligeræ* in cl. Candollei prodromo, l. c. tributa, et 2) epi- phrasis in cl. Endlicheri genera plantarum pag. 1077 ad No. 5645. — Cl. Candolleus l. c. Novam Hollandiam orientalem *Tremandrae stelligeræ* vindicat, et cl. Endlicher l. c. *Tremandrae* speciebus omnibus *folia alterna* tribuit. — His argumentis seductus, extra omnem dubitationem positum existimavi, nostram *Tremandram*, in Nova Hollandia occidentali repertam, et *foliis oppositis* instructam, a speciebus a cl. R. Brownio nominatis, omnino diversam esse, imprimis, quum omnis descriptio accuratior vel delineatio *Tremandrae* alicujus ubicunque desideretur. Uterque vero illorum doctorum celeberrimorum errore captus est, ut cl. Hooker in literis benevole me informavit his verbis: „De Candolle and Don have both erred in saying

it (*Tremandra stelligera* R.Br.) is a native of the East coast of New Holland. It is a native of King George's Sound as well as *Tremandra diffusa* of Brown." — Item cl. Endlicher errat, *Tremandra stelligera* R.Br. enim revera foliis omnibus oppositis gaudet.

SAPINDACEAE Juss. Miq. in Lehm. Pl. Preiss. Vol. I.

Pag. 223, lin. 23 post No. 1281 adde: ex parte.
— 224, ante No. 2 inseratur:

Diplopeltis Hügelii Endl. foliis oblongis pinnatifido incisus (segmentis lanceolatis) subcoriaceis glabris obsolete-ciliatis, pedunculis pedicellis sepalisque nigro-tomentosis, floribus albis. — Endl. Enumerat. plant. Hügel. I. p. 13.

In districtu Perth haud longe ab ora maris inter frutices, m. Junio 1839 cum fl. Herb. Preiss. No. 1281 ex parte.

Pag. 224 pro *Thouinia?* lege: *Dodonaea* (Remberta) *adenophora* Miq. in Linnaea XVIII pag. 95.

— 229 BUTTNERIACEAE: vid. Appendix.

MALVACEAE Juss.

Pag. 239, lin. 11, pro No. 1838 Herb. Preiss. lege: No. 1338.

— 242 ante *Lawrenciam squamatam* inseratur:

Lawrenzia spicata Hook. herbacea, caulibus erectis simplicibus, foliis subcarnosis ovali-spathulatis obscure serratis glabris inferioribus longe petiolatis, floribus sessilibus in spicam longam densam foliosam arctissime congestis.

Lawrenzia spicata Hook. Icon. tab. 261—262.

In arenosis districtus Sussex m. Decbr. 1839 „2½-3-pedalis.“ Herb. Preiss. No. 2381.

Pag. 245 in charact. *Tetragonellae* lin. I pro comosis lege: *carnosis*, et in lin. 5 ab ima pro foliis comosis lege: *carnosis*.

— 246 lin. I pro amplexicoma lege: *implexicoma*.

— 246 — 7 pro comosa lege: *carnosa*.

— 247 — 10 pro *Caladrinia* lege: *Calandrinia* et adde *Calandrinis*.

Calandrinia Lehmanni Endl. radice tuberoso, caule filiformi simplicissimo stricto, tri-quadrifloro, foliis squamaeformibus oppositis acutis basi connatis, perigonio intus albo-holosericeo.

In solo sublimoso-glareoso prope paludem Barrelanjin (in fluvio Avon) haud longe a Vilemattin v. Davy'splace (York) 26. Febr. 1839. Herb. Preiss. No. 1528. (Endl.)

Pag. 250 ante No. 3, *Droseram pygmaeam* inseratur:

Drosera Drummondii Lehm. foliis parvis oblongis petiolatis utrinque marginibusque glanduloso-ciliatis, stipulis

scariosis, scapo simplici apice glanduloso, floribus racemosis subsecundis pilis longiusculis dense vestitis.

Ad flom. Cygnorum legit Drummond.

Rhizoma 3-1-lineare, radículas elongatas subsimplices emittens. *Folia* omnia radicalia vel subradicalia, *inferiora* demum reflexa, longe petiolata, petiolo angustissimo, 4-6-lineari, glabro vel subglanduloso, lamina oblonga, $1\frac{1}{2}$ lin. longa, $\frac{3}{4}$ lin. lata, pilis atro-violaceis, demum rufescentibus, glandula minuta terminatis dense obsita. *Stipulae* scariosae albidae, trifidae, laciniis iterum divisis, in acumen productis, basi subserratis. *Scapus* solitarius, 2-3-pollicaris, teres, glaber, apice pilis glandulosis obtectus. *Flores* 4-8, terminales, brevissime pedicellati, racemoso-spicati, subsecundi. *Pedicelli* glabri. *Calycis* sepala oblongo-lanceolata, obtusiuscula, extus marginibusque pilis apice glanduligeris densissime vestita, lineam longa, semilineam lata, *Petala* obovato-oblonga, roseo-rubra, calycem superantia. *Stamina* quinque sepala aequantia, glabra. *Antherae* parvae, longitudinaliter dehiscentes. *Styli* breves, stigmatibus papillosis. *Capsula* glabra. *Semina* oblonga, nigra.

Pag. 268 No. 10 *Hibbertia tenuiramea* Steud. eadem ac *Hibbertia stellaris* Endl. in Enumerat. plant. Hügel. I. pag. 2. No. 7. (Lehm.)

Pag. 269 No. 13 *Hibbertia subexcisa* Steud. est. *Candollea racemosa* Endl. in Enumerat. plant. Hügel. I. p. 2. fide speciminum. (Lehm.)

— 271 No. 20 *Hibbertia trachyphylla* Steud. ad *Pleurandram hypericoidem* DC. pertinere nobis videtur. (Lehm.)

— 273 post No. 26 inseratur:

Hibbertia virgata Hook. glabra vel villosa, ramis elongatis virgatis, foliis lineari-setaceis dense fasciculatis, floribus solitariis sessilibus in apice ramorum perbrevium, sepalis ovatis acutis basi 4-bracteatis, petalis obcordatis, staminibus sub-12, carpellis 3.

a ramis foliisque glabris. Hook. Icon. Vol. 3. tab. 267.

In glareosis apertis sylvae inter praedia rustica D.D. Barker et Lennardt (York) m. April. 1840. Herb. Preiss. No. 2171.

Pag. 273 No. 1 *Candollea assimilis* Steud. (etiamque *Hibbertia subexcisa* Steud. supra No. 13) a *Candollea racemosa* Endl. omnino non differt (Lehm.)

— 279 ante *Loranthaceas* inseratur:

SAXIFRAGEAE DC.

ENEMOSYNE Endl. gen. n. 4629. Ejusd. Iconogr. gen. plant. tab. 112. Meisn. gen. p. 136 (100. 357).

Eremosyne pectinata Endl. in Enumerat. plant. Hügel. I. p. 53.

In depressis arenosis umbrosis prope villam b. Spenier (Plantagenet) m. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 2046.

Herba digitalis, pilis simplicibus albis mollibus conspersa. *Radix* filiformis, horizontaliter ramosa. *Folia radicalia* rosulata, obovato-spathulata, dimidium pollicem longa, obtusa, e 2 linearum latitudine sensim attenuata. *Caules* plurimi, filiformes, sesquipollicares bipollicaresque, e basi procumbente adscendentes, intermedius crassior strictiorque, simplices vel apice

simpliciter dichotomi. *Folia caulina* alterna, sessilia circumscriptione ovata, 3 lineas longa, basi profundissime pectinato-pinnatifida, laciniis linearibus acutis utrinque 4-6, imis deflexis, reliquis adscendentibus, lobo terminali latiore. *Flores* in cymulis repetito dichotomis contractis, in corymbum terminalem dispositis, ramis ramulisque inflorescentiae confertius molliusque pilosae, bractea lineari integra vel trifida stipatis. *Flores* minimi, floribus *Sherardiae arvensis* paullo minores. *Calycis* tubus hemisphaericus, pilis patentibus glandulosis obsessus, limbi quinquefidi laciniis lanceolatis acutis tubo duplo longioribus. *Petala* quinque, lato-lineararia, obtusa, pilosa, alba. *Stamina* 5, filamenta filiformia, antherae subglobosae versatiles, biloculares, loculis longitudinaliter debiscentibus. *Ovarium* pilosum compressum, calycis longitudine, biloculare, loculis apice in *stylos* stamina aequantes, *stigmatibus* capitato desinentes productis. *Ovula* in loculis solitaria, majuscula, dimidios loculos expleantia, ex apice placentae basilaris glandulaeformis erecta, introrsum anatropa. Endl. l. c.

Pag. 297, lin. 16, post No. 419 adde: ex parte.

— 305 — 7 ab ima, ante No. 372 Herb. Preiss. pone: 370 ex parte.

— 306 — 5, post No. 370 Herb. Preiss. adde: ex parte et 372 ex parte.

— 308 — 5, post No. 363 adde: ex parte.

— 312 — 5 ab ima, post No. 312 adde: ex parte.

— 315 — 6 ab ima, post No. 406 adde: ex parte.

— 317, lin. 10 a basi, post No. 403 adde: ex parte.

— 322 — 7, post No. 379 adde: ex parte.

— 327 — 19 ab ima, post No. 442 adde: ex parte.

— 342 ante lin. 5 inseratur:

2. **Anthocercis litorea** Lab. glabra, foliis obovatis oblongisve integerrimis vel infimis minute paucidentatis eglandulosis, pedunculo communi subnullo, pedicellis 1-3-nis superioribus subracemosis, corollae laciniis linearibus tubo subduplo longioribus. Labill. Nov. Holl. 2. p. 19. tab. 158. Bot. Regist. tab. 212. Sweet Fl. austral. tab. 17. DC. Prodr. Vol. X. pag. 191.

In arenosis inter frutices prope Woodman'spoint. (Perth) d. 16. m. August. 1839. Herb. Preiss. No. 1473.

„Frutex 4-pedalis, ramis elongatis.“

3. **Anthocercis ilicifolia** Hook. glabra, foliis inferioribus obovatis angulato-dentatis, caule superne paniculato, foliis raris parvis oblongis spathulatisve onusto, floribus fasciculato-racemulosis, corollae laciniis lineari-lanceolatis tubo aequilongis. Hook. in Bot. Magaz. sub tab. 2961. Benth. in DC. Prodr. Vol. X. pag. 192. Hook. l. c. tab. 4200.

In arenosis inter frutices haud longe ab urbicula Freemantle d. 26. Dec. 1838. Herb. Preiss. No. 1474.

„Frutex 6-pedalis, erectus, floribus sulphureis.“

Pag. 347 ante **Asperifolius** inseratur:

WILSONIA R.Br. Endl. gen. n. 3790. Meisn. gen. pag. 274 (199).

1. **Wilsonia humilis** R.Br. foliis distichis cymbiformibus calycibusque sericeis, floribus axillaribus terminalibusque solitariis. Hook. Icon. Vol. 3. tab. 265.

Wilsonia humilis R.Br. Prodr. Fl. Nov. Holl. pag. 490.

In clivulo calcareo Arthur's-head (Perth) m. Januar. 1839. Herb. Preiss No. 2391; in depressis hieme aqua salsa inundatis prope oppidulum Busselton (Sussex) m. Dec. 1839, nec non in planitie cis fluv. Gordon (Hay) m. Novbr. 1840. Herb. Preiss. No. 2392 specim. florifera.

Differt a *Wilsonia rotundifolia* Hook. (Icon. Vol. 5 tab. 410) praesertim foliis oblongis cymbiformibus (nec ovato-rotundatis planis) distichis, dense sericeis.

Pag. 347 ad No. 3 (*Halganiam Preissianam* Lehm.) adde: in solo sublimoso ad Springbill (York) d. 13. m. Mart. 1840. Herb. Preiss. No. 1507.

— 348 post *Halganiam anagalloidem* Endl. inseratur:

4. **Halgania Lehmanniana** Sond. ramis canescentibus, pilis brevissimis ramosis, foliis ovatis oblongisve acutis puberulis demum glabratis margine serrato-dentatis, pedunculis axillaribus unifloris folio quadruplo brevioribus, calycis glabri laciniis acuminatis.

In glareosis apertis sylvae inter praedia rustica D.D. Barker et Lennardt (York) d. 12. m. April. 1840. Herb. Preiss. No. 2336.

Frutex erectus, ramis teretibus, pube ramosissima canescentibus, demum subglabris. *Folia* in apice ramorum conferta, alterna, ovata vel oblonga, rarius obovata, acuta, margine dentata vel dentato-serrata, ima basi integerrima, subtrinervia, nervis subtus prominulis, juniora pilis densis ramosis subcanescentia, demum glabrata, 6-8 lin. longa, 2-3 lin. lata, floralia minora. *Flores* in axillis foliorum superiorum solitarii. *Pedunculi* puberuli, lineam longi. *Calyx* glaber vel basi puberulus, laciniis glabris, acuminatis, lineam longis, tubum duplo superantibus. *Corollae* coruleae lobi calycem superant. *Capsula* (immatura) ovata, obtusa glabra, magnitudine calycis styli basi apiculata! (Sonder.)

Pag. 348 post No. 1 *Heliotropium curassavicum* inseratur:

2. **Heliotropium foliatum** R.Br. caule subherbaceo subsimplici erecto strigoso, foliis numerosis angustolanceolatis planis strigosis, spicis terminalibus paucifloris bracteatis, bracteis lanceolatis subpetiolatis calyce duplo longioribus. — DC. Prodr. Vol. IX. p. 548. Brown Prodr. Fl. Nov. Holl. pag. 493.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis m. Nov. a. 1840. Herb. Preiss. sine No.

Tota planta strigosa, pilis longiusculis albidis adpersa. *Radix* subsimplex annua. *Caulis* erectus, 3-4-pollicaris, simplex vel rarius a basi ramosus, ramis brevibus adscendentibus. *Folia* numerosa, sessilia, angustolanceolata, acuta, plana, erecto-patentia, 6-9 lin. longa, 2-3 lin. lata, inferiora breviora et paulo latiora. *Flores* nonnulli subsessiles in summo caule et ramis spicam brevissimam foliosam ante anthesin nutantem constituentes, bracteis subpiliolatis foliis semillimis suffulti. *Corolla* pro planta magna, ut videtur alba, tubus calyce duplo longior, externe pilosus, interne a medio ad faucem hispidus, lobis erecto patentibus, undulatis. *Antherae* puberulae cohaerentes.

Obs. Comparavi specimina Herb. Caesar. Vindob. a cl. Ferd. Bauer collecta.

Pag. 349, lin. 2 post No. 1934 Herb. Preiss. adde: ex parte.

— 349 ante *Myoporineus* adde:

2. **Myosotis australis** R.Br. hispida, caule erectiusculo ramoso, foliis oblongo-lanceolatis, racemis inferne subbracteatis, pedicellis calyce duplo brevioribus, calyce vix 5-fido hirto pilis plerisque patentibus uncinatis, corolla minima, stylo calyce longiore. DC. Prodr. Vol. X. pag. 110. — R. Brown Prodr. pag. 495.

Myosotis spathulata La Billard. teste cl. Alph. DeCand. l. c.

In insula Rottennest, m. August. a. 1839. Herb. Preiss. No. 1934 ex parte.

Pag. 354, lin. 14, ante No. 2324 Herb. Preiss. adde: 2323 et — 363 post No. 1 (*Erythraeam australem*) inseratur:

2. **Erythraea chloraefolia** Lehm. caule erecto simplicissimo, foliis obovatis obtusiusculis 3-5 nerviis pallide viridibus imis minutis marcescentibus, floribus terminalibus subcorymbosis bracteatis, corolla calyce $\frac{1}{3}$ longior (lutea), laciniis limbi oblongis obtusiusculis.

In solo sublimoso districtus Goderich m. Oct. a. 1840. Herb. Preiss. No. 1962.

Tota planta glaberrima. *Caulis* erectus, simplicissimus, compressus, nitidus, digitalis et paulo longior. *Folia* opposita sessilia linea marginali oculo armato conspicua decurrentia, infima minuta marcescentia, reliqua majora, valde distantia, ovata vel oblonga, obtusiuscula, 3-5-nervia, pallide viridia, 3-4 lin. longa, $1\frac{1}{2}$ -2 lin. lata. *Flores* in summo caule 3-7, subcorymbosi, ante anthesin ut videtur nutantes, bracteis ovato-lanceolatis oppositis suffulti. *Calycis* lacinae lanceolatae acutatae, carinatae, albo-marginatae, dein apice subretortae. *Corolla* lutea, calyce $\frac{1}{3}$ longior laciniis limbi oblongis obtusiusculis erecto-patientibus tubo subtriplo brevioribus. ☉

Pag. 365, lin. 13 ab ima, addas:

Genus *Mitrasacme* ab Alph. DeCandolle inter *Loganiaceas* refertur in Prodr. IX. p. 9.

Pag. 365, lin. 4 ab ima, post No. 2377 Herb. Preiss. adde: et No. 1891.

Accedit altera species:

2. **Mitrasacme nuda** N. ab E. caule simplici scapiformi foliisque subradicalibus oblongis ovalibusve glabris, floribus umbellatis, (involucro diphylo), calyce bifido, capsula inclusa. — *Mitrasacme paradoxa* herb. Lehm. (spec. ex Anglia miss.)

In arenosis sylvae supra oppidulum Perth d. 10. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 2240.

☉ Planta pusilla, pollicaris-sesquipollicaris. *Radix* simplex. *Folia* radicalia parva ovalia aut oblonga, obtusa, crassiuscula, glabra margine scabriuscula, paria 2-3 valde approximata et fere rosulata. *Scapus* nudus, chalybaeus. *Umbella* simplex biflora. *Involucrum* diphyllum, foliolis lanceolatis. *Calyx* turbinatus ad $\frac{1}{3}$ bifidus, laciniis obtusis. *Corollam* non vidi. *Capsula* globosa sub stylo sursum integro dehiscens. — *Habitus Erophilae vulgaris* vel *Holostei umbellati*.

Adnot. Auctoritati herbarii Lehmanniani confisus hanc veram esse *Mitrasacmen paradoxam* Brown. mihi persuaderem; sed obstant folia, ab

auctore acuratissimo „lineari-lanceolata“ descripta, quae nostrae ovalia sunt vel oblonga. Accedit, quod „caulem erectum umbella terminali“ perhibuit, cum nostrae probabiliter scapum tribuisset et folia radicalia. (Nees ab Esenb.)

LOGANIACEAE Endl. Nees ab Es. in Lehm. Pl. Preiss. Vol. I.

Pag. 368 ante *Loganiam hyssopoidem* inseratur:

4/1. **Logania Centaurium** N. ab E. herbacea, glabra, foliis lanceolatis, stipulis interpetiolaribus acutis sphacelatis, floribus terminalibus subcapitatis, pedicellis brevissimis calycibusque hispidulis, corollae laciniis lanceolatis.

In subarenosis umbrosis districtus Sussex d. 19. Dec. a. 1839. Herb. Preiss. No. 2428. 4

Simillima *Loganiae hyssopoidi*, differt praeter characteres in diagnosi adlatos: caule basi simplici inferne atro, apice trifido, foliis longioribus et latioribus, corolla (cujus residua vidi) duplo majore laciniis longioribus angustioribusque.

Adnot. Diagnosi *Loganiae hyssopoides* ad calcem addas: corollae laciniis obovatis. (Nees ab Esenb.)

Pag. 368 ad calcem *Loganiacearum* adde:

6. **Logania campanulata** R.Br. herbacea, foliis linearibus, exstipulatis, floribus terminalibus, pedunculis calycibusque pubescentibus. 4 DC. prodr. l. c. p. 25. Brown Prodr. pag. 456.

In calculosis prope Seven-miles-Bridge (Plantagenet). Herb. Preiss. No. 1885 lecta d. 26. m. Dec. 1840.

Huc quoque trahendus ejusdem collectionis No. 1888 in solo arenoso ad fluvium Kurumup prom. Cape Riche. Flores albi.

Planta fere pedalis, herbacea (an suffruticum?) radice multicipite, lignosa; caulibus subtetragonis, tenuibus, striatis, ad nodos foliiferos vaginantibus; internodiis summis longissimis; foliis oppositis, eorumque vaginis quandoque (ob desiccationem?) sphacelatis; basibus foliorum connatis, apicibus acutis vel obtusis, $\frac{1}{3}$ - $\frac{1}{2}$ -1 poll. longitudo et latitudo in foliis 2 mill. Flores subcymosi, ad communem pedicellorum ortum bibracteati; singulorum pedicellorum, 1-1 $\frac{1}{2}$ poll. longorum bases prope florem bibracteolatae. Bractee et bracteolae lineares. Flos regularis, extus tomentosus. Calyx 5-partitus, laciniis ovato-, vel oblongo-lanceolatis, nervosis, albo-marginatis, $\frac{1}{4}$ poll. longis, basi latioribus. Corolla campanulata (Preissio indicante) alba, venosa, extus villosiuscula, fere $\frac{1}{2}$ poll. longa in majoribus speciminibus, limbo 5-lobo, lobis rotundatis. Stamina quinque exserta, filamentis brevissimis, filiformibus fauci corollae inter lobos inserta. Antherae oblongae, versatiles; pollen 3-vittatum. Stylus clavatus. Capsulam non vidi. (de Vriese.)

Pag. 373, lin. 2, post No. 2293 Herb. Preiss. adde: ex parte et No. 2294.

— 386 — 16, post No. 2246 Herb. Preiss. adde: ex parte.

Pag. 393 ante **Lobeliaceae** inseratur:

CAMPANULACEAE DC.

(Auctore W. H. de VRIESE.)

CAMPANULA L. Endl. gen. n. 3085.

1. **Campanula Preissii** de Vriese herbacea, glabra, ramosa, subdichotoma; foliis radiculosus, spathulatis, grosse-dentatis vel et rhomboideis longe-petiolatis, subdecurrentibus, dentibus 4-8 acutis; foliis summis lineari-lanceolatis; pedunculis radicalibus, tenuissimis, valde elongatis; lobis calycinis lineari-lanceolatis, tubo calycis brevissimo.

In solo turfoso-arenoso humido inter montes Melville et Elphistone (Plantagenet) d. 21. m. Oct. 1840. Herb. Preiss. No. 1892.

Habitu et reliquis notis eximie affinis *C. fastigiatae* Duf. DC. prodr. VIII. 2. 483.

Radix simplex, elongata, filiformis. *Stirps* tota 3-5 poll. longa; *folia* subscabra, superiora, tridentata, vel demum edentata. Referenda species ad §. 4. DC.

Doleo me propter partium absentiam pulcherrimae et elegantissimae Campanulae notas reliquas haud potuisse exarare.

WAHLENBERGIA Schrad. Alp. DC. Endl. gen. n. 3079.

1. **Wahlenbergia Preissii** de Vriese. hispida et subsericea, simplex, erecta, foliis integris, vel subdenticulatis, lanceolatis, lineari-lanceolatis, obovatisve, superioribus linearibus; calycis tubo obconico, prismatico, longo, calycis laciniis vix superante; capsula elongata; seminibus minutissimis.

In clivulo arenoso, inter frutices densos prope oppidulum Albany (Plantagenet) d. 25. m. Sept. 1840. Herb. Preiss. No. 1890.

Planta 2-pedalis; folia 1-2½ poll., summa breviora; caulis striatus; pedunculi subsolitarii, longissimi; „flores coerulei;“ capsula 4-loculares.

Videtur proxime accedere haec species ad *W. lobelioiden* L. a qua tamen diversa est statura vulgo majori, foliis integerrimis, calycis tubo elongato, lobisque ejusdem reflexis. Pertinet ad Sect. IV. Lobelioides DC. VIII. 2. 440. Habitus vere lobeliaceus.

2. **Wahlenbergia simplicicaulis** de Vriese. caule stricto, simplici, unifloro, subaphyllo, basi foliis exiguis linearibus, lineari-lanceolatisve instructo; calyce ovato, limbo quinque laciniis, acutis, linearibus, corolla brevioribus instructo; stigmatibus post anthesin longissime exserto.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1887.

Planta $\frac{1}{2}$ -pedalis, foliis plerisque radiculatis subintegerrimis, caulinis fere nullis, aut brevissimis; pedunculis brevissimis, filiformibus, floribus caeruleis, rarissime nutantibus; stigmatе trilobo villosiusculo. Eidem Sect. cui praecedens adnumeranda.

3. **Wahlenbergia sp.** an nova? caule simplici, rarum ramoso, stricto; foliis lineari-lanceolatis, acutis, subdenticulatis; calyce elongato; corolla magna, cyanea; stylo elongato, stigmatе incrassato, trilobo, exserto; fructu 5-loculari.

In solo glareoso prope Klemattini l. Davy's place, ad flum. Avon. York. Herb. Preiss. No. 1884.

Planta herbacea, caudice subterraneo suffruticuloso; folia $\frac{1}{3}$ - $\frac{1}{2}$ poll. longa, sursum decrescentia; pedunculi filiformes, uniflori; calyces post anthesin mutici. Ad eandem Sect. Cand. referenda videtur.

Pag. 394.

3. **Lobelia longepedunculata de Vriese.**

Instituta comparatione a viro cel. Doct. Reissek conservatore herb. Caesarei Vindobonensi, plantarum Preissii, herbarii Caesarei et Nobil. Hügelii, constat hanc speciem esse *Lob. simplicicaulem* R.Br. Benth. in Endl. Enumerat. plant. Hügel. p. 74. No. 256. (de Vriese.)

Pag. 396 No. 9. *Lobelia elegans* de Vriese est *L. (Isotoma) pusilla* Benth. l. c. pag. 75. No. 260. (de Vriese.)

— 398 ad calcem *Lobeliarum* adde:

18. **Lobelia dubia de Vriese.** caule ramoso, tomentoso; foliis radicalibus obovato-lanceolatis, vel cuneato-oblongis, nigris; caulinis lineari-lanceolatis; pedunculis terminalibus, longissimis, unifloris; bracteis linearibus; calycibus nervoso-prismaticis, dentibus quinque acutis.

Herba $\frac{1}{2}$ pedalis. In arenosis sylvae prope Pine-Aple, Perth, d. 7. m. Oct. 1839. Herb. Preiss. No. 1440.

Folia radicalia 1-pollicem longa, integerrima (?); folia caulina uninervia, 6 poll. longa. Specimen haud completum. (de Vriese.)

Pag. 399 *Vlamingia australasiaca* de Vriese est *Pigea glauca* Endl. in Enumerat. plant. Hügel. I. pag. 5. fide specimenum Herb. Caesar. Vindobon.

— 400 Nr. 3. *Dampiera eriophora* de Vriese est *D. linearis* R.Br. quod efficere licet ex specimenibus Baueri, Hügelii Drummondii, Preissii, quae omnia fere sunt formae intermediae; hinc non mirum plantas illas exquisite variabiles esse dictas. *Dampiera azurea* tamen, species a nobis proposita, videtur satis differre ab omnibus hisce formis et propriam constituere speciem *D. lineari* R.Br. valde analogam. (de Vriese.)

— 402 No. 9. *Dampiera Lindleyi* de Vriese pro No. 1574 Herb. Preiss. lege: No. 1514.

— 404 No. 15 *Dampiera (?) innudata* de Vriese est *Stylidium crassifolium* R.Br. Sonder in: Lehm. Plant. Preiss. pag. 384.

— 407.

9. **Scaevola multiflora Lindl.**

In herbario Vindobonensi specimen video cui adscriptum nomen *S. aemula* R.Br. Herb. Ferd. Bauer N. Holl. merid. Dubium tamen mihi videtur,

an dicto haec specimina ad speciem Braumianam possunt referri, nisi forte *S. multiflora* Lindl. ejusdem sit synonymon. Neutrum auderem affirmare. Quodsi vero rationem habeamus characterum in omnibus hisce speciminibus, Bauerianis et Preissianis, obviorum cum phrasi diagnostica (prodr. 584) comparatorum vix probabile videtur unam eandemque esse speciem. Nam folia adulta sunt exquisite ovalia nec cuneata. Spicae paniculatae nec simplicissimae: stylus tota longitudine nec solo apice est barbatus. Caeteros characteres confer supra pag. 407, quibus adde *corollae faucem esse dense barbatae, et laminae margines ciliis instructos.*

Herbarium viri nobil. *De Lessert* speciem habet ut videtur huc quoque referendam, sed bracteis denticulatis instructam (de Vriese).

Pag. 407.

11. *Scaevola flaccida* de Vriese.

Ex comparatione speciminum Hügelianorum, quorum copiam mihi fecit celeb. Fenzl, oblatis nimirum Goodeniaceis herbarii Musei Caesarei Vindobonensis, valde probabile videtur specimina Preissiana, haud novam constituere speciem sed ad *S. thesioidem* Benth. in Endl. Enumerat. plant. Hügelii I. pag. 68 No. 225 esse referenda. Hanc igitur speciem sequentia porro illustrent.

Planta suffruticosa, ramosa, adscendens, glabra: ramis valde congestis, brevibusque, vel remotis et longissimis, 1½-pedalibus: foliis inferioribus lineari-lanceolatis, basi valde angustatis, superioribus linearibus, valde elongatis acutis, glabris subtilissime et paucidentatis: spicae terminales et laterales, floriferae contractae, fructiferae admodum elongatae, interruptae, bractee lineares integerrimae in fructu acutae, longissimae; calycis laciniis linearibus, in fructu persistentibus; corollae coeruleae, stylo villosa, stigmate subnudo aut margine subtilissime albido-ciliato; drupa ovato-compressa, glabra, bilocularis, disperma.

Diagnosis speciminis Hügelianum et speciei Benthani superstructa est plantae fructiferae, hinc non mirum est eam non quadrare cum speciminibus floriferis Preissianis, quae habent spicas contractas, teretes et folia magis spathulato-oblonga, quam sublanceolata.

S. paniculata de Vriese l. c. a *S. thesioidem* differt: statura multo majore, foliis longioribus latioribusque recurvis. Caeterum negari non potest magna cum priori affinitas. (de Vriese.)

Pag. 409 No. 19. *Scaevola sphaerocarpa* de Vriese est *S. anchusaefolia* Benth. in: Endl. Enumerat. plant. Hügel. p. 68 No. 227 quod constat collato specimine Hügelianum, herb. Vindobonensis, multo majore, et in quo dentes disparuerunt. Caulis tamen in nostro specimine erectus dicebatur. (de Vriese.)

— 410 No. 20. *Scaevola longifolia* de Vriese. Post No. 1472. Herb. Preiss. adde: et No. 1483.

Pag. 410 No. 21. *Scaevola glaucescens* de Vriese proxime accedere videtur ad *S. canescentem* Benth. in: Endl. Enumerat. plant. Hügel. p. 69 No. 229 quam video in herbor. Vindobon. adscriptis hisce: Hügel King Georges Sound. Quod tamen specimen vix completum est, sistens tantummodo in florescentiae partem cum bracteis. Ex quo igitur nequaquam iudicium ferri potest an utrumque, Preissianum et Hügelianum specimen ad eandem debeat trahi speciem Benthameanam, quod argueres ex florum similitudine et colore atque villositate foliaturae. Caeterum in Preissianis folia sunt obovato-oblonga vel spathulato-oblonga (nec oblongo-linearia), fere omnia integerrima, et paucis tamen repando-dentata: bractee lineares sunt (nec ovatae); stylus est glaber (nec pilosus).

Huc pertinet *Scaevola* No. 412, Herb. Delessert e collectione Drummondii, diversa tantum colore obscuriore et majore villositate (de Vriese).

Pag. 410 No. 22. *Scaevola humifusa* de Vriese. Pro Sept. 1829 lege: Sept. 1839.

— 411 No. 21. *Scaevola Benthameana* de Vriese est *S. calliptera* Benth. in: Endl. Enumerat. plant. Hügel. pag. 70 No. 232 uti mihi constat collatis

speciminibus herb. Vindobonensis. Vide ibidem specimen Hügeli ad flumen Cygnorum lectum. Huic uti et Preissianis omnino aequalia sunt specimina Drummondi et Huhnmanni herb. Delessert. Diagnosi nostrae, quae satis bene videtur indicare speciei characteres, adde: foliis basi cuneatis, bracteis spathulato-cuneatis, corollae laciniarum alis costulo- et parallelo-venosis. (de Vriese.)

- Pag. 411 No. 26. *Scaevola umbellata* de Vriese, ante No. 1450^b Herb. Preiss. adde: No. 1450 et
 — 413 No. 2. *Goodenia elongata* Labill. Pro No. 1029 Herb. Preiss. lege: 1429.
 — 413 No. 5. *Goodenia geniculata* de Vriese lege: *G. genuflexa*. (de Vriese).
 — 415 No. 5. *Lechenaultia pallescens* de Vriese, juxta specimina Hügeli et Baueri herb. Vindob. pertinent ad *L. expansam* R.Br. prodr. pag. 581. (de Vriese).
 — 416 ad calcem adde:

9. ***Lechenaultia pinastroides* Lehm.** glaberrima, caulibus fruticosis adscendentibus ramulosis, foliis confertissimis rigidis triangularibus lineari-subulatis diaphano-mucronatis glaucis, floribus terminalibus solitariis, corollae limbo unilabiato laciniis integerrimis aristato-mucronatis.

In glareosis arenosisve inter montem Manypeak, Tjilberup, et Cape Riche, d. 23. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 430.

Tota planta glaberrima. *Caules* ex eadem radice permulti, adscendentes vel humifusi, digitales et fere pedales, lignosi, inferne albicantes superne valde ramulosi, ramulis brevibus foliosis apice unifloris. *Folia* confertissima rigida, subacerosa, erecta, glauca, lineari-subulata, triangularia, mucrone diaphano saepe incurvo terminata, subsemipollicaria, seniora subincurva fuscescentia. *Flores* in summis ramulis terminales, erecti, solitarii, brevi pedicellati, ebracteati. *Calycis* lacinae foliis omnino consimiles, at multo breviores, aequali fere longitudine. *Corolla* unilabiata calyce triplo longior, ultra medium fissa, (indicante Preissio viridi-sulphurea), limbi laciniis patentibus, lanceolatis, subaequalibus, integerrimis (nec serratis ciliatis vel fimbriatis) aristato-mucronatis. *Filamenta* filiformia, plana, glabra, calyce breviora, antherae oblongae, cohaerentes. *Stylus* longitudine fere corollae, apice incurvus, stigmatibus obsolete in fundo indusii profunde bilabiati subtilissime puberuli.

Proxime accedit ad *Lechenaultiam floribundam* et *expansam*; differt ab utraque praeter alias notas foliis rigidis triangularibus subacerosis, floribus solitariis, laciniis corollae integerrimis. A. *Lechenault. laricina* differt foliis triangularibus, floribus terminalibus solitariis et calyce multo breviora; a *Lech. glauca* floribus terminalibus solitariis et laciniis corollae integerrimis. (Lehm.)

- Pag. 421, lin. 40 deleatur comma inter verba: achaeniis subsericeis.
 — 423 — 28 legendum erit: ericoidea, loco: cricoidea.
 — 423 — 58 legendum erit: Eurybia ericoidea, loco: Eurybia cricoidea.
 — 429 — 31 deleatur: In region. interior. Australiae meridional. occid. Herb. Preiss. sine No.
 — 431 — 13 et 14 legendum erit: (V. s. in herb. amic. cl. Zuccarini!) loco: Herb. Preiss. sine No.
 — 431, lin. 28 deleatur: Herb. Preiss. sine No.
 — 432 — I legendum erit: appressum, loco: adpressum.
 — 435 ante *Styloncerum cylindraceum* adde:

***Styloncerus multiflorus* N. ab Es.** caule a basi trichotomo-ramosissimo, foliis oppositis semitereti-linearibus, capitulis laxè aggregatis 8-10-floris, involucri foliis

totidem ovalibus obtusis cum mucrone, exterioribus nervo lato abbreviato viridi notatis, pappi paleis 5-ovalibus obtusis mucronatis integerrimis.

In solo humoso ad flum. Cygnorum supra urbiculum Perth, m. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 127.

Planta annua radice tenuissima ramosa. *Caules* ex eadem radice plures, adscendentes vel erecti, teretiusculi, albicantes, 2-3-pollicares, in nonnullis speciminibus superne pilis patentibus longissimis adpersi. *Folia* patentia 2-2½ lin. longa, obtusiuscula, basi dilatata. Proxime accedit ad. *Styl. humifusum*. (N. ab E.)

Pag. 444, lin. 45 legendum erit: *χθών*, loco: *κθών*.

— 449 — 35 legendum erit: *Leptorhynchos*, loco: *Leptorynchos*.

— 451 — 34 legendum erit: degree with, loco: degre ewith.

PROTEACEAE.

(Auctore C. F. MEISNER.)

PETROPHILA R.Br.

1. **Petrophila brevifolia** Lindl. Meisn. in Lehm. Pl. Preiss. Vol. I. p. 491.

Exstat etiam inter plantas Gilbertianas, sine No.

3. **Petrophila media** R.Br. Meisn. l. c. p. 492.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 293; coll. III. No. 241.

Forma insignis *foliis* subpedalibus! ruguloso-sulcatis, involucri squamis exterioribus fuscis (nec albidis) paulo latioribus basi magis dilatatis, nonnullis folio tereti viridi capitulum vix superante terminatis, *stigmatate* permagno.

5. **Petrophila juncifolia** Lindl. Meisn. l. c. p. 493.

Swan River, Drummond, coll. III. No. 240. Gilbert No. 62. Yenerl.

6. **Petrophila acicularis** R.Br. Meisn. l. c. p. 494.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 242.

Petrophila scabriuscula Meisn. l. c. p. 495.

Lin. 5 ab infima, pro tacta lege: tactu.

10. **Petrophila Drummondii** Meisn. l. c. p. 496.

In diagnosi (linea 33) pro fuciformi lege: fusiformi.

11. **Petrophila crispata** R.Br. Meisn. l. c. p. 496.

Swan River, Drummond, coll. III. No. 248.

Capitula ovato-oblonga, subpollicaria, bracteis magis glabratis.

16. **Petrophila Cunninghamii** Meisn. l. c. p. 499.

Diagnosis ita emendanda: *Ramis* apice ramulisque puberu-

lis; *foliis* biternatis, glabris, segmentis petiolo subaequalibus, lacinulis linearibus subulatisve pungenti-acutis v. submuticis; *capitulis* axillaribus, sessilibus, ovatis; *squamis* (stramineis) ovatis, acuminatis, subpungentibus, ciliatis, inferne puberulis, floribus sericeis; *stylo* inferne puberulo, stigmatate glabro subcontinuo, basi leviter incrassata quam acumen subulatum duplo brevior.

Swan River, Gilbert, sine No.

- 16/1. **Petrophila colorata** Meisn. foliis biternatis ramulisque glaberrimis, segmentis petiolo aequalibus v. saepius longioribus, lacinulis linearibus pungenti-acutis; capitulis axillaribus, sessilibus, ovatis; squamis (sanguineis) acuminatis, vix rigidis, glabris, inferne ciliatis, floribus sericeis; stylo inferne puberulo; stigmatate glabro, articulato, e basi turbinata crassiuscula subito subulato-attenuato, articulis subaequilongis.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 296.

Nimis affinis *P. Cunninghamii*, attamen diversa stigmatis articulis distinctis! $\frac{1}{2}$ lin. longis (in illa vix distinctis, superiore fere lineam longo) nec non foliis rigidioribus, lacinulis saepe duplo latioribus ($\frac{1}{2}$ - $\frac{2}{3}$ lin. latis) margine apiceque nonnunquam sanguineis, capitulis floriferis (fructifera non vidimus) squamisque (minus convexis, pulchre sanguineis) dimidio majoribus.

Obs. *P. Cunninghamii* et *colorata* admodum accedunt ad *P. squamatam* R.Br. prodr. p. 366, cujus forsitan merae varietates praeterea sunt *P. trifida* R.Br. l. c. et *P. propinqua* R.Br. suppl. p. 7. (Pl. Preiss. I. p. 501 adnot.) Iisdem quoque arcte affinis est *P. bilobae* var. *breviflora* nob. (Pl. Preiss. I. p. 500 n. 657!), cui involucris squamae interiores superne sericeae, quae vero foliis latioribus *P. bilobae* simillima, ita ut, si illa ad *P. squamatam* reducenda, certe etiam *P. biloba* genuina cum ea conjungenda erit. Quousque stigmatis forma in singulis hisce speciebus constans sit aut variabilis, ulterius examinandum.

17. **Petrophila diversifolia** R.Br. Meisn. l. c. p. 499.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 297. Mount William, Gilbert No. 139.

19. **Petrophila heterophylla** Lindl. Meisn. l. c. p. 501.

Swan River, Drummond, coll. III. No. 244.

Forma foliis omnibus indivisis.

20. **Petrophila striata** R.Br. Meisn. l. c. p. 502.

Circa Perth, m. Sept. 1842. Gilbert, sine No.

Forma foliorum laciniis solito angustioribus, $\frac{2}{3}$ -1 lin. latis.

- 20/1. **Petrophila Shuttleworthiana** Meisn. foliis planis, nervoso-striatis, trifidis ramisque glabris; segmentis divaricatis, lanceolatis, decurrentibus, mucronato-acuminatis, petiolo cuneato subaequalibus, lateralibus inaequaliter bifidis simplicibusve, terminali subbreviore trifido; laciniis indivisis, intermedia brevior; strobilis terminalibus, breve pedunculatis, oblongis, cylindricis, squamis ovatis acutis

sericeis; calycis glabri laciniis acutis; nucibus ovato-lenticularibus, utrinque comosis.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 298. Herb. Shuttleworth.

Proxima *P. macrostachyae*, sed praeter notas jam indicatas abunde distincta foliis dimidio v. duplo majoribus, nunquam bipinnatifidis nec punctato-scabriusculis, utrinque nervis aequalibus dense striatis (nec nervoso-marginatis) segmentis 3-4 lin. latis, lateralibus plerumque bifidis (raro indivisis — an unquam trifidis?) lacinula altera saepissime dimidio brevior; strobilis circ. pollicaribus (fructiferis vix elongatis) squamis paulo minoribus late ovatis, demum rotundato-obtusis et subcalvescentibus; nucibus paulo minoribus, ovato-oblongis (dimidio longioribus quam latis) stylo haud caudatis, in utraque facie aequaliter villosocomosis, pilis marginalibus haud longioribus. — Pedunculus spicae floriferae squamis lanceolato-linearibus 3-4 lin. longis glabris deciduis bracteatus; ipsius spicae squamae breviores, e basi ovata albo-sericea in acumen lanceolatum glabrum productae. Stigma *P. macrostachyae*, inarticulatum! supra medium tamen distinctius quam in illa puberulum.

ISOPOGON R.Br.

6. **Isopogon formosus** R.Br. Meisn. l. c. p. 506.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 295. (foliis laevibus! nec rugosis) coll. III. No. 247.

8/1. **Isopogon tripartitus** R.Br. ramulis tomentosis; foliis planis, cuneiformibus, tripartitis trifidisve, lobis linearilanceolatis integerrimis. — R.Brown. suppl. p. 8.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 246.

8/2. **Isopogon Baxteri** R.Br. foliis dilatato-cuneiformibus, fruticis juvenilis indivisis apice dentatis, adulti trifidis, lobis incisis; laciniis mucronatis; capitulis aggregatis, receptaculo plano. — R.Brown. l. c. p. 9.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 245.

11. **Isopogon attenuatus** R.Br. Meisn. l. c. p. 508.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 291.

Forma foliis 6-7-pollicaribus, omnibus apice attenuato-acutis.

13. **Isopogon uncinatus** R.Br. Meisn. l. c. p. 509.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 243.

Folia usque ad pedem longa!

14. **Isopogon spathulatus** R.Br.

a, **obovatus** Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 249.

Folia 6-10 lin. longa. Capitula hinc inde aggregata.

ADENANTHOS Labill.

3. **Adenanthos cuneata** Labill. Meisn. l. c. p. 511.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 245.

Folia sueto majora, 14-16 lin. longa et pedunculi usque ad 6-7 lin. longi.

4. **Adenanthos Meisneri** *Lehm.* l. c. p. 512.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 301.

5. **Adenanthos procumbens** *Meisn.* l. c.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 253.

6. **Adenanthos sericea** *Labill.* *Meisn.* l. c. p. 513.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 255.

10. **Adenanthos pungens** *Meisn.* l. c. p. 515.

β **simplicifolia**, foliis omnibus indivisis! (Caet. omnia ut in forma primitiva.)

Swan River, Drummond. coll. III. No. 256.

Involucri fructiferi squamae 2 intimae oppositae, nucem oblongam rugosam v. costatam subaequantem, obovato-oblongae, obtusae, concavae.

CONOSPERMUM Sm.

1. **Conospermum bracteosum** *Meisn.* l. c. p. 518.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 252.

Specimen sesquipedale, subcorymboso-multiramum, floribus nondum evolutis.

3/1. **Conospermum Brownii** *Meisn.* glaberrimum, caule fruticoso, inferne conferte folioso, superne simplicissimo aphylo; foliis sessilibus, lanceolatis, acutis, cuneato-atenuatis, planis, subglaucis, venosis, subtrinerviis, nervis lateralibus margini approximatis evanescentibus; capitulis paucifloris, in racemum terminalem brevem congestis, bracteis ovatis acuminatis (coeruleis) flore brevioribus, calycis glabri limbo tubum subaequante.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 304.

Species insignis, foliis accedens ad *C. undulatum*, floribus ad *C. coeruleum*, ab illo foliis planis, ab utroque omnium partium glabritie et caule indiviso superne in scapum aphyllum 6-8-pollicarem abeunte distinctissima. *Radix* non suppetit. *Caulis* 1-1½-pedalis, rectus, ad inflorescentiam usque penitus indivisus, teres, epidermide laevi pallida sublucida sursum secedente et internodia subsanguineo-fusca demum denudante. *Folia* quoad situm, formam, magnitudinem omnino cum iis *C. undulati* conveniunt, recedunt vero, praeter glabritiem, apice semper breviter et acutiuscule apiculato, margine perfecte plano, nervis lateralibus magis ei approximatis et raro ultra medium limbi excurrentibus, apicem nunquam attingentibus. *Scapus* squamulis nonnullis remotis adpressis ovatis (inimis lanceolatis 2 lin. longis, superioribus minutis) instructus. *Inflorescentia* fere *C. longifolii* R.Br. (Sieber n. 41!) circiter pollicaris; pedunculis partialibus 4-6 lin. longis, bractea tenera decolori 1-2 lin. longa suffultis, semierectis, persistentibus, glaberrimis; capitulis subglobosis, 4-6-floris, vix *Pisum* aequantibus. *Calyx* albus? (forsan coeruleus) 2 lin. longus, cum bracteis coeruleis ipso fere dimidio brevioribus glaberrimus. *Fructus* non suppetunt.

4/1. **Conospermum marginatum** *Meisn.* caule gracillimo, tereti, glabro, a basi ramoso, ad apicem usque sparse folioso; foliis longe petiolatis, lanceolatis, planis, callo conico acuto apiculatis, glaberrimis, uninerviis, ve-

nosis, marginatis; capitulis ramos terminantibus, racemosis v. solitariis; bracteis ovatis, acutis, calycis tubum aequantibus pedunculisque puberulis; calycis glabri limbo tubum angustum superante.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 306.

Ad *C. coeruleum* adeo accedit, ut pro ejus forma depauperata haberi posset, attamen, ex nostro judicio, specificè distinctum: caulibus debilioribus, vix pennam *Corvinam* aequantibus, minus ramosis (nec superne paniculatis) circ. sesquipedalibus, usque ad inflorescentiae ramos laxè foliosis; foliis 2 (rarius 3-4) poll. longis, limbo vix unquam pollicem superante $2\frac{1}{4}$ -4 lin. lato, ad apicem usque nervoso-marginato, callo terminali conico crassiusculo basi quasi articulado; inflorescentiae ramis subsimplicibus, $\frac{1}{2}$ -1 poll. longis (similiter ac in *C. coeruleo* minute bracteatis sericeisque) capitulorum bracteis paulo minoribus calycisque tubo rubellis, limbo pallide coeruleo.

4/2. **Conospermum glumaceum** Lindl. glabrum, caule debili, ramoso; foliis linearibus, planis, mucronatis, uninerviis; capitulis paniculatis, rhachi villosa, floribus intra bracteas glumaceas lanceolatas venosas imbricatas inclusis minutis, ovario piloso. Lindl.

Swan River Bot. p. XXX. No. 137. Meisn. in Lehm. Pl. Preiss. I. p. 518, adnot. — Swan River, Gilbert. No. 114.

Folia spathulato-lineararia, usque ad $2\frac{1}{2}$ poll. longa, apicem versus fere 2 lin. lata, inferne longe attenuata.

4/3. **Conospermum (Euconospermum) lupulinum** Endl. foliis longe lineari-spathulatis (pollicem longis, lineam latis) abruptim sphacelato-mucronatis, integerrimis, glaberimis, uninerviis, rigidis, junioribus in vetustorum axillis fasciculatis, pedunculis ramulos axillares brevissimos terminantibus elongatis (pedalibus), pedicellis racemoso-corymbosis strictis, apice monostachyis, spica (pollicari) cylindrica, lupulina, bracteis scariosis, rigidis, imbricatis, flore multo longioribus, perigonii labio antico tripartito, postico emarginato, semilunari. (Endl.)

In lapidosis summitatis montis prope cataractam ad caput fluvii Cygnorum, 16. Jan. 1840. Herb. Preiss. No. 1583.

Suffrutex 3-4-pedalis.

5/1. **Conospermum polycephalum** Meisn. caule elongato, basi folioso sericeo, superne subaphyllo paniculato-ramoso glabro; foliis tereti-filiformibus, elongatis, laevibus, glabris; paniculae amplae ramis patentibus, bractea subulata subfoliacea suffultis, inferioribus racemoso-pleiocephalis; capitulis hemisphaericis, multifloris; bracteis late ovatis cuspidatis, flore dimidio brevioribus rhachique puberulis; calycis glabri limbo tubum angustum superante, profunde bilabiato.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 305.

Omnia *C. Hügelii*, exceptis scapo paniculato-polycephalo et floribus capitatis, nec breve spicatis. — Adsunt specimina bipedalia et ultra, caule basi plerumque simplicissimo, crassitie pennae *Anserinae*. *Folia* 4-7-pollica-

ria, $\frac{1}{3}$ lin. crassa, perfecte teretia, basi dilatata, incurva, obtusiuscula (pleraque apice mutilata) pube copiosa adpressa minutissima canescentia. *Panicula* pyramidata, scapo inferne tenuiter striato, ramis semipatentibus divaricatisque subdistichis, infimis folio genuino tereti 1-2-pollicari suffultis 6-8-pollicaribus racemoso- v. subpaniculato-polycephalis, superioribus sensim brevioribus et simplicioribus bractea 4-2 lin. longa fultis, summis circ. pollicaribus monocephalis, omnibus apice puberulis et squamulis nonnullis sphacelatis lanceolatis acutis adpressis lineam longis munitis. *Calycis* limbus marginesque bractearum coerulescentes, labiorum laciniae acutiusculae, faux pallida, tubus constrictus rubellus. Nuculae haud suppetunt.

11. *Conospermum incurvum* Lindl. Meisn. l. c. p. 523.

In collibus circa Toodgay m. Sept. 1842 legit Gilbert. No. 70. (Panicula sesquipedalis! polystachya aphylla, scoparia, ramis pedem et ultra longis.) Drummond, coll. II. No. 308.

Specimina bipedalia, fruticosa; radice perpendiculari, semipedali, simplicissima, crocea (omnino *C. brachyphylli*) caule recto, nunc simplicissimo, nunc apice ramulo uno alterove brevi folioso instructo; foliis usque ad $2\frac{1}{2}$ poll. longis, complanato-filiformibus, utrinque bisulcis, supra planiusculis, subtus subcarinato-convexis, $\frac{1}{3}$ - $\frac{1}{2}$ lin. latis, parum incurvis; inflorescentia saepe pyramidato-paniculata, ampla, 6-8-pollicari, racemis inferioribus pedunculatis 4-5-pollicaribus polystachyis. — *Caulem* nunquam vidimus dichotomum, qualis in diagnosi Lindleyana traditur.

13/1. *Conospermum canaliculatum* Meisn. caule fruticoso, subsimplici, glabro, laxiuscule folioso; foliis longissimis, semiteretibus, glabris, supra canaliculatis laevibus, dorso convexo substriato-rugulosis, callo terminali conico acutiusculo sphacelato subrecurvo; pedunculis terminalibus et e summis axillis elongatis, aphyllis, supra medium lanatis et racemoso-polystachyis, spicis pedunculatis laxiusculis; bracteis late obovatis, flore subtriplo brevioribus, lanatis, cuspidate brevi glabro; calycis lanati lobis brevibus apice glabris.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 307.

An satis distincta a vero *C. Stoechadis* Endl.? quod ex descriptione (Endl. nov. stirp. decad. I. p. 60. n. 68) tamen differt foliis „facie plana obsolete bisulcis,“ spicis confertis densifloris et calyce 2 lin. (in nostra 3 lin.) longo. Ab illa saltem stirpe, quam supra (Pl. Preiss. I. p. 524) nomine *C. Stoechadis* descripsimus (cui *C. sclerophyllum* Lindl. absque dubio identicum). *C. canaliculatum* egregie discrepat caule validiore, foliis longioribus (subpedalibus) crassioribusque, glaberrimis, nunquam teretibus sed constanter canaliculatis, nonnunquam lineam latis, spicis longioribus laxifloris et calyce dimidio majore. — An igitur *C. sclerophyllum* Lindl. restituendum (cum synonym. *C. Stoechadis* Meisn. non Endl.) et *C. canaliculatum* *Conospermum Stoechadis* Endl. ut varietas subjungendum? An hae omnes unius speciei varietates?

14. *Conospermum teretifolium* R.Br. Meisn. l. c. p. 525.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 311.

15. *Conospermum petiolare* R.Br. Meisn. l. c.

Swan River, Drummond, coll. III. sine No. Bractee demum, acumine delapso, muticae.

16. **Conospermum capitatum** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 526.
Swan River, Drummond. coll. III. No. 251.

17. **Conospermum flexuosum** *R.Br.* Meisn. l. c.

a **Forma ramosissima**, ramulis tenuioribus, angulis laevibus.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 309.

Specimina bipedalia, aphylla.

β **Forma minus diffusa**, ramorum angulis nunc papilloso-asperulis nunc laevibus. (Herb. Preiss. No. 753.)

Drummond. coll. II. No. 310.

Specimen bipedale, foliis fere pedalibus, nervis lateralibus nunc margini proximis nunc remotioribus, apice plerumque rotundato-obtuso callo brevi sphacelato obtusiusculo apiculato.

SYNAPHEA *R.Br.*

1. **Synaphea dilatata** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 527.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 303.

3. **Synaphea petiolaris** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 528.

Drummond. coll. II. No. 302.

Obs. Sequentes *Synapheae* species in Drummondii coll. III. propter flores delapsos rite determinari non possunt.

No. 259. an **S. decorticans** *Lindl.*? *var. recedens* foliorum divisione (quae fere eadem ac foliorum inferiorum *S. polymorphae*) sed petioli multo longiores, loborum dentes breviores, lati, obtuse mucronulati et reticulatio vix prominula.

No. 258. **S. favosa** *R.Br.* prodr. p. 369? An potius *S. petiolaris* *var.*? Folia omnia indivisa, trinervia, pulchre punctato-reticulata.

No. 257. **Synaphea Preissii** *Meisn.* l. c. p. 529 *var.*? foliorum lobis apice rotundatis obtusisve mucronulatis (nec attenuato-acutis).

PERSOONIA *Sm.*

2. **Persoonia microcarpa** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 531.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 260.

GREVILLEA *R.Br.*

1. **Grevillea Drummondii** *Meisn.* l. c. p. 536.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 327.

Forma elatior, pube longiore patentissima, foliis majoribus (saepe 1-1½ poll. longis, 3-5 lin. latis) obovato-oblongis acutis obtusisve cum mucronulo obsolete obtusiusculo.

1/1. **Grevillea** (*Lissostylis*) **hakeoides** *Meisn.* ramulis apice sericeo-puberulis; foliis subtereti-filiformibus, integerrimis, mucronulato-acutis, laevibus, glaucis, glabris, subtus bisulcis; corymbis axillaribus terminalibusque multifloris, rhachi brevissima, pedicellis flores glaberrimos demum subaequantibus, calycis limbo globoso, diu clauso incurvo, quam tubus tenuis duplo brevior; glandula hypogyna obsoleta; stylo demum breviter exserto, stigmati terminali nutante, orbiculari, subconvexo; ovario breviter stipitato.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 325 et 326.

Facies omnino *Hakearum* e subdivisione prima (*H. pugioniformis* et affinium) at bractearum gemmulas involucrantium nullum vestigium et folia haud vere teretia sed angustissime linearia, supra parum convexa, subtus marginibus ad nervum usque recurvis convexa et bisulca. — *Rami* graciles, laxè ramosi, teretes, fusi, epidermide cinerascete, novelli pube minuta albida dense subsericei. *Folia* 1-1½-pollicaria, circ. ½ lin. lata, vix rigidula, recta v. incurva, saepe patula. *Racemi* brevissimi, umbellam v. capitulum simulantes, terminales v. in apice ramuli brevissimi subaphylli sessiles, magnit. vix *Cerasi* minoris, subglobosi v. subovati, rhachi 2-3 lin. longa cano-sericea ebracteata, pedicellis 1-1½ lin. longis. *Sepala* demum libera, subaequalia, utrinque glabra, unguibus angustissimis, laminis ovatis. *Glandula hypogyna* antica, libera, subrotunda, parvula. *Pistillum* 2½ lin. longum; ovarium stipiti suo vix ½ lin. longo subaequale; stylus complanato-filiformis, apice incurvus; stigma terminale, subobliquum, orbiculare, ⅓ lin. latum, utrinque levissime convexum. Folliculi

5. **Grevillea brachystylis** *Meisn.* l. c. p. 538.

Herb. Preiss. No. 714 ex parte et No. 717.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 322.

Var. ramis dense patulo-puberulis, foliis usque ad 4 poll. longis.

6. **Grevillea occidentalis** *R.Br.* *Meisn.* l. c. p. 539.

Swan River, Drummond, coll. III. No. 270.

Forma foliis lanceolatis, pollicaribus, 3 lin. latis, superioribus plerisque duplo triplove minoribus.

6/1. **Grevillea** (*Eriostylis*) **umbellulata** *Meisn.* ramulis apice cano-sericeis; foliis patulis, subulato-linearibus, integerrimis, mucronato-acutis, margine revolutis, supra convexis laevibus glabris, subtus unisulcis v. canaliculatis sericeis, racemis axillaribus terminalibusque subglobosis, subsessilibus, pedicellis calycem subaequantibus ferrugineo-puberulis; calyce incurvo, demum 4-partito pistilloque sessili parum longiore dense albo-lanatis; stigmati oblique laterali, ovali, submarginato, complanato, obsolete umbonato.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 324.

Rami graciles, iterato laxè ramosi, ramulis foliisque patulis. *Folia* 1-1½-pollicaria, primo vultu tereti-filiformia, sed revera angustissime linearia, marginibus subtus plerumque ad nervum usque revolutis, laevissima, parum rigidula, subpungentia, recta v. leviter incurva. Caet. omnia *Grevilleae occidentalis*, cui flores tantum paulo majores stylusque longius villosolanus. A *G. oxystigmatis* var. *acerosa* et *tenella*, quibus foliis accedit, facile

distinguitur stigmatis forma, nec non foliis multo longioribus magisque filiformibus.

9/1. **Grevillea** (Calothyrsus) **cirsiifolia** Meisn. foliis petiolatis, lineari-lanceolatis, remote inciso-serratis, supra venosis adpresse pilosis demum glabris, subtus aveniis ramisque sericeis; racemis axillaribus, pedunculatis, sericeis, demum laxifloris folium subaequantibus, bracteis lanceolatis caducis, pedicellis flore longioribus; calyce dorso fisso, unilabiatis deflexo, laminis valde inaequalibus cohaerentibus stigma retinentibus; ovario sessili, piloso; stylo sepala aequante, complanato, glabro; stigmatibus verticali, hemisphaerico, antice umbonato.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 267.

Rami sesquipedales, graciles, prostrati? parce ramosi, pube tenerrima adpressa sericei, superne fere cuprei, inferne albidii. *Folia* sparsa, omnia in idem latus versa (directione, nec insertione, secunda) 3-5 poll. longa, 2-3 (rarius 4-5) lin. lata, petiolo anguste cuneato-lineari 1-1½-pollicari, limbo serrato, (nonnunquam integerrimo) dente utrinque infimo 4-12 lin. longo 1-1½ l. lato adscendente (sinu angusto acuto) reliquis 1-2 lin. longis 1 lin. latis, scaleno-triangularibus, patulis rectis v. subrecurvo-falcatis, saepius alternantibus, acutis v. mucronulo vix pungente terminatis, marginibus simplicibus v. obsolete recurvis, sinus 6-8 lin. latis acutis saepe fere rectangulis, dente terminali proximis aequali v. minore, saepe minuto, pagina superiore venis sub angulo valde acuto ortis in limbi dentes excurrentibus parum conspicuis et obsolete anastomosantibus percursa, pube molli parca adpressa decidua pilosiuscula (in novellis dense sericea) inferiore avenia nervo valde prominente percursa pube densa adpressa cupreo-fulva v. demum albida pulchre sericea. *Racemi* e summis axillis nascentes, juniores breves nutantes densiflori, evoluti 4-pollicares, aphylli, pedunculo vix pollicari, florum paribus inferioribus 4-6 lin. dissitis, pedicellis 3-4 lin. longis cum bractea ipsis duplo brevioribus cupreo- v. fulvo-sericeis, alabastris apice globoso recurvis. *Calyx* intus glaber, postice (v. supra) fissus, quasi unilabiatus; labio deflexo, explanato, suborbiculari, emarginato, fovea antherifera stigma recipiente diuque retinente, laciniis anticis (in labio intermediis) quam posticae (laterales) multo minoribus. *Glandula hypogyna* nulla? (nullam saltem deprehendere possumus). *Ovarium* sessile, ovatum, pallide sericeo-pilosum. *Stylus* crassiusculus, complanatus, arcuatus. *Stigma* antice planum v. subconvexum, orbiculare, medio mucronulatum, postice hemisphaericum. Folliculi non suppetunt.

Species insignis, pulchra, ex affinitate *G. longifoliae*, *asplenifoliae* et *Baxteri*, nec non ad sectionem *Cyclopteram*, praecipue *G. heterophyllum*, quodammodo accedens, ab omnibus tamen bene distincta; a *G. longifolia* R.Br. (specie orae orientalis) cui pluribus notis convenit, differt foliis angustioribus, ad apicem usque (nec medio tantum) et profundius inciso-serratis, subtus aveniis (in illa subtus venis ad sinus, nec dentes, excurrentibus notatis) racemo laxo, pedicellis duplo longioribus et calycis forma. *G. asplenifolia* et *Baxteri* R.Br. (quas non vidimus) et *G. heterophylla* Cunningh.! (fide Herb. DC.) a nostra discrepant foliorum forma v. pubescentia, racemis, caet.

11. **Grevillea Hügelii** Meisn. l. c. p. 543.

Swan River, Drummond. No. 631.

12. **Grevillea Preissii** Meisn. l. c.

Drummond No. 637.

14/1. **Grevillea brachystachya** Meisn. ramis apice cano-puberulis; foliis anguste linearibus, integerrimis, acutiusculis, mucronulatis, laevibus, glabris, margine revolutis, supra obsolete striatis, subtus bisulcis; racemis terminalibus, subsessilibus, brevibus, dense multifloris, puberulis, pedicellis brevissimis; calyce gracili, limbo globoso, diu clauso recurvo, stylum dimidium parum superante; pistillo stipitato, glabro, stigmatate laterali ovali complanato.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 319.

A simillima *G. concinna* R.Br. praeter notas jam indicatas facile distinguitur: foliis apice attenuato-acutiusculis (in illa saepius paululum dilatatis) rigidioribus, usque ad $3\frac{1}{2}$ poll. longis, margine rotundato-revolutis (nec refractis) supra lineis 3 prominulis striatis, subtus profunde bisulcis (marginibus scil. ad nervum usque revolutis) racemis brevioribus (vix semipollice longioribus) erectis, floribus gracilioribus minusque sericeis, rectis v. limbo globoso tantum recurvo, tubo tenuiore, et praecipue pistillo glaberrimo circ. semipollicari stigmatisque situ et forma. — *Glandula hypogyna* obsoleta, antica, calycis fundo adnata. *Ovarium* stipite suo lineam longo vix longius, oblongum, antice ventricosum et sulco in stipitem decurrente exaratum. *Stigma* $\frac{2}{3}$ lin. longum, postice planum, antice acutiuscule convexum. *Folliculi* desiderantur.

14/2. **Grevillea bracteosa** Meisn. ramis apice pedunculisque adpresse puberulis; foliis anguste linearibus, integerrimis, glabris, apice sphacelato acutiusculis, supra convexis immerse uninerviis laevibus, marginibus acute refractis, subtus bisulcis; racemis axillaribus terminalibusque, brevibus, densifloris; bracteis diu persistentibus, patulis, membranaceis, obovatis, unguiculatis, calyce majoribus; floribus breve pedicellatis, glaberrimis, calycis arcte inflexi laminis diu globoso-cohaerentibus, stylo demum exserto duplo longiore, ovario longe stipitato, stigmatate laterali anguste panduraeformi complanato.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 269.

Species insignis, affinis *G. brachystachyae*, sed notis jam expositis abunde distincta. — *Rami* subsimplices, parce foliosi, leviter sulcato-rugosi, cinerascens-fusci, ramulis brevibus saepe aphyllis racemo terminatis. *Folia* $1\frac{1}{2}$ - rarius 3-pollicaria, vix lineam lata, marginibus acute refractis (nec recurvis) subtus nervo subcontiguis. *Racemi* semipollicares, quasi involucrati, floribus in rhachi brevissima canescente dense approximatis: *bracteis* patulis, unguiculatis, late ovalibus obovatisve, 3-4 lin. longis, membranaceis, planis, ciliolatis, tenerrime flabellato-venosis (albis v. rubellis?): *pedicelli* circ. lineam, calyces 3 lin. longi, limbo diu clauso globoso arcte incurvo quam tubus gracilis dimidio brevior, laciniis demum liberis valde inaequalibus. *Glandula hypogyna* obsoleta, calycis basi cyathiformi obliquae adnata. *Pistillum* 7-8 lin. longum, glaberrimum, ovarii parvuli stipite antice subcanaliculato stylum complanatum fere aequante: *stigmatate* anguste oblongo, obtuso, $1\frac{1}{2}$ lin. longo, medio angustato, antice subconvexo. *Folliculi* haud suppetunt.

14/3. **Grevillea eriostachya** Lindl. Meisn. l. c. p. 545, adnot.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 324.

15/1. **Grevillea teretifolia** Meisn. ramis apice puberulis; foliis teretibus, sulcato-angulatis, glabris, rigidis, semitrifidis, laciniis subaequalibus spinescentibus divaricato-trifidis, intermedia plerumque indivisa; corymbis in summis axillis subsessilibus, folio brevioribus, dense multifloris, pedicellis calycibusque glabriusculis; pistillo stipitato glabro, stylo filiformi exserto, stigmatate laterali ovali obtuso marginato antice convexiusculo.

Swan River, Drummond, coll. III. No. 271.

Primo vultu simillima *G. biternatae*, sed foliis stigmatateque distinctissima, nec immo ejusdem sectionis civis. — *Ramuli* teretes, mox glabrescentes, dense foliosi. *Folia* 1-2-pollicaria, $\frac{1}{2}$ lin. crassa, a basi inde teretia, sulcata et quasi obtuse angulata, laciniis plerumque petiolo paulo longioribus rectis v. levissime incurvis 8-10 lin. longis, mucronato-pungentibus, intermedia fere semper simplici, lateralibus semitrifidis v. rarius bifidis. *Corymbi* in ramorum extremitate approximato-congesti, pollice breviores, rhachi cano-pubescente; pedicelli 2-3 lin. longi, calycem parce pilosiusculum demum glabrum aequantes. *Calyx* *G. biternatae*. *Glandula hypogyna* conspicua, antica, scutelliformis, deflexa. *Ovarium* ovatum, obliquum, stipite capillari $1\frac{1}{2}$ lin. longo. *Stylus* 5-6 lin. longus. *Stigma* semilineam longum, margine tenui, facie medio leviter convexa. *Folliculi*

18. **Grevillea diversifolia** Meisn. l. c. p. 547.

β **lobata** Meisn. foliis nervoso-marginatis (margine plus minus refracto) plerisque profunde 2-3-lobis, lobis divaricatis, saepe partem indivisam cuneato-linearem aequantibus, 4-10 lin. longis. (Caet. omnia Plantae Preiss. No. 697.)

Swan River, Drummond, coll. II. No. 316.

19. **Grevillea manglesioides** Meisn. l. c.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 317.

Forma foliis omnibus indivisis.

β **sericea** Meisn. ramulis incano-tomentosis, foliis sericeo-tomentosis, adultis supra glabris, plerisque apice breviter trifidis, dentibus subaequalibus spinuloso-mucronatis, intermedio plerumque tricuspido. — Racemi dense multiflori, rhachi subpollicari.

20. **Grevillea vestita** Meisn. l. c. p. 548. var. β **angustata** e Capite bonae spei retulit Ecklon, ubi in hortis circa urbem frequenter colitur.

(Herb. Sonder!)

γ **subbiternata** Meisn. foliis ultra medium trifidis, lobis semipatentibus, lateralibus 2-3-fidis v. rarius indivisis, intermedio brevioris indiviso, laciniis attenuato-acutis basi petioliformi subcuneata anguste linearibus. — Stirps *G. vestitam* inter et *tridentiferam* ambigua, a posteriore vix nisi foliis longius attenuato-petiolatis supra unisuleis et corymbis longioribus distincta.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 320.

21. **Grevillea glabrata** Meisn. l. c. p. 549. Diagnosi adde: Racemis simplicibus v. basi ramosis; styli parte strumosa strictura brevissima (nec portione filiformi) ab ovario distincta.

Pedicelli fructiferi subpollicares, deflexi, arcuati, apice sursum recurvi, folliculo cernuo ovato dense anguloso (nec vere echinato).

21/1. **Grevillea** (Manglesia) **ornithopoda** Meisn. glaberrima, foliis cuneiformibus, longe attenuato-subpetiolatis, planis, triplinerviis, apice trifidis, lobis subaequilongis anguste lanceolatis integerrimis spinescenti-mucronatis, lateralibus recurvo-subfalcatis; racemis pedunculatis, inferne ramosis; stylo basi filiformi.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 314.

Habitus et characteres plerique *G. glabratae*, sed styli forma (sc. parte strumosa haud in ovario sessili, sed portione filiformi $\frac{1}{2}$ lin. longa quasi stipitata) essentialiter distincta. *Folia* avium pedes imitantia, $2\frac{1}{2}$ - $3\frac{1}{2}$ poll. longa, ad divisionem 5-6 lin. lata (nonnulla subinde indivisa, spathulato-lineararia) obsolete nervoso-marginata, lobis parte petiolari triplo v. quadruplo brevioribus 6-10 lin. longis basi $1\frac{1}{2}$ lin. latis, in mucronem longiusculum sensim attenuatis, lateralibus parum divergentibus v. semipatentibus plus minus retrorsum falcatis (rarius rectis) intermedio recto saepe paulo longiore. *Racemi* axillares v. terminales, folio $\frac{1}{3}$ v. dimidio breviores, infra medium in ramulos paucos patentes simplices $\frac{1}{2}$ - $1\frac{1}{2}$ poll. longos divisi infraque plerumque folium unum alterumve angustum saepiusque indivisum gerentes. Caetera, excepto stylo, omnia *G. glabratae*.

22. **Grevillea biternata** Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 315 et 323.

Foliorum laciniae saepe sesquipollicares, semper angustissimae et subaequales. *Pedunculi* fructiferi recurvo-patentes, 8 lin. longi, glabri.

22/1. **Grevillea** (Conogyne) **brevicuspis** Meisn. ramulis angulatis, glabris; foliis semitrifidis, lobo intermedio simplici brevi recurvo, lateralibus cuneatis trifidis, laciniis lateralibus divaricatis simplicibus v. (rarius) 2-3-fidis intermedia duplo longioribus, omnibus linearibus attenuato-mucronatis pungentibus, margine recurvis, supra subnerviis glabris, subtus uninerviis adpresse puberulis; racemis axillaribus terminalibusque, brevibus, glaberrimis; stylo filiformi, brevi, subpersistente, stigmati terminali conico; folliculis cernuis, obovatis, dense verruculosi.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 321.

Admodum similis *G. biternatae*, attamen, ni fallor, specificè distincta. Differt enim, praeter notas jam indicatas, foliis minoribus, marginibus subtus haud ad costam usque revolutis, lobis constanter latioribus $\frac{2}{3}$ - $1\frac{1}{2}$ lin. latis, primariis cuneatis circ. semipollicaribus angulo recto divergentibus, secundariis magis divaricatis rectis v. retrorsum subfalcatis, intermediis semper indivisis 2-4 lin. longis rectis. *Pedunculi* axillares simplices, terminales basi pauciramosi. *Pedicelli* demum arcuati, fructiferi 3 lin. longi. *Folliculi* magnit. *G. glabratae*, undique punctis elevatis dense minuteque verruculosi.

22/2. **Grevillea** (Conogyne) **leptobotrys** Meisn. ramis gracillimis, glabriusculis; foliis bipinnatipartitis, petiolo longo semitereti, segmentis primariis alternis multijugis, secundariis 1-4-jugis linearibus pungenti-acutis margine revolutis, supra aveniis glabris, subtus uninerviis bisulcisve

subsericeis; racemis axillaribus terminalibusque folia aequantibus, laxis pedunculo rhachique elongatis filiformibus apice puberulis, pedicellis capillaribus; calyce incurvo, cano-puberulo, demum 4-partito pistillo stipitato glabro subaequali, stigmatе terminali conico.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 268.

Species habitu reliquarum nulli comparanda. *Rami* sesquipedales, laxe ramosi, penna *Corvina* vix crassiores, teretes, mox glaberrimi, cinnamomei, laeves, a basi inde foliosi, internodiis circ. semipollicaribus. *Folia* 4-8-pollicaria; petiolo laminam bipinnatam subaequante v. longiore, subfiliformi, supra plano v. subcanaliculato, rhachi parum latiore lineari recta v. vix flexuosa; pinnis utrinque 5-9, fere constanter alternis, patentibus, infimis semipollicem v. ultra ab invicem distantibus 1-2-pollicaribus 1-5-jugo-pinnati-partitis, superioribus sensim magis approximatis brevioribus minus divisis simplicibusve, laciniis (pinnulis) plerumque oppositis $\frac{1}{2}$ - raro 1 lin. latis planis rectis v. subfalcatis attenuato-acutis mucronuloque recto pungentibus, inferioribus 3-8 lin. longis, superioribus sensim brevioribus, terminali proximis longiore, marginibus plus minus (saepe ad nervum usque) recurvis (rarius fere planis) facie superiore mox glaberrima sub lente puncticulata, inferiore pube adpressa subsericeo-canescente. *Racemi* 3-5-pollicares, summi inferne in ramulum unum alterumve divisi, erecti, bracteis fugacissimis, pedicellis geminis 2-4 lin. longis rhachique parce adpresseque pilosulis, paribus inferioribus 3-6 lin. dissitis, alabastris subglobosis. *Calyx* parvulus (circ. 2 lin. longus) pube albida subsericeus, limbo arcute inflexo diu clauso tubum tenuem aequante, sepalis demum ad basin usque disjunctis, unguibus angustissimis. *Glandula hypogyna* antica, exigua. *Pistillum* glabrum, calyce vix longius, ovario stipitato, stylo capillari, stigmatе e basi turbinata marginata breviter acuteque conico. *Folliculi* haud suppetunt.

22/3. **Grevillea** (Conogyne) **petrophiloides** Meisn. ramulis apice gemmisque puberulis, mox tota glaberrima; foliis tripinnatim partitis; segmentis omnibus teretibus. rectis, vix divergentibus, supra unisulcis v. subcanaliculatis, apice sphacelato mucronulatis, demum muticis, primariis petiolo longioribus 2-4-jugis, secundariis 1-2-jugis indivisis v. 2-5-fidis; spica ramum superne aphyllum gemmuliferum terminante, oblonga, dense multiflora, ebracteata: calyce subsessili, gracili, clavato, recto, pistillum aequante, demum 4-partito, laminis lanceolatis acutis; ovario breviter stipitato, stylo capillari recto, stigmatе terminali subulato-conico elongato acuto.

Swan River, Drummond. coll. III. sine No.

Species facie aliena insignis, habitu, foliis maxime, *Petrophilis Hakeis* que quibusdam similior quam *Grevillearum* ulli, nullo tamen caractere essentiali (nisi forte fructu — nondum viso) ab hoc genere discrepans. *Rami* validi, subsimplices, teretes, sanguineo-fusci, conferte foliosi, florentes superne aphylli stricte erecti gemmulas sparsas sessiles gerentes, pedunculum semipedalem spica terminatum simulantes. Gemmulae ovoideae, subsericeae, bracteis 4-foliaceis ovato-lanceolatis acutis 2-3 lin. longis adpressis quasi involucretae. *Folia* rigidissima, 3-5-pollicaria, erecta, segmentis primariis oppositis quasi corymbosis (i. e. inferioribus saepe 2-3 poll. longis superiorum sensim breviorum apices attingentibus) vix $\frac{1}{2}$ lin. latis petioloque (circ. pollicari) supra leviter canaliculatis, subtus saepe unisulcis, tertiariis 2-18 lin. longis (v. haud raro nullis) apicibus mucronulo exiguo delapso

demum obtusiusculis. *Spica* circ. pollicaris, rhachi glabra, bracteis nullis (nisi fugacissimis) pedicellis geminatis vix $\frac{1}{2}$ lin. longis. *Calyx* rubellus? 3 lin. longus, limbo diu clauso recto oblongo obtusiusculo tubum tenuem subaequante, demum ab apice basique 4-fidus. *Glandula hypogyna* parvula, antica, libera. *Ovarium* exiguum, stipite vix $\frac{1}{2}$ lin. longo; *stigma* fere lineam longum, tenue, basi submarginatum.

22/4. **Grevillea** (Conogyne) **Shuttleworthiana** Meisn. ramis teretibus, apice puberulis; foliis breve petiolatis, cuneato-obovatis, integerrimis, utrinque nervosis reticulatisque marginatis glabris, apice acuto recurvo sphacelato-mucronulato; racemis terminalibus folia superantibus, erectis, gracilibus, basi ramosis, dense multifloris, ebracteatis, glaberrimis, pedicellis calyce regulari recto demum 4-partito dimidio brevioribus, glandula hypogyna subnulla; pistillo subsessili calycem vix superante, stigmatе conico obtuso; folliculis erectis, glabris, apice rotundato-ventricosis mucronulatis, margine stylari depresso subcarinato.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 299 flor. et coll. III. No. 266 fruct. Herb. Shuttleworth.

Species distinctissima, pulchella. *Rami* sparse ramosi, graciles, tamen satis firmi, erecti, teretes, laeves v. brevissime striati, juniores parce minuteque adpresso-puberuli, cortice sanguineo-fusco, epidermide cinerascete, internodiis circ. semipollicaribus. *Folia* cum petiolo 2 lin. longo supra plano 1-1 $\frac{1}{2}$ -pollicaria, 4-8 lin. lata, suberecta, coriacea, laete flavo-viridia (juniora glaucescentia) saepe obliqua, margine angusto nerviformi flavo haud incrassato cincta et plerumque undulata, apice rotundata cum mucronulo v. in acumen 1-2 lin. longum mucronatam recurvam complicato-concavam producta, spurie plurinervia (venis primariis nervo medio subaequalibus saepius ad apicem usque arcuatim excurrentibus) venulis anastomosantibus supra prominulis subtus obsolete. *Racemi* 1 $\frac{1}{2}$ -2 $\frac{1}{2}$ -pollicares, erecti, basi in ramulum unum alterumve brevem divisi, fere a basi conferte florigeri, sursum efflorescentes, flavi? v. albi? pedicellis geminatis vix lineam longis. (Bracteas nullas videre licuit.) *Flores* omni parte glaberrimi, forma et magnit. *G. (Manglesiae) glabratae*. calycis tubo tenui, limbo diu clauso ovato-globoso. *Glandula hypogyna* nulla nisi obsoleta calycis fundo adnata. *Ovarium* minutum, subsessile, stylo filiformi, stigmatе $\frac{1}{2}$ lin. longo conico truncato-obtuso basi haud marginato. *Folliculi* conferte racemosi, sessiles, coriacei (vix lignescentes) semi-obcordati, modice compressi, 3-4 lin. longi, apice fere 2 l. lati, recti v. falcati, margine altero subrecto deplanato medioque saepius leviter carinato et apice styli basi mucronulato v. breviter rostrato, altero valde arcuato demum obtusissimo, valvulis convexis laevibus glabris opacis. *Semina* 2 anguste oblonga, compressissima, apice basique obtusa et breviter membranaceo-alata. — Affinis *Anadeniae integrifoliae* Endl. (Ann. Wien. Mus. 2, p. 209) sed multis notis discrepans.

22/5. **Grevillea** (Conogyne) **biformis** Meisn. ramulis frondeque biformi juniore subsericeo-puberulis; foliis breve petiolatis integerrimis planis, ramorum sterilium cuneato-obovatis trinerviis apice acuto recurvis, fertilium anguste elongato-linearibus acutis utrinque nervoso-striatis; racemis terminalibus, erectis, gracilibus, subsimplicibus, densifloris, ebracteatis, glaberrimis, pedicellis calyce regulari demum 4-partito triplo brevioribus, glandula hypogyna subnulla; pistillo stipitato calycem paulo superante,

stigmatē cylindrāco - conico obtuso basi annulo tenui cincto.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 265.

Proxima *G. Shuttleworthianae*, cui ramorum steriliū foliis omnino convenit nec non inflorescentia ipsisque floribus simillima, attamen certe distincta. *Folia* ramulorum florentium erecta, 2-3-pollicaria, vix lineam lata, nervis 3-5 impressis tenuiter lineata. *Racemi* pedunculo saepius 1-1½-pollicari suffulti, simplices v. basi ramulum brevem emittentes. *Flores* graciliores; calyx 3 lin. longus, limbi clausi magis ovati laminis angustioribus oblongis acutis; pistillum longius (5 lin. longum) stipite conspicuo ovario sublongiore, stigmatē paulo longiore minus conico basi que margine angustissimo membranaceo patente cincto. *Folliculi* non suppetunt. *Ramus* sterilis fronde tam diversa a florifero discrepans (adeo ut aegre ejusdem speciei crederetur) a Drummondio *sub eodem numero* (265) *speciminibus affixo missus est*; folia ramorum steriliū forma quidem et magnitudine conveniunt cum illis *G. Shuttleworthianae*, sed tamen differunt (praeter pubescentiam albido-sericeam fugacem) textura minus coriacea, margine haud nerviformi et venis obsoletis v. nullis. *)

24. **Grevillea** (Anadenia) **monticola** Meisn.

G. Aquifolium Meisn. l. c. p. 551 (non Lindl. in Ann. sc. nat. 1841. XV, p. 62. — species distincta, ex interioribus Novae Holl. orientalis — cui nomen illud ex jure prioritatis servandum.)

25. **Grevillea** (Anadenia) **quercifolia** R.Br. Meisn. l. c.

Ad flum. Vasse, Swan River, legit Gilbert, sine No.

26. **Grevillea** **Synapheae** R.Br. Meisn. l. c. p. 552.

β **latiloba** Meisn. foliis trilobis, lobis dilatatis, intermedio productione spinoso-tridentato v. trifido, lateralibus plerumque integerrimis patulis, sinibus rotundatis, rarius acutis.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 313.

Folia 2½-4 poll. longa, 1½-2 poll. lata, cuneato-attenuata, subtus glauca, apice v. ad medium usque trifida.

Pag. 552 lin. 12 ab ima, post No. 702 ex parte adde: et No. 706.

28. **Grevillea** **pulchella** Meisn. l. c. p. 553.

Prope Mount. William m. Nov. 1842 legit Gilbert, sine No.

HAKAEA Schrad. Vol. I. p. 555.

1. **Hakea** **platysperma** Hook. Meisn. l. c.

Huc referendum nobis videtur specimen floriferum a Drummondio in coll. II. sub No. 329 missum, foliis cum sola hac specie conveniens, iisdem floribusque vero ab affinibus abhorrens, absque fructu tamen haud tute determinandum. — *Rami* apice subsericeo-tomentosi, albidi. *Fasciculi* axillares, pauciflori, sessiles, pedicellis 2-3 lin. longis calycibusque (parum longioribus) minute adpresso-pilosiusculis, sepalis liberis, unguibus linearibus planis, laminis ovalibus obtusis, *glandula hypogyna* subannulari brevi, pistillo calyce fere duplo longiore glabro, ovario brevissime stipitato ovali gibbo, *styla*

*) **Grevillea** (Conogyne) **ilicifolia** α **attenuata** R.Br. suppl. p. 21. (Anadenia ilicifolia R.Br. prodr. p. 375.) exstat inter plantas a cl. Latrobe ad Port Philipp lectas. (Herb. Mus. Neocomiens.)

compresso-filiformi, *stigmat*e verticali 1-1½ lin. longo obtuso antice sub-concavo.

2. **Hakea nodosa** *R.Br.* Meisn. l. c.

Swan River, Gilbert, sine No.

2/1. **Hakea flexilis** *R.Br.* prodr. p. 382?

Swan River, Drummond. coll. II. No. 331 sine fr.

2/2. **Hakea obliqua** *R.Br.* l. c.?

Drummond. coll. II. No. 329 et 330, sine fr.

Specim. No. 329 recedunt foliis crassioribus et floribus minus sericeis, an potius *H. leucoptera* *R.Br.* l. c.? Species absque fructu vix dignoscendae.

4. **Hakea sulcata** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 556.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 272.

Specim. florif., foliis erectis 1½-3-pollicaribus.

5. **Hakea Lehmanniana** *Meisn.* l. c. p. 557.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 273, steril.

Folia inferiora 3-pollicaria.

8. **Hakea trifurcata** l. c. p. 559, pro No. 519 lege: 591.

15. **Hakea linearis** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 562.

Swan River, Drummond. coll. II. et Gilbert, sine No.

16/1. **Hakea nitida** *R.Br.* prodr. p. 384. Bot. Mag. t. 2246.
Meisn. l. c. p. 563 in nota.

Specim. Preiss. No. 577 exacte congruunt cum floriferis sub hoc nom. in Horto Herrenbusano cultis et a Wendlandio communicatis Herb. Martii!

21. **Hakea prostrata** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 565.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 278.

Folliculi maturi omnino *H. glabellae*.

23/1. **Hakea ambigua** *Meisn.* ramis villosis-tomentosis: foliis sessilibus, lanceolatis, integerrimis, sphacelato-apiculatis, planis, trinerviis, reticulato-venosis, glabris; fasciculis axillaribus, sessilibus; capsulis solitariis, breve pedunculatis, semiovato-oblongis, attenuato-rostratis, ecalcaratis, laeviusculis; seminis nucleo obovato, verruculoso, hinc anguste alato, alam terminalem oblongam obtusiusculam valva angustiore aequante.

Swan River, Drumm. coll. III. No. 277. (sine fl.)

Praeter notas indicatas omnino convenit cum *H. undulata* β *subintegerrima* Meisn. l. c. p. 566. An ejusdem speciei var.? *Rami* constanter pube brevi cinerascete dense velutini, tarde glabrescentes. *Folia* basi parum attenuata nec unquam petiolata (qua nota a *H. laurina* *R.Br.* proxime affini differunt) ½-2½ poll. longa, 3-5 lin. lata. *Gemmarum* squamae acutiusculae, demum glabrae. *Capsula* paulo minus ventricosa, in rostrum 2 lin. longum rectum attenuata. *Seminum* alae in valvarum rostrum haud extensae.

24. **Hakea cucullata** *R.Br.* Meisn. l. c. excl. var β .
Charact. ita emendandus: ramis villosis, dense foliosis; foliis sessilibus, patulis, reniformi-cordatis, cucullatis, breve

acuminatis, multinerviis, grosse reticulato-venosis, minutissime *elevato-punctatis*, glabris, margine *undulato-denticulatis*; fasciculis axillaribus, in receptaculo convexo villosis sessilibus, folio absconditis, involucri squamis oblongis cucullatis demum cum pedicellis floribusque glabris; stigmati terminali-cylindraco, basi vix incrassato; capsula *ovata, ventricosa*, acutiuscula, ecalcarata, leviter rugosa et verruculosa, valvis *crasse lignosis*; seminis nucleo rugoso, hinc anguste alato, alam terminalem *valva angustiore* attenuato-acutiusculam aequante. — Hook. ic. t. 441. bona, excepto foliorum margine nimis integro.

Swan River, Drummond. coll. III. sine No.

24/1. **Hakea conchifolia** Hook. ic. t. 432! ramis villosis, laxiuscule foliosis; foliis sessilibus, deflexis, reniformi-cordatis, cucullatis, acutis, multinerviis, grosse reticulato-venosis, minutissime *impresso-punctatis*, glabris (glaucis) *margine plano repando-dentatis spinulosis*; fasciculis axillaribus, in receptaculo convexo villosis sessilibus, folio absconditis, involucri squamis oblongis, cucullatis, demum cum pedicellis floribusque glabris; stigmati terminali e basi incrassato, conico-subulato; capsula *ovato-oblonga, attenuato-acuta*, ecalcarata, laeviuscula, valvis *parum crassis*; seminis nucleo obovato, ruguloso, hinc anguste alato, quam ala terminalis ovato-triangularis obtusiuscula *valvae latitudinem aequans* sublongiore.

Hakea cucullata β *conchifolia* Meisn. in Pl. Preiss. I. p. 567.

Speciem a praecedente simillima tamen distinctam esse, nobis demonstravit fructus, antea ignotus. Capsula nempe dimidio fere brevior et plus duplo angustior, *nuclei amygdalini* circiter magnitudine, semiovata, leviter minuteque verruculosa, valvis multo tenuioribus, seminis ala terminali brevior sed latiore totius (in illa vix ultra dimidiam) valvae latitudinem occupante.

26. **Hakea repanda** R.Br. Meisn. l. c. p. 568.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 279.

29. **Hakea Brownii** Meisn. l. c. p. 569.

Circa Freemantle legit Gilbert, No. 118. (steril.)

Absque fructu haud tute a *H. Baxteri* dignoscenda. Specimen insignis foliorum dentibus 1-2½ lin. longis, venis semiimmersis tamen conspicuis.

30. **Hakea ceratophylla** R.Br. α **laciniata** Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 338.

32/1. **Hakea multilineata** Meisn. foliis lingulatis, planis, integerrimis, tenuiter striatis, laevibus, apice submutico sphacelatis ramisque glabris; corymbis axillaribus brevissimis; capsulis in pedunculo brevi crasso subfasciculatis, ovatis, obtusiusculis, ecalcaratis, laevibus, infra apicem compressum nodoso-turgidis, secus suturam acute bicarina-

tis; seminis nucleo obovato, laeviusculo, hinc anguste alato, quam ala terminalis ovata obtusa sublongiore.

Swan River, Drummond; coll. III. No. 275.

Rami virgati, validi, parce ramosi, satis dense foliosi ramulique erecti teretes, laeves, glabri, cinerascens-fusci. *Gemmae* axillares (juniores) ovatae, squamis rotundis glabris. *Folia* erecta, 3-5-pollicaria, 5-8 lin. lata, inferne longe attenuata saepiusque breviter petiolata (insertione vix dilatata, rotundato-triangulari) apice rotundato sphacelato (quasi adusto, areola late triangulari nigricante notato) mutica v. mucronulo obsoleto (caduco) munita, rigide coriacea (tamen haud crassa) plana, pallide viridia, nervis 14-20 tenuibus immersis (tamen bene conspicuis) perfecte aequalibus parallelisque utrinque lineata, avenia, laevia, glabra. *Racemi* 4-5 lin. longi, sessiles (flores haud suppetunt,) pedunculo fructifero (inclusa rhachi 4-6 lin. longa dense cicatrisata) subpollicari glabro, capsulas 2 v. rarius 3 gerente, pedicellis circ. 2 lin. longis crassis glabris. *Capsula* 9-10 lin. longa, cinereo-albida, subnitida, glabra, levissime reticulato-rimosa, carinis secus totam suturam ventralem decurrentibus interstitio laevi circ. lineam lato separatis $\frac{1}{2}$ - $\frac{2}{3}$ lin. altis acutis integerrimis, valvis crasse lignosis, seminis ala terminali totam valvae latitudinem occupante. — Species ex affinitate *H. arborescentis* et *lasianthae* R.Br., ab utraque insigni capsulae forma pedunculisque (saltem fructiferis) glabris distincta, a priore insuper (fide specim. Browniano! in Hb. DC.) foliis triplo latioribus, nervis multo numerosioribus tenerioribus haud prominulis ramisque glabris.

34. **Hakea falcata** R.Br. Meisn. l. c. p. 572, excl. var. β et descr.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 333. Gilbert, sine No.

Specimina cum diagnosi Browniana bene congrua, a sequente ut jamdiu suspicabamur certe specificè distincta.

34/1. **Hakea Candolleana** Meisn.

H. falcata β ? *subuninervis* Meisn. in Lehm. Pl. Preiss. I. p. 572.

36. **Hakea cyclocarpa** Lindl. Meisn. l. c. p. 573.

Swan River, Gilbert, sine No. (fruct.)

37. **Hakea eucalyptoides** Meisn. l. c.

Drummond, coll. III. No. 274.

Ramus longus, simplex, flexilis, tenuis. *Folia* saepe 10-pollicaria. *Flores* desunt.

42. **Hakea costata** Meisn. l. c. p. 575. α **linearis** l. c. p. 576.

Circa Australind legit Gilbert, No. 332. Drummond, coll. II. No. 332, forma inter var. α et β medium tenens.

43. **Hakea ruscifolia** Labill. Meisn. l. c. p. 576.

Swan River, Drummond, coll. III. No. 276.

45. **Hakea petiolaris** Meisn. l. c. p. 577.

Drummond, No. 607.

LAMBERTIA Sm. Vol. I. pag. 578.

1. **Lambertia uniflora** R.Br. Meisn. l. c.

Swan River, Drummond, coll. III. No. 261.

1/1. **Lambertia rariflora** Meisn. ramis puberulis, foliis ternis, subsessilibus, linearibus, indivisis, obtusis acutisve submuticis, utrinque glabris reticulatis, margine leviter recurvo subundulato-denticulatis; involucri ramulos breves terminantis uniflori squamis linearibus, calyce medio tomentoso multo brevioribus; stylo inferne pubescente, stigmate tenui continuo subulato; folliculo laevi, hinc rotundato inde rostro recto aequilongo terminato.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 312.

Species *L. unifloram* inter et *propinquam* ambigua, utrique foliis reticulatis fere planis accedens, a priore distincta: foliis linearibus 1-1 $\frac{3}{4}$ poll. longis 1-1 $\frac{1}{2}$ lin. latis, muticis v. mucronulo obsolete innocuo acutatis, petiolo vix $\frac{1}{2}$ -1 lin. longo, flore pubescente involucroque dimidio brevioribus folia circumstantia vix aequantibus et folliculi rostro (constanter?) erecto (nec sub angulo fere recto a capsula divergente); — a *L. propinqua* (cui folia saepe simillima, integerrima, tamen semper dimidio latiora et pollice parum longiora) discrepat jam involucro unifloro, folliculo unicorni laevi (nec bicorni echinato) et stylo pilosiusculo. — *Ramuli* flore terminati saepe brevissimi, ita ut inflorescentia fere axillaris videatur. *Flores*, ut videtur, rari, in involucro paucisquamato semper solitarii, basi glabri, superne dense tomentosi. *laminis* dorso glabris apice pilis paucis barbatis. *Stigma* lineam longum.

2. **Lambertia inermis** R.Br. Meisn l. c. — Synon: *L. Drummondii* Gardner in Fielding Sert. pl. t. 22! Forma foliis subspathulatis.

2/1. **Lambertia ericifolia** R.Br. ramis tomentoso-puberulis, foliis ternis, sessilibus, abbreviato-linearibus, obtusis, muticis, margine revolutis, supra venosis puberulis demum glabris, subtus canaliculato-unisulcis; involucri ramulos breves terminantibus, 7-floris, squamis interioribus calyce dimidio brevioribus; stylo glabro, stigmate subulato acuto; folliculo (ex R.Br.) hinc cuspidato, inde mutico (laevi?) — R.Brown suppl. p. 30.

Swan River, Drummond, coll. III. No. 264.

Species a praecedente certe distincta, nec, ut olim (Pl. Preiss. I. p. 579.) suspicabamur, ejus var. *angustifolia*. *Rami* ramulique graciles, stricti, semi-erecti, plerumque verticillati, rubro-fusci, cinerascenti-puberuli, internodiis 2-5 lin. longis. *Folia* 4-7 lin. longa, vix $\frac{1}{2}$ lin. lata, rectiuscula, semipatula, venis supra prominulis subreticulatis obsolete costata, marginibus ad nervum usque revolutis subcontiguis quasi teretia et subtus unisulca, pube minuta adpressa diu persistente. *Involucri* squamae lanceolatae, acutae, pilosae. *Flores* magnit. et forma *L. multiflorae*, sed rubri (videntur plerumque parce pilosiusculi, sed pili, ni fallor, non nisi e foliis delapsi et floris superficiei viscidulae adglutinati). *Stigma* fere 2 lin. longum, stylo continuum nec basi nodulosum, hinc sulco percursum, apice attenuatum. *Folliculum* non vidimus.

3. **Lambertia multiflora** Lindl. Meisn. l. c. p. 579.
Fielding Sert. pl. t. 23!
5. **Lambertia ilicifolia** Hook. Meisn. l. c. p. 580.
Swan River, Drummond. coll. III. No. 262.
Forma *foliis* sueto dimidio minoribus, saepius ovatis integrisque, *floribus* minoribus.

BANKSIA Linn. fil: Vol. I. pag. 581.

1. **Banksia sphaerocarpa** R.Br. Meisn. l. c.
Swan River, Drummond. coll. II. No. 336 et 337, variatio calycis laminis glabriusculis (eadem exstat quoque in Drummond. coll. I, sive Herb. DC. et Mart.)
2. **Banksia nutans** R.Br. Meisn. l. c.
Swan River, Drummond. coll. III. No. 281.
- 2/1. **Banksia pulchella** R.Br. foliis acerosis (unguicularibus) integerrimis, muticis; floribus deflexis, calycis unguibus lanatis, laminis glabris, stigmatate depresso-capitato. — R.Brown. prodr. p. 391.
Swan River, Drummond. coll. II. No. 338. (A. Cunningham! in Hb. DC.)
3. **Banksia Meisneri** Lehm. Meisn. l. c. p. 582.
Swan River, Drummond. coll. III. No. 282.
4. **Banksia occidentalis** R.Br. Meisn. l. c.
Drummond. coll. III. No. 283.
9. **Banksia prionotes** Lindl. Meisn. l. c. p. 584.
Drummond. coll. III. No. 288.
10. **Banksia coccinea** R.Br. Meisn. l. c. p. 585.
Drummond. coll. III. No. 284.
12. **Banksia marcescens** R.Br. Meisn. l. c. p. 586.
Drummond. coll. III. No. 285.
- 12/1. **Banksia attenuata** R.Br. foliis oblongo-linearibus, truncatis, basi attenuatis, extra medium serratis, subtus costatis reticulatis, areolis tomentososis; bracteis apice hirsutis, calycibus glabris, folliculis tomentososis. — R.Brown prodr. p. 395.
Swan River, Drummond. coll. III. No. 286. (A. Cunningham! in Hb. DC.)
13. **Banksia repens** Labill. Meisn. l. c.
Drummond. coll. III. No. 291.
- 13/1. **Banksia barbiger** Meisn. caule decumbente v. adscendente, abbreviato, tomentoso; foliis sparsis, petiolatis, oblongis, grosse sinuato-dentatis pinnatifidisque, sinibus obtusis, lobis divaricatis triangularibus integris acutis muticis utrinque leviter costato-venosis, subtus obsolete reticulatis, laciniis albido-tomentosis; amento ovato-oblongo,

foliis ipso multo longioribus obvallato; bracteis involucran-
tibus elongatis, lineari-subulatis, villosissimis; calycibus
stylo glabro tenui parum brevioribus, unguibus pubescenti-
bus, laminis dorso glabris apice longe rufo-barbatis; stig-
mate minuto, conico-capitato, obtuso, subangulato.

Swan River, Drummond, coll. III. No. 290.

An *B. Goodii* R.Br. suppl. p. 36? cujus diagnosi exacte convenit, ex-
ceptis tantum calycis lobis apice diu comosis et stigmate vix „ovato, sulcato,“
an tamen potius illius var. aut status junior? Species habitu et characteri-
bus plerisque proxima *B. repenti*, sed praeter notas jam expositas bene
distincta bracteis involucralibus multo longioribus (1-1½ poll., in illa 2-4
lin. longis) pilis mollibus patentibus 2 lin. longis croceo-rufis v. sordide albi-
dis dense villosis, floribus brevioribus (cum stylo 10-12 lin. longis) calycis
laminis anguste oblongis diu cohaerentibus toto dorso glabris, apice penicillo
laxiusculo croceo-ferrugineo 1½-2 lin. longo tarde deciduo barbatis, stylo
breviore (in illa 14-15 lin. longo) tenuiore demum fere recto, stigmate ipso
parum crassiore minuto atro basi leviter obliquo apice pallido obtuso (in
B. repente multo longiore, ½-⅔ lin. longo, stylo haud crassiore, subcon-
tinuo et fere concolori, subulato, obtusiusculo obsolete sulcato). Amentum
junius (aeque ac in *B. prostrata*) totum tomento denso ferrugineo tectum.

14. ***Banksia prostrata*** R.Br. Meisn. l. c. p. 586.

Swan River, Drummond, coll. III. No. 289.

17. ***Banksia dryandroides*** Bart. Meisn. l. c. p. 588.

Swan River, Drummond, coll. III. No. 287.

DRYANDRA R.Br. Vol. I. pag. 589.

1. ***Dryandra floribunda*** R.Br. Meisn. l. c.

β ***cordata*** Meisn. foliis ovali- v. obovato-oblongis (bipolli-
caribus) basi vix angustatis (summis tantum subinde cuneatis) cor-
datis, aut apice tantum aut ad basin usque spinoso-dentatis.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 344.

Capitula fructifera mole *Juglandis*, bracteis quam in specim. Preiss. duplo
majoribus, leviter striatis, interioribus superne ciliatis nuces (octo) erecto-
adpressas superantibus. Nuces paulo majores magisque striato-rugulosae.

1/1. ***Dryandra praemorsa*** Meisn. ramulis tomentosis.
foliis cuneato-obovatis oblongisque, sinuato-dentatis, apice
truncato v. emarginato muticis, supra glabris subnerviis,
subtus costato-venosis obsolete reticulatis albido-tomentosis,
sinubus acutiusculis, dentibus triangularibus pungenti-acutis;
capitulis terminalibus foliis obvallatis, sessilibus; involucri
floribus quadruplo brevioris bracteis acutis, exterioribus
tomentosis, interioribus longioribus oblongo-linearibus extus
sericeis intus glabris striatis; calyce gracillimo, unguibus
pilosiusculis, laminis villosis-barbatis; stylo calycem ae-
quante, tenui, recto, glabro; stigmate vix crassiore, sub-
continuo, cylindraceo, obtusiusculo, sulcato.

Swan River, Drummond, coll. II. No. 339.

Habitus, foliorum forma et magnitudo fere *D. floribundae*, sed bene distincta foliis subpetiolatis, subtus tomentosis, costis magis conspicuis (demum glabratis) marginibus demum subrecurvis, capitulis et involucri squamis majoribus, interioribus latioribus, calycis (11-16 lin. longi) laminis pilosis apice longiuscule fulvo-barbatis, stylo fortiore et stigmate sulcato. — A *D. cuneata*, cui plurimis notis convenit, dignoscitur foliis nunquam dente terminatis, sed aut truncatis aut levissime emarginato-bifidis mucicis aut mucrone minuto innocuo terminatis, nec non dentibus marginalibus haud spinescentibus, petiolo vix lineam longo aut subnullo et stigmate cylindrico obtusiusculo (nec „subulato-filiformi acuto“). *Folia* constanter ad basin usque subaequaliter dentata, sinus semper plus minus acuti (nec rotundati), dentes acuti quidem et subpungentes sed non in mucronem exeuntes.

2. **Dryandra cuneata** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 590.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 292, forma β *R.Br.* l. c.

4. **Dryandra carduacea** *Lindl.* Meisn. l. c. p. 591.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 340.

5. **Dryandra Serra** *R.Br.* Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 296.

10. **Dryandra formosa** *R.Br.* Meisn. l. c. p. 593.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 293.

10/1. **Dryandra concinna** *R.Br.* foliis lato-linearibus, pinnatifido-incisis, basi cuneata indivisis, lobis divaricatis subaequilateris mucronatis, subtus niveo-tomentosis obsolete nervosis, supra reticulatis; involucri squamis late linearibus, extus tomentosis, interioribus obtusis; calycis laminis lanceolatis glabris, unguibus filiformibus villosis. — *R. Brown* suppl. p. 38.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 341 et? coll. III. No. 295 (steril.)

Planta Drummondiana a diagnosi recedit foliorum lobis constanter decurrentibus ideoque plus minus scalenis, supra reticulatis et involucri squamis exterioribus ovato-triangularibus. De identitate tamen vix dubitandum.

10/2. **Dryandra foliolata** *R.Br.* foliis elongato-linearibus, inciso-pinnatifidis, truncatis cum mucronulo, lobis scaleno-triangularibus acutiusculis parallelo-nervosis subtus niveis; involucri squamis plerisque folio nano terminatis; calyce (semipollicari) stylo $\frac{1}{3}$ superato, unguibus laminisque villosissimis; stigmate duplo longiore quam crasso, subexsulco. *R. Brown* suppl. p. 38.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 343.

Stigma in nostra planta basi haud incrassatum, ut in diagnosi primitiva dicitur.

10/3. **Dryandra squarrosa** *R.Br.* foliis linearibus, dentato-incisis, acutis, subtus niveis, caulinis elongatis, rameis floralibusque brevioribus, omnium lobis distantibus enerviis mucronatis; involucri squamis subulato-linearibus, aristato-acuminatis, glabriusculis, apice recurvis — *R. Brown* suppl. pag. 38.

Swan River, Drummond. coll. II. sine No.

12. **Dryandra nivea** R.Br. Meisn. l. c. p. 594.

Drummond. coll. II. No. 346.

Forma β R.Br., ad *D. Lindleyanam* admodum accedens, involucri priori, foliis vero (quorum lobi extremi tantum subfalcati et adscendentes) posteriori similior, limites inter utramque speciem fere exstinguens.

15/1. **Dryandra carlinoides** Meisn. caule subcorymboso-ramoso, apice tomentoso; foliis subpetiolatis, linearibus, pungenti-mucronatis, basi attenuatis, integerrimis passimque apice paucidentatis, margine revolutis, supra nervis glabris punctato-scabriusculis demum laevigatis, subtus niveo-tomentosis reticulatis; capitulis terminalibus, foliis obvallatis, sessilibus; involucri squamis exterioribus foliiformibus flores superantibus, interioribus brevioribus subulatis setaceo-acuminatis plumoso-ciliatis apice glabratis; calyce glaberrimo demum stylo superato; stigmatē cylindraceo obtuso leviter sulcato.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 345.

Affinis *D. seneciifoliae* R.Br., sed notis indicatis optime distincta. —

Rami satis graciles, nonnunquam subverticillato-approximati, plus minus sulcato-striati, fusci, juniores sordide tomentosi, epidermide cinerea demum rimosa et secedente, internodiis saepe semipollicaribus. *Folia* 1-1½-pollicaria, 1-2 lin. lata, promiscue indivisa et apice 2-3- (raro 4-) dentata, dente terminali lateralibus (quorum unus saepius deest) semper duplo triplove longiore, lateralibus divaricatis 1-2 lin. longis basi ½-1 lin. latis, omnibus mucronato-acutis pungentibus, marginibus arcte et saepius usque ad nervum subtus conspicuum revolutis, ita ut folia fere teretia et subtus canaliculata v. unisulca videantur. *Capitula* magnit. *Juglandis* mediocris, foliis patulis sat dense cincta pauloque superata, involucri bracteis interioribus confertis 6-8 lin. longis, e basi lineari v. subulata setaceo-acuminatis, erectis, pilis albidis tenerrimis fere lineam longis eleganter pennato-ciliatis, acumine demum nudo. *Receptaculum* paleis setaceis dense tectum. *Flores* albi? v. pallide carnei? undique glaberrimi. *Calyx* 7-8 lin. longus, unguibus fere capillaribus, laminis lanceolatis 2 lin. longis, parte concava antherifera apiculo minuto obtuso superata. *Stylus* calycem primo aequans, deinde lin. 2 superans, tenuis, subcompressio-filiformis, hinc sulco levi percursus, excepto apice attenuato stigmatē parum tenuior, totus glaber. *Stigma* ⅔ lin. longum, basi obsolete noduloso-incrassatum.

16. **Dryandra cryptocephala** Meisn. l. c. p. 596.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 297 et 298, status junior, involucri nondum apertis.

17. **Dryandra tenuifolia** R.Br. Meisn. l. c. p. 597.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 294.

18. **Dryandra Lindleyana** Meisn. l. c. p. 598.

Vereor ne a *D. nivea* haud satis distincta sit, cfr. supra adnot. ad No. 12.

21. **Dryandra Preissii** Meisn. l. c. p. 599.

Swan River, Drummond. coll. II. No. 301.

23. **Dryandra** (Aphragma) **Drummondii** Meisn. caule abbreviato, foliis petiolatis, elongato-oblongis, pinnatipartitis; lobis divaricatis, triangulari-oblongis, decurrentibus.

pungenti-acutis, supra enerviis glabris, subtus convergenti-trinerviis tenuiter reticulatis tomentosus demum glabratis; capitula inter folia sessilibus, globosis; involucri squamis linearibus, extus villosissimis, intus glabris substriatis; nucibus suborbicularibus, obliquis, glabris, nitidis, radiatim tenuiter sulcatis, margine compressissimis.

Swan River, Drummond, coll. III, No. 299.

Proxime affinis *D. nervosae*, sed jam foliorum lobis magis triangularibus margine haud resolutis, nervis convergentibus minusque elevatis etc. facile distinguenda. — *Caulis* brevissimus (in nostro exemplari, ut videtur a radice abscisso, circ. 1½ poll. crassus) apice conferte foliosus. *Folia* 10-14-pollicaria, ambitu lanceolato-oblonga (illis *Banksiae Baxteri* similia (ad costam usque pinnatipartita (nonnulla circa capitula lanceolata, 2-3-pollicaria, indivisa aut apice paucidentata); petiolo laevi, subtereti v. angustissime foliaceo-marginato, basi pubescente; sinibus plerumque acutis, inferioribus quam lobi multo latioribus, superioribus iisdem aequalibus v. angustioribus; lobo terminali proximis multo minore lanceolato indiviso v. cuneato 2-3-fido, lateralibus usque ad pollicem longis et 6-8 lin. latis, superioribus subaequilateralis, inferioribus plus minus decurrentibus indeque inaequilateralis, marginibus rectilineis v. leviter arcuatis planis (nec recurvis) nervis tribus subtus conspicuis inter se aequalibus apicem versus convergentibus (quibus saepius prope basin lobi utrinque accedit nervulus tenuior, illis interjectus, ante lobi medium evanescens) venis crebris tenuibus anastomosantibus parum prominulis mox glabris, lacunis tomentosus. *Capitula* 2-3 inter folia sessilia, *Pomi* mediocris mole, fructifera bractearum villis copiosissimis crispulis ferrugineis undique tecta, bracteis interioribus acutis rigidis erectis nuce superantibus. *Flores* (reliquiae nonnullae inter villos involucri repertae et verisimiliter ad speciem nostram pertinentes ostendunt calycem vix pollicarem, unguibus filiformibus dense albido-tomentosis demum spiraliter convolutis, laminis linearibus rectis breviter cuspidatis 3-4 lin. longis, antheras longe superantibus, dorso adpresse fulvo-hirsutis, apice densius longiusque ferrugineo-barbatis.) *Stylus* *Nuces* verticales, oblique lateque obovatae, basi subcuneatae, 7-8 lin. longae lataeque, apterae, atrofuscae sulcis tenuibus eleganter radiatim lineatae (structura penitus sectionis *Aphragma* R.Br. suppl. p. 37) nucleo utrinque convexo circ. dimidium seminis faciente, antice in alam 3 lin. latam transeunte.

THYMELAEAE.

(Auctore C. F. MEISNER.)

PIMELEA Banks et Sol. Vol. I. pag. 601.

- 1/1. **Pimelea modesta** Meisn. foliis oppositis, sessilibus, lanceolatis, obtusiusculis, internodio longioribus, subvenosis ramulisque glaberrimis; involucralibus capitulo terminali pedunculato multifloro demum dimidio brevioribus, herbaceis, late ovatis, acutiusculis, subenerviis, glabris; calyce gracili, inarticulato? tubo medio villoso supra infraque pube rariore et brevioris pilosiusculo, limbi tubo triplo brevioris lobis oblongis acutiusculis genitalia subsuperantibus.

Swan River, Drummond, coll. III, No. 238.

Proxima *P. glaucae*, sed praeter notas jam allatas differt foliis angustioribus (4-6 lin. longis, $1\frac{1}{2}$ -2- raro $2\frac{1}{2}$ l. latis) nervo venisque obsoletis, involucralibus haud longioribus sed duplo latioribus viridibus acutis v. subacuminatis enerviis aveniis haud ciliatis saepe flores subaequantibus. *Calyx* roseus? 5-6 lin. longus, pube (excepto tubi medio) brevi parca haud sericea. *Fruticulus* multicaulis, erectus, spithamaeus, caulibus subsimplicibus tenuibus, capitulis magnitudine cerasi.

1/2. ***Pimelea angustifolia*** *R.Br.* foliis oppositis, linearibus, obtusiusculis ramulisque glaberrimis; capitulis terminalibus, pedunculatis, multifloris; involucri 4-phylli capitulo dimidio brevioris patuli foliolis ovatis, acutiusculis, herbaceis, obsolete venosis, interioribus intus sericeis; calycis dense sericei basi persistente longius villosa, limbi lobis tubo triplo brevioribus oblongis obtusiusculis genitalia parum superantibus.

α **minor**, ramulis tenellis, foliis internodio brevioribus aut subaequalibus vix $\frac{1}{2}$ lin. latis, involucralibus orbiculari-ovatis subenerviis capitulo duplo triplove brevioribus ($2\frac{1}{2}$ -4 lin. longis, 2-3 l. latis).

Nova Cambria australis Frazer. (Herb. Shuttl. et nostr.)

β **major**, caulibus fortioribus, foliis latioribus (usque ad lineam latis) internodio longioribus, involucralibus subrotundis breve acuminatis tenuiter venosis capitulo dimidio brevioribus (3-5 lin. longis, 3 l. latis).

Swan River, Drummond. coll. III. No. 287 et coll. I.

γ **Drummondii**, caulibus fortioribus, foliis latioribus (omnino ut var. β) involucralibus ovatis v. ovato-oblongis obtusiusculis (nec acuminatis) capitulo $\frac{1}{3}$ - $\frac{1}{2}$ brevioribus (4-5 l. longis, 3 l. latis) obsolete venulosis.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 237.

Varietates nonnisi dimensionibus diversae. — *Fruticulus* erectus, corymboso-ramosus, ramis subsimplicibus strictis, *penna corvina* vix crassioribus v. saepe (praecipue in var. α) tenuioribus, junioribus sanguineo-fuscis, internodiis in α 6-8 lin. longis, in β et γ plerumque duplo brevioribus. *Folia* rigidula, mutica, utrinque paulo attenuata, fere semper (exsiccatione?) marginibus plus minus involutis supra canaliculata v. concava, subtus convexa, saepius obsolete venoso-rugulosa, cum involucrio in β et γ laete viridia, in α coeruleo-atroviridia. *Capitula* in α magnit. *Cerasi* mediocris in β et γ majoris v. fere *Juglandis*, deflorata globosa, florum basi persistente dense tecta et quasi tuberculata, pube albo-sericea patula dense villosa, diam. circ. 4 lin. *Calyx* 5-6 lin. longus, extus ubique pube albida aequaliter densa subadpressa, basi paulo longiore et laxiore subsericeo-villosus, intus glaber, luteus? tubo tenui cylindrico, fauce haud ampliata, limbi lobis $1\frac{1}{2}$ lin. longis $\frac{1}{2}$ l. latis. *Stylus* limbum subaequans, tenerrimus, stigmata exiguo capitata. — Var. α accedere videtur ad *P. brevifoliam*, quae differt involucris capitulo $\frac{1}{4}$ brevioribus et calyce supra articulationem „pilosiusculo“.

1/3. ***Pimelea nervosa*** *Meisn.* foliis oppositis, lanceolato-linearibus, attenuato-acutiusculis, subtus uninerviis obsolete venosis ramulisque glaberrimis; involucralibus 4 herbaceis, flores subaequantibus, patulis, late ovatis, acuminatis, mul-

tinerviis, eciliatis, interioribus intus subsericeis; calyce gracili, subsericeo-villoso, basi persistente villosissima, limbi tubo sextuplo brevioris lobis lanceolatis genitalia paulo superantibus.

Swan River, Gilbert 1842, sine No.

Praeter differentias modo expositas omnia fere *P. angustifoliae* β *majoris*. Folia saepe fere pollicaria, usque ad 2 lin. lata, plana aut marginibus incurvis supra concava enervia, subtus nervo venisque leviter prominulis (tamen semper conspicuis) nervosa, subinde obscure triplinervia, summa reliquis plerumque latiora, usque ad $2\frac{1}{2}$ lin. lata; involucralia 5-6 lin. longa, infra medium 3-4 l. lata, acumine 2 l. longo obtusiusculo saepius complicato-concavo, dorso venis crebris nervo medio aequalibus tenuibus (tamen acute prominulis) parum divergentibus radiato-striata et quasi multinervia. Calyx albus v. luteus? 5-6 lin. longus, lobis $\frac{1}{2}$ lin. longis, pube quam in *P. angustifolia* breviora magisque sericea, basi persistente oblonga demum $2\frac{1}{2}$ lin. longa, pilis patentissimis albis dense hirsuta. Nux laevis, viridis, ovata, breviter et obtuse acuminata.

2. **Pimelea decussata** R.Br. Meisn. l. c. p. 602.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 286.

Forma foliis oblongis, solito angustioribus (semipollicaribus 2-3 lin. latis) inferioribus tamen magis ovalibus.

3. **Pimelea rosea** R.Br. Meisn. l. c.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 285.

5. **Pimelea Lehmanniana** Meisn. l. c. p. 603.

Pro calyce extus etc. (lin. 24) lege: calyce supra ovarium extus hispido non rupto, superne etc.

β **nervosa** Meisn. foliis submarginatis, nervo venisque subtus plus minus conspicuis (parum tamen prominulis) involucri foliolis ovatis breve acuminatis subcoloratis.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 284 (ex parte.)

Pili calycis supra ovarium patentissimi rigidique. — Species a *P. hispida* R.Br. (fide sp. Cunningham!) et cult. ex H. Soc. Horticult. Londin.) certe distincta foliis capitulisque fere duplo majoribus, magis coriaceis, involucri foliolis latioribus, floribus dimidio longioribus, tubi parte superiore limboque glabriusculis, fauce infundibuliformi.

5/1. **Pimelea spectabilis** Lindl. Meisn. l. c. p. 603 in nota.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 284 (ex parte) et 283. Murray River, Gilbert No. 8.

10. **Pimelea graciliflora** Hook. Meisn. l. c. pag. 605.

In diagnosi (lin. 20) pro inflatum lege: inflatam.

Forma caulibus erectis ramisque elongatis gracilibus, foliis oblongis v. ovalibus, usque ad pollicem longis, minus coriaceis, haud glaucis, involucralibus 4-5 lin. latis nonnunquam capitulum subaequantibus.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 289.

12. **Pimelea imbricata** R.Br. Meisn. l. c. p. 605.

„Toodgay“, Gilbert, sine No.

Forma genuina, involucri sericeo.

β **glabrata**, foliis involucrique glabris.

P. microcephala Meisn. l. c. 606 in nota (non R.Br.)

Obs. Vera *P. microcephala* R.Br., cujus specimina, non authentica quidem, sed diagnosi bene congrua nuper vidimus in Herb. DC., a *P. imbricata* differt capitulis minoribus, floribus duplo v. triplo brevioribus subtomentoso-puberulis involuero 4-phylo (nec imbricatim polyphylo) constanter superatis, nec non habitu, ramis divaricatis, ramulis brevibus nec gracilibus.

12/1. ***Pimelea cluytioides* Meisn.** glabra, foliis oppositis, spathulato-oblongis, obtusis cum mucronulo recurvo, complicatis, subnerviis, floralibus paulo latioribus planis capitulum pauciflorum superantibus, receptaculo minuto puberulo; calycis glabri lobis ovatis, obtusis, stamina exserta superantibus tubo turbinato sublongioribus, stylo incluso.

Port Philipp, cl. Latrobe 1843. (Herb. Mus. Neocom. et nostr.)

Simillima *P. serpyllifoliae* R.Br., sed vix mera ejus var. *Folia* magis coriacea, 3-4 lin. longa, 1-1½ l. lata (nunquam vere obovata) constanter marginibus incurvis supra concava subtus convexa, obtusa sed mucronulo exiguo (demum deciduo) recurvo apiculata, aut penitus enervia aut nervo subtus obsolete prominulo. *Capitula* ramulos terminantia, 3-5-flora, receptaculo punctiformi brevissime albido-puberulo. *Calyx* flavus, vix 1½ lin. longus, limbo in alabastro subgloboso ovato obtuso. *Stamina* e fauce parum prominula.

13. ***Pimelea longiflora* R.Br.** Meisn. l. c. p. 606.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 288. (R.Brown! in Herb. DC.)

13/1. ***Pimelea phyllicoides* Meisn.** foliis sparsis passimque suboppositis, conferte subadpresso-imbricatis, linearibus, obtusis, muticis, supra subconcavis, subtus subcarinato-uninerviis, junioribus ramulisque pilosiusculis, demum glabris, floralibus paulo majoribus margine subdenticulatis; capitulis terminalibus, calycibus folia parum superantibus, supra basin pilosam articulatis dense subsericeo-lanatis, limbi lobis tubi dimidium superius subaequantibus oblongis obtusis, antheris e fauce exsertis, stylo incluso.

Port Philipp, cl. Latrobe 1843. (Herb. Mus. Neocom.)

Proxima *P. longiflorae*, sed diversa foliis dimidio duplove brevioribus, 2-3 lin. longis, nervo dorsali magis prominulo, summis sub lente margine denticulatis, i. e. punctis elevatis nonnullis apicem versus asperulis, pube fugaciore, capitulis duplo minoribus, floribus paucioribus (6-10) pube breviori lanata potius quam sericea tectis, calycis basi persistente parce pilosa, limbi lobis duplo brevioribus obtusis.

13/2. ***Pimelea octophylla* R.Br.** foliis passim alternis, oblongo-linearibus ramisque villosis, calycis hirsuti tubo limbum quadruplo superante. — R.Brown! prodr. p. 361.

Port Philipp, cl. Latrobe 1843. (Herb. Mus. Neocom. et nostr.) R.Br.! in Herb. DC.

13/3. ***Pimelea villifera* Meisn.** foliis oppositis sessilibus, oblongo-lanceolatis, obtusiusculis, planis, uninerviis internodio longioribus, supra demum glabris, subtus ramulisque pilosis, involucralibus conformibus minoribus confertis calycibusque villosis; capitulis terminalibus, globosis, dense

multifloris; calycis limbo tubum articulatum angustum subaequante, staminibus parum stylo longius superato, lobis lanceolatis.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 239.

Fruticulus 1-1½-pedalis, erectus, corymboso-multiramis, ramis subsimplicibus patulis, singulis capitulo solitario terminatis, internodiis 2-3 lin. longis. *Folia* subcoriacea, semipollicaria, 2 lin. lata (raro paulo latiora) superiora minora, nervo subtus prominulo supra obsoleto, juniora utrinque pilis mollibus longiusculis albidis subadpressis sericeo-villosa, adulta supra glabrata subtus laxius pilosiuscula. *Capitula* magnit. *Cerasi* mediocris. *Calyx* roseus, extus undique pube subsericea albida (ad basin tubi longiore) villosiusculus, 3 lin. longus, tubo angusto vix infundibuliformi, supra ovarium demum rumpente, limbi lobis obtusiusculis filamentis paulo superatis, antheris rubris, stylo tenerrime capillari 4-5 lin. longo, stigmate minute capitato. *Fruct.* non vidimus. — A *P. octophylla*, cui proxime accedit, differt praecipue foliis oppositis et calycis lobis tubum subaequantibus.

14. **Pimelea nana** *Grah.* Meisn. l. c. p. 606. — *Synon.:* *P. pilibunda* *A. Cunningham!* Mss. in Herb. DC. (specim. e Sinu Regis Georgii.)

Swan River, Drummond. coll. III. No. 236.

Pag. 608.

1. **Choretrum glomeratum.**

Post No. 2091 Herb. Preiss. adde: et No. 2116.

Pag. 608.

2. **Choretrum Preissianum.**

Lin. 2 ab ima, pro hacce lege: bacca.

Pag. 614 lin. 15, pro 1820 lege: 1840.

— 621 — 29, ante No. 2629 Herb. Preiss. adde: 1628

Mühlenbeckia adpressa *Meisn.* caule fruticoso spicisque axillaribus simplicibus flexuosis, foliis subrotundis cordatis basive obtusis acuminulatis obtusisve crenulatis (integerrimisve). *Polygonum adpressum* Labill. Fl. Nov. Holl. I. p. 99. t. 127. Rob. Br. Prodr. Fl. nov. Holl. I. p. 420. Opp. ed. N. ab E. p. 276. No. 13.

In arenosis umbrosis inter frutices densos ad fluvium Cygnorum haud procul ab urbicula „Freemantle“, Decembri a. 1838. Herb. Preiss. No. 1205.

„Frutex 2-4-pedalis“ (Preiss.)

Differre videtur a *Mühlenbeckia australi*. caule haud arborescente et foliis haud integerrimis licet obiter tantummodo leniterque crenulatis. *Stigmata* haud plumosa sunt. *Flores* in nostris omnes hermaphr.-feminei. *Racemi* laterales valde flexuosi, omnes fere simplices. (Nees ab Esenb.)

Pag. 625 post *Rumicem oxysepalum* inseratur:

1/1. **Rumex** (Lapathum) **Drummondii** *Meisn.* foliis oblongo-lanceolatis, acutis, basi obtusis, margine minute undulato-crispulis, inferioribus longe petiolatis, summis linearibus; racemis longis, subsimplicibus, apice aphyllis,

verticillis discretis 8-12-floris, pedicellis prope basin noduloso-incrassatis, fructiferis deflexis calyce longioribus incrassatis apice turbinatis; sepalis interioribus (valvis) exteriora oblonga adpressa duplo superantibus ovatis subulato-acuminatis utrinque 1-2-setosis reticulatis obsolete graniferis.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 207 et? (folia tantum inferiora) No. 291.

Specimen bipedale, fructiferum, habitu *R. crispi*, foliis radicalibus deficientibus, ochreis laceris. An *R. Brownii* Campd. Monogr. Rum. p. 81? (*R. fimbriatus* R.Br. prodr. p. 421, non Lam.) qui tamen differre videtur verticillis 5-6-floris, valvis pulchre uncinato-fimbriatis, nervo medio haud tumefacto. — An potius *R. oxysepali* nostri (Pl. Preiss. I. p. 625.) planta matura? *Pedicellorum* articulatio noduliformis, parte basilari persistente demum lineam longa, superiore 2-3 l. longa apice breviter turbinata. *Calycis* fructiferi sepala exteriora erecta, concava, acuta, angulis adpressa, interiora fere 2 lin. longa, 1 l. lata, acumine lineari-subulato recto apice subrecurvo laminam subaequante, dentibus marginalibus utrinque duobus (nunquam pluribus) subulatis basi dilatatis rectis v. vix hamatis, inferiore breviora patulo saepe obsoleto, superiore $\frac{1}{2}$ lin. longo semipatente, nervo medio valvarum orbium in granulum oblongum sanguineum conspicuum modice tumefacto, venis reticulatis acute prominulis. *Stigmata* fimbriata. *Achaenium* laevissimum, nitidum.

1. **Emex Centropodium** Meisn. in *Linnaea* 14, p. 490.

E. australis Steinheil. Miquel in *Lehm. Pl. Preiss. I.* p. 625.

Swan River, Drummond. coll. III. No. 290. (Meisner.)

Pag. 645 ad *Macrozanium* adde: Heinzel in *Nov. Act. Acad. Nat. Curios. Vol. XXI.* tab. 10—13.

Vol. II. Pag. 3, ante *Zanichelliam* inseratur:

CYMODOCEA Koen. Endl. gen. n. 1657.

Cymodocea antarctica Endl. caulibus ramosis annulatis, foliis approximato-alternis linearibus truncatis bidentatis, stipula intrafoliacea truncata brevissima. — Endl. l. c. p. 230.

Ruppia antarctica Labill. *Nov. Holl. 2.* 116. tab. 264. Gaudich. in *Freycin. Voy. Bot.* 430. tab. 40, fig. 2.

Caulinia? *antarctica* R.Br. *Prodr.* p. 339.

Amphibolis zosterifolia Agardh. *syst. alg.* p. 192.

Posidonia antarctica Spreng. *Syst. Veg. I.* p. 181.

Ad litus occidentale Novae Hollandiae. *Herb. Preiss. No. 2718.*

Vol. II. Pag. 15, ad No. 4. *Haemodorum paniculatum* Lindl. adde: Herb. Preiss. No. 1629.

— Pag. 26, post No. 4 inseratur:

Anigosanthus minima *Lehm.* foliis angusto-linearibus subfalcatis flaccidis planis margine hirsutis caule simplici lanato-hirsuto paullo brevioribus, racemo secundo subcapitato, perigonii concoloris tubo superne ampliato incurvo.

In locis arenosis turfosis ad radices jugi Darling'srange m. Novembr. 1840. Herb. Preiss. No. 1419.

Planta spithamaea. *Folia radicalia* caule $\frac{1}{4}$ tantum breviora, graminea, superne utrinque pilis raris adspersa, margine hirsuta, *caulina* 1 rarius 2 sesquipollicaria, pilis purpureis instructa. *Caulis* teretiusculus, simplicissimus, *inferne* tomento canescente adspersus, *superne* pilis saturate purpureis, pinnatim ramosis, fasciculatim dispositis dense obtectus. Racemus subcapitatus, pauciflorus, bracteis perigonio paullo brevioribus, tomento purpureo vestitis. Perigonium saturate purpureum, indumento basilari canescente, semipollicari et paullo longiori, tubos uperne incurvato, laciniis limbi linearibus conniventibus.

Accedit ad *A. humilem* et *bicolorem*, differt a *priore* proxima, praesertim caule dimidio brevioris pilis pinnatim ramosis fasciculatim dispositis adperso, foliis angustioribus et multo longioribus margine tantum hirsutis, basi vix dilatatis, racemo abbreviato subcapitato, bracteis multo longioribus, perigonio saturate purpureo dimidio fere brevioris; a *posteriore* foliis multo longioribus margine tantum hirsutis caulinis etiam planis, perigonio concolori multo crassiori et triplo brevioris; ab *utraque* statura multo humiliore et graciliore.

Vol. II. Pag. 38, post *Thysanotum* inseratur:

ACANTHOCARPUS *Lehm.*

Perigonium 6-partitum, regulare, persistens, laciniis subaequalibus acutis, exterioribus herbaceis margine nudis, interioribus membranaceis. *Stamina* 6 basi laciniarum inserta; filamenta filiformia, glabra; antherae oblongae dorso affixae, loculis contiguis parallelis. *Stylus* subulatus a medio recurvus; *stigma* obtusiusculum parvum. *Capsula* subgloboso-depressa, papulosa dein undique aculeis confertis echinata trilocularis, trivalvis, valvis medio septiferis, loculis dispermis. *Semina* oblongo-subglobosa, testa chartacea, lutea, micropyle papilliformi. Albumen corneum. Embryo in medio albumine filiformis rectus hylocongruus.

Acanthocarpus Preissii *Lehm.*

In locis saxosis jugi montium „Darling'srange“ (Perth) m. Julio. Herb. Preiss. No. 2398! et 428 ex parte.

Suffrutex 2-3-pedalis. *Xerotis* speciem v. gramen potius referens, erectus ramosus, dense foliosus, rigidulus. *Folia* disticha, rigida, linearia, plana, mucronata, nervoso-striata, glabra, patentissima, $1\frac{1}{2}$ pollices longa, semili-

neam lata, laete viridia, basi arcte vaginantia, ore vaginae integro. *Flores* ut videtur pallidi circa apices ramulorum fasciculato-gemini vel terni, brevipedunculati, pedunculo sub perianthio noduloso. *Perianthii* lacinae inferiores extus in medio tuberculatae. *Capsula* straminea.

- Vol. II. Pag. 42, lin. 8 adde: *Ulostachys Preissii* Lehm. in Herb. Preiss. olim.
 — — 68, lin. 12 post No. 1695 Herb. Preiss. adde: et No. 1718.
 — — 78, lin. 4 ab ima, post No. 1781 Herb. Preiss. adde: ex parte.
 — — 82, lin. 21, post Nov. a. 1840 adde: Herb. Preiss. No. 1784.
 — — 82, lin. 22 ante No. 1802 Herb. Preiss. adde: 1801.
 — — 84, post No. 1 inseratur:

Chaetospora elongata N. ab E. culmo nudo compresso, foliis radicalibus culmum aequantibus superantibusve lineari-filiformibus canaliculatis rectis, vaginis longe ciliatis, capitulo terminali ovato involuero 5-6-phyllo paulo breviori, involucri foliolis rigidis ovatis subulato-mucronatis extimo majore, reliquis subaequalibus spiculis parum longioribus, spiculis 1-2-floris squamis nudis chartaceis laevibus.

In Nova Hollandia, loco accuratius non indicato. 4. Herb. Preiss. No. 1560.

Rhizoma multiplex, crassum, fuscum, e fasciculis constans foliorum culmum stipantium crebris. *Folia* culmis paulo latiora, 1-1½ pedes longa, basi angustiori semiteretia et distincte canaliculata, superiora versus magis explanata, margine scabra. *Vaginae* pallide fuscae setis longis crebris ciliatae et barbatae. *Culmus* gracilis, compressus, hinc subcanaliculatus, apicem versus paulo crassior, anceps, laete sanguineus. *Capitulum* e spiculis 5-6 sessilibus. *Involucri* foliolum extimum 5-6 lin. longum, reliqua 3-3½ lin. longa, mucrone brevi, pleraque purpurascentia. *Spiculae* e squamis 5-6 laevibus chartaceis obtusiusculis, quarum penultima fertilis. *Fructificationis* partes quam maxime incompletae in nostro specimine, sed habitu duce haud dubitanter huc retulimus.

- Vol. II. Pag. 84, ad No. 3 *Chaetosporam microstachyam*, post No. 1725 Herb. Preiss. adde: et No. 1868.
 — Pag. 85, ad No. 4 *Chaetosporam nanam*, post No. 1573 Herb. Preiss. adde: ex parte.
 — Pag. 86, lin. 2, post No. 1790 Herb. Preiss. dele: ex parte.
 — — 89, ad *Lepidospermam gladiatam*, post No. 1771 Herb. Preiss. adde: ex parte.
 — Pag. 99, ad *Stipam flavescentem* pro Octobr. 1831 lege: 1841.
 — — 101, lin. 3 ab ima, post No. 1852 Herb. Preiss. adde: ex parte.
 — — 101, lin. 12 ab ima, pro 1830 lege: 1850.
 — — 105, ad No. 3 *Poa nodosam*, post No. 1852 Herb. Preiss. adde: ex parte.
 — Pag. 105, ante No. 4 inseratur:

Poa laevis R.Br. panicula subcoarctata, spiculis 4-5-floris, glumis scabris, perianthii valvula exterior basi parce lanata apice scariosa, foliis setaceo-involutis vaginisque laevibus, ligula brevissima, culmis caespitosis. R.Br. Prodr. pag. 179.

In collibus arenosis insulae „Carnac“ d. S. m. Novembr. 1839. Herb. Preiss. No. 1830.

- Vol. II. Pag. 116, lin. 8 ab ima, post No. 2472 Herb. Preiss. adde: ex parte.

- Vol. II. Pag. 128, lin. 19 ab ima, post No. 2472 Herb. Preiss. adde: ex parte.
 — — 141, pro *Ramalina* lege: *Ramallina*.
 — — 152, lin. 10 ab ima, post No. 2488 Herb. Preiss. adde: ex parte.
 — — 152, lin. 24 ab ima, post No. 2488 Herb. Preiss. adde: ex parte.
 — — 156, lin. 4 ab ima, post No. 2503 Herb. Preiss. adde: ex parte.
 — — 156, lin. 12 ab ima, post No. 2503 Herb. Preiss. adde: ex parte.
 — — 186, lin. 23, pro *antenuina* lege: *antennina*.

APPENDIX.

RHAMNEAE.

(Conf. Vol. I. p. 182.)

Synopsis specierum Novae Hollandiae austro-occidentalis.

Auctore S. REISSEK.

TRYMALIUM.

Trymalium Fenzl. in: Enum. plant. Hügel. pag. 20. Endl. gen. No. 5744.

Subgen. I. ECTRYMALIUM Reiss.

Discus quinquepartitus, lobis subdistinctis liberis, laciniis calycis superpositis, in fructu persistentibus, remotis.

1. **Trymalium globulosum** Fenzl. ramulis junioribus stellato-tomentellis calvescentibus, foliis ellipticis lanceolatis oblongisque supra glabris subtus tomentoso-canis, cymis divaricatis pedicello glomerato-capitatis, petalis longe unguiculatis, calycis fructiferi laciniis conniventibus.

Trymalium globulosum Fenzl. l. c. p. 25.

Pomaderris polyantha Steud. in Lehm., Plant. Preiss. I. pag. 182.

Pomaderris phylliraefolia Steud. l. c. pag. 183 nec Fenzl. cujus species vero Pomaderris.

Pomaderris pyrrophylla Steud. l. c.

Pomaderris aemula Steud. l. c. pag. 182.

Pomaderris globosa G. Don in Lond. hort. Brit. pag. 84.

Ceanothus globosus Labill. Nov. Holl. I. pag. 61. tab. 85.

Frutex 1-2-orgyalis crescit in terra van Leuwin (Labillard. Ferd. Bauer!) In collibus argillaceis ad Freemantle (Hügel!). In arenosis insulae Rottennest (18. Aug. 1839. Preiss. No. 1681.) frutex 5-pedalis; in clivulis ejusdemque insulae arenosis (22. Aug. 1839, Herb. Preiss. No. 1676) frutex 3-pedalis; in clivulis arenosis prope oppidulum Freemantle (15. Oct. 1838, Hb. Preiss. No. 1678), frutex 4-6 pedalis; in arenosis ad fluvium Cygnorum haud longe ab oppidulo Freemantle (13. Decemb. 1839, Hb. Preiss. No. 1677) frutex 8-16-pedalis; in arenosis ad Oyster harbour (Plantagenet) (23. Sept. 1840, Hb. Preiss. No. 1690); in arenosis collibus ad oram maritimam (Perth) (25. Juni 1839, Hb. Preiss. No. 1679) frutex 4-pedalis.

Descript. conf. Fenzl. l. c.

Observ. Stirps altitudine, foliorum magnitudine, nec non paginae inferioris vestimenti densitate ludens. In hortis jam per seriem annorum coli

videtur. In horto caesareo Vindobonensi exstat specimen arborescens, folia latissime elliptica, subtus tenuiter tomentosa ferens, conveniens cum stirpe sub No. 1690 a cl. Preiss edita. *Pomaderrin polyantham* et *phyllirae-foliam* Steudeli ex una eademque stirpe decerptas crederes. Utraque haec folia siccitate pallidius obscuriusve viridia possidet. *Pomaderris pyrrophylla* Steud. foliis siccitate brunescens insignita. *P. aemula* Steud. forma procerior, foliis latioribus obtusis. Haec in hortis nostris communis. Florendi tempus e notis manuscriptis cl. Preiss et Hügel a Junio ad anni usque exitum protractum, eodemque simul tempore fructibus maturis oneratur. Specimen authenticum e manu cl. Labillardière, quod in herbario regio Berolinensi vidi convenit cum illis sub No. 1677 et 1679 collectionis Preissianae.

2. *Trymalium albicans* Reiss.

T. ramulis junioribus striato-angulatis subferrugineo-tomentellis demum canis calvescentibus, foliis ellipticis supra tenuiter velutinis subtus tomentosis albicantibus, cymis divaricatis.

Pomaderris albicans Steud. l. c. p. 184.

In calcareis ad latus montis „Elizamontagne“ m. Mai 1839. Herb. Preiss. No. 1689.

Certe *Trymalii* species, ast subgeneris dubii, alabastra enim nonnisi valde juvenilia suppetunt, in quibus disci conformatio haud probe perspicenda. *Fructus* quoque desunt. Verisimiliter tamen species hic collocanda ob affinitatem notabilem habitualem cum *T. globuloso*, cujus forsans varietatem meram foliis utrinque velutinis sistit. — *Ramulum* stirpis pedalem video substrictum, striato-angulatum, subferrugineo-tomentellum, basi cinerascentem, serius sine dubio calvescentem. *Folia* interstitiis semipollicaribus dissita, pollicaria usque bipollicaria, foliis varietatis latifoliae *T. globulosi* conformia, breviter petiolata, elliptica, obtusiuscula, supra tenuiter velutina, viridi-canescens, subtus tomentoso-velutina, albicantia, tomento e pilis simplicibus, in costa nervisque prominentibus paginae inferioris longioribus, juventute subsericeis constituto. *Stipulae* in foliis evolutis petioli fere longitudine sessiles, ovatae vel ovato-oblongae, acuminatae, scariosae, ferrugineae, ad nervum extus prominulum albo-tomentellae. *Cymae* omnino *T. globulosi*, patentes floribus ad apices glomeratis, bracteis stipulis, excepta forma ovata vel subrotunda, plane congruis ante anthesin obvolutis.

3. *Trymalium spadiceum* Fenzl.

T. ramulis junioribus pilis simplicibus stellatisque tomentosis cinerascentibus, foliis oblongis ovato-oblongis ovalibusque obtusis retusisque supra tenuiter velutinis subtus villosotomentosis vix semiuncialibus, capitulis bracteis scariosis orbicularibus cinctis cymoso-glomeratis.

Pomaderris hirsuta Steud. l. c. p. 184.

Ad King-Georges-Sound (Hügel!); in rupestribus ad tergum montis Clarence (30. Sept. 1840. Hb. Preiss. No. 1673^a).

Descript. conf. Fenzl. l. c.

Subgen. II. TRYMALINA Reiss.

Discus annularis quinquelobus, lobis laciniis calycis superpositis, truncatis, profunde quinquesinuatus, persistens, fructum cingens.

Sect. 1. Petala integra.

* *Flores cymosi vel glomerati.*4. **Trymalium majoranaefolium** Fenzl.

T. ramulis junioribus villosa-tomentosis incanis, foliis unguicularibus brevioribusque late ovalibus et suborbiculatis coriaceis subtus villosa-tomentosis incanis, floribus dense glomeratis, disco profunde 5-loba.

Trymalium majoranaefolium Fenzl. l. c. p. 21.

Variat.:

α **velutinum**, foliis adultis utrinque tomentosis supra velutinis cinerascentibus.

Pomaderris commixta Steud. l. c. p. 184.

In terra van Leuwin (Ferd. Bauer!); ad King-Georges-Sound (Hügel!). In rupestribus ad tergum montis Clarence 30. Sept. 1840. Hb. Preiss. No. 1673^b.

β **calvescens**, foliis adultis supra glaberrimis laevibus.

P. subretusa Steud. l. c. p. 183.

In calcareis summitatis montis Baldhead (Plantagenet) 16. Octb. 1840. Hb. Preiss. No. 1687.

Frutex usque 3½-pedalis. Descript. conf. Fenzl. l. c.

5. **Trymalium brevifolium** Reiss.

T. ramulis tomentosis ferrugineis demum cinerascentibus, foliis uncialibus late ovalibus et suborbiculatis supremis numulariis undulato-denticulatis coriaceis utrinque tomentosis supra demum glabris, floribus cymoso-subfastigiatis, cymis glomeruliferis, disco profunde 5-loba lobis subquadratis.

T. majoranaefolium Lindl. msc. in Herb. Mus. Vindob.

In interioribus austro-occidentalibus (Major Mitchell's Expedition 1836).

Ramum fruticis humilioris annotinum video subpyramidate ramosum, supra pube brevi canescentem vel subferrugineum, demum calvescentem, fuscum. *Folia* usque semiuncialia, inferiora ovata, obtusa, margine subundulato, superiora late elliptica, suborbiculata, supra pilis simplicibus hirsuto-tomentosa, tomento sensim evanido, serius aspera, demum calvescentia, subtus tomentoso-villosa, coriacea. *Stipulae* minutae, ovatae, acutae, scariosae, brunneae, dorso pilosiusculae. *Flores* cymosi, cymis 4-7-radiatis, subfastigiatis, foliatis, ramis apice glomerulum, folio orbiculari petiolato canescente fultum ferentibus. *Bractae* glomerulos ante anthesin obvolventes, imbricatae, subrotundo-ovatae, sessiles, scariosae, ferrugineae vel brunneae, carina albo-pilosae. *Calyx* hirsutissimus. *Discus* anthesi intrante complicatus, obtuse pentagonus, serius germine intumescente expansus, annularis, stellatus, 5-sinuatus, 5-lobus. *Stylus* brevissimus, *stigma* obtuse 4-lobum.

Observ. Species ab omnibus notis primo visu distinguenda ramulis floriferis radios cymae foliatae sistentibus apice glomerulum florum folio numulari orbiculari cano fultum gerentibus.

** *Flores racemosi, corymbosi vel paniculati.*6. **Trymalium Wichurae** N. ab E.

T. fruticosum ramulis apice tomentellis, foliis bi-trilineari-

busque brevissimis petiolatis cuneatis utrinque dense tomentosis pannosis canescentibus, floribus subcorymbosis, fructibus solitariis geminisve inferis calyce corolla staminibusque persistentibus coronatis, coccis tota longitudine hiantibus.

In confragosis montis Blackwell (York) II. Sept. 1840. Hb. Preiss. No. 1220.

Frutex sesquipedalis. *Rami* multipartiti, adultiores glabri, cortice fusco muniti, sicuti folia flores fructusque tomento denso, subtili e pilis fasciculatis constante vestiti, atque incani. *Folia* alterna, circa apices ramulorum conferta, $2\frac{1}{2}$ -3 lineas longa, $\frac{3}{4}$ lineas lata, brevipetiolata, oblongo-cuneata, obtusissima, subinde apice retusa, integerrima, crassiuscula, supra concava, subtus convexa, enervia et avenia, obsolete stipulata, incana. *Corymbi* racemiformes, vel terminales vel accedente uno alterove ex folii penultimi vel et antepenultimi axilla corymbulo terminali nutante (in fructu) plerumque 2-3-florus, subinde unus solummodo flos terminalis. Rhachillae fructiferae cicatricibus 2-4-florum delapsorum tuberculatae, aphyllae. Florentem non vidi. *Fructus* fere penduli, $1\frac{1}{2}$ lineas longi, turbinati vel obconici, tomentosi, omnes quos vidi dicocci. *Cocci* ab apice ad basin secudentia, rima longitudinali aperta. Semen oblongum, nitidum, podospermio brevi suffultum. N. ab E.

7. *Trymalium Billardieri* Fenzl.

T. ramulis tomentellis villosisve demum calvescentibus, foliis semi-pollicaribusve oblongis ellipticis obovatisve supra glabris hirsutisve subtus tomentosis canis demum saepe calvescentibus, paniculis oblongis multifloris, calycis limbo patenti-reflexo, stylo tripartito, capsula obverse ovoidea vertice hispidula.

T. Billardieri Fenzl. l. c. p. 25. (exclus. syn. Labill. cujus species diversa).

a tomentosa, foliis subtus tenuiter ast dense tomentosis hirsutis supra pubescentibus subpubescentibus glabrisve.

T. expansum et *floribundum* Steud. l. c. p. 185.

Ad King Georges Sound (Hügel!); in rupestribus ad clivulum vallis Toodgay-valley (Victoria) 7. Mart. 1840 fructifera, (Hb. Preiss. No. 1683); in solo sublimoso inter saxa ad latus praeruptum vallis cataractae ad caput fl. Cygnorum (25. Jul. 1839 florens Herb. Preiss. No. 1682); ad fluv. Cygnorum. Herb. Preiss. No. 1680. (Drummond. coll. II. No. 718).

β calvescens, foliis adultis utrinque glabratis viridibus.

Ad fl. Cygnorum (Hügel!).

Observ. Descript. conf. Fenzl. l. c. — Species in regionibus ubi reperta *Trymaliorum* vulgarissima videtur. Vestimentum foliorumque forma valde variabilis. *Folia* inveniuntur lanceolata, late elliptica et obovato-elliptica, integra vel dentata. *Species* praepriis probe dignoscenda a reliquis sectionis fructibus subsuperis, setosis, in panicula oblonga dissitis, nutantibus.

8. *Trymalium ledifolium* Fenzl.

T. ramulis puberulis calvescentibus, foliis subconfertis semi-pollicaribusque late linearibus et lineari-oblongis integris margine revolutis obtusis retusisve supra glabris subtus albido tomentosis, racemis subthyrsoideis, calycis tubo puberulo limbo patulo, germine glabro, stylo obsolete trilobo, capsulis subinferis.

T. ledifolium Fenzl l. c. p. 24. — *Cryptandra floribunda glaucophylla et anomala* Steud. l. c. p. 186.

Ad Freemantle et King-Georges-Sound (Hügel!); in solo limoso ad fl. Cygnorum prope praedium rusticum D. Gregory et in valle cataractae (1. Jul. 1839 Herb. Preiss. No. 1675); in asperis montis Greenmountain (27. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 1684); in interioribus ad fl. Cygnorum. (Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 1685.)

Observ. *Frutex* 5-pedalis. *Flores* albi odorati. *Descript.* conf. Fenzl l. c. *Folia* semper plus minusve revoluta, in stirpibus aspera montana inhabitantibus idcirco humilioribus stenophyllis margines foliorum fere reduplicatae. Talis forma *Cryptandra glaucophylla* Steud. Herb. Preiss. No. 1675. Stirps sub No. 1685 Herb. Preiss. ob florum in specimine quod praestat defectum subdubia, tamen probabiliter hujusce speciei varietas mera.

9. *Trymalium rosmarinifolium* Reiss.

T. ramulis puberulis canis calvescentibus, foliis subconfertis semipollicaribus lineari-subcuneatis sublanceolatisve obtusis margine revolutis supra glabris subtus villosis-vel sericeo-tomentosis, racemis thyrsisve fasciculigeris, calycis tubo puberulo.

Pomaderris rosmarinifolia Steud. l. c. p. 184.

In calcareis inter frutices ad tergum montis „Baldhead“ (Plantagenet) 16. Octob. 1840. (Herb. Preiss. No. 1674).

Fruticulus pedalis usque bipedalis, a basi multiramosus. *Rami* patuli, teretes, substriati, juventute pilis brevissimis stellatis sublepidati, cinerascetes, demum glabrati, fusci vel purpureo-fusci, stipulis persistentibus foliorum delapsu muniti. *Folia* interstitiis brevibus dissita, ad apices coarctata, semipollicis et ultra longitudine, patula, breviter petiolata, lineari-subcuneata. rarius sublanceolata, in petiolum angustata, rotundato-obtusa vel retusa, marginibus revolutis, supra ad nervi decursum sulcata, glaberrima, subtus juventute villosa, demum sericeo-tomentosa; subcoriacea. *Stipulae* petiolo evoluto breviores, subovato-triangulares vel anguste triangulares, subulato-acutae, juventute ferrugineae, scariosae, demum fuscae, fragiles, persistentes. *Flores* ad apices ramulorum lateralium aut thyrsoido-racemosi, racemis fasciculos plurifloros gerentibus, aut subpaniculati, paniculae ramis inferioribus longioribus, racemulos gerentibus, superioribus brevissimis, fasciculos ferentibus, stellato-pubescentibus. *Bractee* stipulis simillimae, ovatae vel lanceolatae, acutae, persistentes. *Calyx* pedicelli longitudine, tubo extus pubescente laciniis glabris patulis.

Observ. Stirpem quam in praecedentibus pro nova specie describere cogimur, deficientibus enim pro tempore formis aut transitoriis aut intermediis, probabiliter in posterum inter *T. ledifolia* varietates erit ponenda. Difficillimum inter *Trymalia* fructu ignoto, etsi florum fabrica probe perspecta sit, ambitum specierum limitibus certis ita circumscribere, ut diagnosis dubii expers pateat cuilibet auctori insequenti. Caeterum hic ut in omni ordine peregrinatorum erit cura primaria formas transitorias indagare et colligere.

10. *Trymalium daphnifolium* Reiss.

T. ramulis pilis simplicibus stellatisque tomentellis calvescentibus, foliis semipollicaribus oblongis et oblongo-lanceolatis margine subrevolutis supra juventute puberulis subtus albido vel subflavo-tomentosis, paniculis oblongis, calycis tubo tomentoso limbo pubescente, stylo ultra medium bifido, capsulis subsuperis.

Ad fl. Cygnorum (Drummond!).

Frutex ut videtur 2-4-pedalis multiramosa. *Ramuli* teretes, juventute tomentelli, cinerei, demum calvescentes, lenticellis crebris minutis, obscuris obsessi, fuscii vel fuliginosi, delapsis foliis stipulis persistentibus muniti. *Folia* interstitiis brevibus saepe vix pollicaribus dissita, supra coarctata semipollicis et ultra longitudine, patula, breviter petiolata, lanceolato-linearum, acuta nervo excurrente saepe mucronulata, marginibus revoluta, juniora supra tenuissime hispidula, subtus tomentosa, adulta supra glabra ad nervi decursum sulcata, subtus dense tomentosa, tomento subcinereo vel lutescente. *Stipulae* petiolo evoluta plurimum breviores, sessiles, ovatae vel lanceolato-ovatae acuminatae, nervo prominente extus tomentoso, scariosae, primum subferrugineae, demum fuscae, fragiles, persistentes. *Flores* ad apices ramulorum laterali-um terminaliumque subpaniculati. *Panicula* usque bipollicaris, ramis inferioribus racemulos ferentibus, supremis brevissimis fasciculos gerentibus, termino simplici racemiformi. *Bracteae* stipulis similes ast breviores, deciduae vel persistentes. *Calyx* pedicelli longitudine, tubo extus pilis stellatis simplicibusque intermixtis tomentello, canescente, laciniis patulis pubescentibus. *Capsulae* lineae et ultra longitudine, obverse ovoideae, subsuperae, undique stellato-puberulae, subcanescentes, calyce, corolla staminibusque persistentibus cinctae. *Cocca* prius chartacea, demum indurata, subcoriacea.

Observ. Species in collectionibus Drummondianis prima et secunda sine No. jacens*) in affinitatem *T. ledifolii* et *rosmarinifolii* proximam collocanda. Primo visu ab utraque specie dignoscenda calycis tubo pilis stellatis intermixtis simplicibus tomentello, cano, limbique laciniis pubescentibus et fructus subsuperi obverse ovoidei parte libera pubescente. An forsitan detectis formis intermediis *T. ledifolium*, *rosmarinifolium* et *daphnifolium* specificè coadunanda tempus posterum docebit. Quod tamen de ultima hac specie minus videtur probabile.

11. *Trymalium westringiaefolium* Reiss.

T. ramulis tomentellis cinereis calvescentibus, foliis semi-vel bipollicaribus subcuneato-lanceolatis obtusis supra glabris subtus villosis-tomentosis, racemis usque pollicaribus subthyrsoides fasciculigeris, calyce pubescente.

Pomaderris westringiaefolia Steud. l. c. p. ...

In planitie clivuli calcarei Arthurshead, 23. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1686.

Frutex ex observatione cl. Preiss adscendens. *Ramuli* teretes, juventute stellato-tomentelli, cinerascens, demum glabrati, purpureo nigricantes vel fusco-nigri, stipulis persistentibus delapsu foliorum muniti. *Folia* interstitiis brevissimis dissita, saepe coarctata usque pollicaria, plurimum ultra semipollicis longitudinem, breviter petiolata, petiolo pilis simplicibus subadpressis velato, subcuneato-lanceolata, obtusa, supra a prima juventute glabra, ad decursum nervi sulcata, subtus villosa, albicantia. *Stipulae* petioli longitudine, lanceolatae, subulatae, sessiles, dorso pilosiusculae, scariosae, brunnescentes, demum fragiles, persistentes. * *Bracteae* ovatae vel elliptico-oblongae, conchatae, dorso pubescentes, pube ad nervi decursum densiore, subferrugineae, scariosae. *Racemi* terminales, semipollicis pollicisve longitudine, flores subfasciculatos, fasciculis inferius plerumque ramello fultis ferentes, interdum ramulis longioribus thyrsoides-paniculati. *Calyx* pubescens.

Sect. 2. Petala triloba.

12. *Trymalium angustifolium* Reiss.

T. foliis trilinearibus usque semiuncialibus linearibus mar-

* In iis saltem quas accepit Museum palatinum Vindobonense.

gine subrevolutis supra hirtis subtus tomentosis, cymulis axillaribus folio brevioribus bi- quinquefloris, calyce basi villosa, disco annulari 5plicato, stylo simplici.

Ad fl. Cygnorum (Drummond!).

Fruticulus ex habitu valde similis *Pomaderridi ericaefoliae*. *Ramuli* superiores tenues, flexiles, juventute pilis simplicibus hispiduli, demum altero anno calvescentes. *Folia* sparsa, plerumque 2-4 linearum longitudine, linearia et sublineari-lanceolata, mucronulata, margine revoluta, supra hirta, pilis simplicibus papillis plerumque insidentibus, subtus tomentella. *Stipulae* valde exiguae, membranaceae, pilosiusculae, fugaces. *Cymulae* axillares, 3-5-florae, rarius uniflorae, pedunculis folio ter fere brevioribus sustentae, *bracteis* lineari-setaceis brunneis versus basin rarius munitae, ad apices ramulorum approximatae, racemum thyrsoideum mentientes. *Calyx* basi subadpresse villosus, cinereus, limbo patente glabro. *Petala* unguiculata, ungue lineari, lamina paullo brevior, cucullata, triloba, lobo intermedio majore subcomplicato, lateralibus galeatis obtusis. *Filamenta* basi subdilatata, apice in setulam repente angustata et discreta, antherae cordato-subglobosae. *Discus* ima laciniarum calycinarum basi ovarium circumdans et tegens, stellatus, quinquesinuatus, quinquelobus, lobis subquadratis antice emarginatis. *Germen* glabrum triloculare. *Stylus* distinctus, cylindricus, *petalis* dimidio brevior, *stigma* obsolete trilobum lobis mamillaribus.

CRYPTANDRA.

CRYPTANDRA Sm. in Linn. transact. IV. p. 217. Brongn. in Ann. des sc. nat. X. p. 372. Endl. Gen. n. 5742.

Subgen. I. EUCRYPTANDRA.

Discus distinctus, subrotundus, quinquecrenatus, tomentosus. — Folia saepissime subfasciculata et in sicco acerosa.

* *Calyx tomentellus vel villosus.*

1. *Cryptandra scoparia* Reiss.

C. ramulis subflexuosis patentibus tenuissime pubescentibus calvescentibus, foliis lineam vel 3 lineas longis uninerviis linearibus marginibus revolutis supra subpubescentibus demum glabris subtus tomentellis subconcoloribus, stipulis setaceis, floribus glomeratis bracteis calyce campanulato ad limbi lacinias extus pubescente duplo brevioribus.

In arenosis inter frutices sylvae haud longe ab urbicula „Perth“, S. Maj. 1839. Herb. Preiss. No. 1215.

Frutex bipedalis, radice subfusiformi, trunco erecto, scopario, ramulis adscendentibus. *Calycis* limbus campanulatus, amplior, extus sericeo-indutus, bracteas excedens. *Folia* crassiuscula, marginibus revolutis, in statu sicco contiguis, in statu humido distantibus, superficie tunc sulcum latiusculum, sericeo-micantem monstrante, pagina superior convexa sulculo angustissimo exarata. *Foliorum* pubes brevissima. N. ab E.

2. *Cryptandra divaricata* Reiss.

C. ramulis subflexuosis divaricatis tenuissime puberulis calvescentibus, foliis lineam vel 2 lineas longis uninerviis linearibus marginibus revolutis conduplicatis supra tenuissime glanduloso-puberulis subtus tomentellis, stipulis setaceo-acuminatis, floribus ad ramulorum apices spicato - et glomerato-approximatis, bracteis calyce campanulato inferne tenuissime superne densius tomentello 4plo brevioribus, stylo glabro.

In interioribus austro-occidentalibus (Major Mitchell's Expedition 1836).

Fruticulus ramis strictis, subflexuosis, ramulis subpyramidate dispositis, divaricatis, puberulis, demum calvescentibus, rimulosis, fuscis. *Folia* lineam vel 2 lineas longa, hic inde subfasciculata, brevissime petiolata uninervia linearia marginibus revoluta conduplicata, supra tenuissime glanduloso puberula, subtus tomento albo velata. *Stipulae* folio ter quaterve breviores, lanceolatae, setaceo-acuminatae, margine scarioso albicante, persistentes. *Flores* ad ramulorum divaricatorum apices subspicatae et glomerato-approximatae e longinquo saepius quasi capitatae. *Bractae* calyce pluries breviores. *Petala* unguiculata, ungue lamina subcrenata triplo circiter breviora. *Stylus* glaber, *stigma* obsolete trilobum.

Observ. Species proxima praecedenti, differt praecipue floribus laxius dispositis, subspicatis, bracteis calyce pluries brevioribus, plerumque quartam ipsius partem longitudine aequantibus et nonnisi imam basin fulcientibus, calyce ex integro tomentello, licet tomento versus basin parciore.

3. *Cryptandra tomentosa* Lindl.

C. ramulis patentibus tenuissime tomentellis calvescentibus, foliis lineam vel 2 lineas longis uninerviis linearibus margine revolutis conduplicatis supra dense tenuiter puberulis subtus tomentosus, stipulis setaceo-acuminatis, floribus ad ramulorum apices spicato - et glomerato-approximatis, bracteis calyce campanulato inferne tomentoso superne tomentoso-piloso triplo brevioribus, stylo basi pubescente.

C. tomentosa Lindl.! msc. in herb. Mus. Vindob. et Berol.

— *C. nutans* Steud. l. c. p. ... sed flores haud nutant.

β **glabrata**, Sond. foliis glabris vel subglabris. (Sond.)

Cryptandra oxyphylla Steud. msc.

In austro-occidentalibus interioribus (Major Mitchell's Expedition 1836); in arenosis sylvae haud longe ab ora maritima „Perth“. (Herb. Preiss. No. 2424.) Swan River (Drummond. coll. II. No. 498 et 499).

Var. β, in arenosis sylvae haud procul ab oppidulo Perth. Herb. Preiss. No. 316.

Fruticulus ramis mox subscopariis, mox trunco continuo undique ramulos patentes, subaequilongos protrudente fere pyramidatis, juventute villo molli canis, serius calvescentibus fuscis. *Folia* lineam vel 2 lineas longis subfasciculata, brevissime petiolata, uninervia, linearia, margine revoluta et complicata, vel solum subrevoluta, supra tenuiter ast dense puberula, subtus albo tomentella. *Stipulae* sessiles, ovatae vel lanceolatae, setaceo-acuminatae, scariosae brunneae vel fuscae persistentes. *Bractae* calyce triplo vel quadruplo breviores, squamiformes dilatatae, rotundatae, scariosae. *Flores* ad ramulorum apices spicato-approximatae, interdum circa ramulum interstitiis usque plurilinearibus dissitae, spicam quasi glomeruliferam mentientes. *Calyx* campanulatus, albo-tomentellus, subvillosus, villo imprimis ad limbi laciniarum apices densiore.

Observ. Specimina a Mitchellio lecta a cl. Lindley communicata vestimento paginae superioris foliorum magis conspicuo, subvelutino differunt a speciminibus Preissianis et Drummondianis. Specimina Preissiana porro macriora ex habitu valde ad *Cryptandrae Sieberi* formas pygmaeas vergunt. Soli sterilioris sine dubio sunt. *C. Sieberi* exceptis reliquis notis facile foliis subtus glabris dignoscitur.

4. **Cryptandra pungens Steud.**

C. ramulis divaricatis subulato-spinescentibus spinis patentibus vel subrecurvis puberulis calvescentibus, foliis bi-trilinearibusque uninerviis linearibus marginibus revolutis subconduplicatis supra glabris verruculosus subtus albo-tomentosis, stipulis lineari-setaceis, floribus ad spinas fasciculatis, bracteis calyce tubuloso-infundibuliformi tomentoso multoties brevioribus pedicellos tegentibus, stylo glabro.

C. pungens Steud. l. c. p. . (florifera). *C. holostyla* Steud. l. c. p. . . (fructifera).

In arenosis sylvae haud longe ab ora maritima (Perth) (Herb. Preiss. No. 2422); in clivulis calcareis haud longe ab ora maritima (Perth) (Herb. Preiss. No. 2423); Swan River (Drummond. coll. I. sine No.).

Frutex usque sesquipedalis, saepe vix spithameus, trunco subcontinuo sursum multiramoso, interdum subpyramidate ramoso. *Ramuli* juventute pube simplici cinerascens, demum glabrati et plerumque nigro-verrucosi. *Ramelli* laterales annotini, semipollicares vel pollicares patentibus, apice spinescentes, subulati, spinis saepissime subrecurvis. *Folia* subfasciculata, lineae vel 2 linearum raro ultra longitudine, brevissime petiolata, linearia, uninervia, margine revoluta et saepe conduplicata, supra verruculosa, subtus tomento albo velata. *Stipulae* sessiles, ovatae, in cuspidem linearem attenuatae, scariosae, brunneae, persistentes, demum induratae. *Flores* omnium specierum minimi, semilineae et paullo ultra longitudine, fasciculati, fasciiculis 3-6-floris. *Bracteae* pedunculi basin tegentes. *Calyx* subinfundibuliformis, extus dense albo-tomentosus. *Petala* unguiculata, lamina subtriloba, lobis rotundatis. *Stylus* glaber, faucem subsuperans.

5. **Cryptandra Leucopogon Meisn.**

C. ramulis strictiusculis puberulis demum glabris, foliis subfasciculatis usque 2 lineas longis linearibus rotundato-obtusis margine revolutis subcomplicatis supra glabris subtus tomentosis, stipulis obsoletis, floribus sparsis subsolitariis, calycis tubo glabro bracteis imbricatis adpressis incluso et cupulato, laciniis albo-tomentosis apice sericeo-plumosis.

C. Leucopogon Meisn. mscept.

In planitie arenosa prima cis fluvium Gordon (Herb. Preiss. No. 752).

Fruticulus pygmaeus, specimen quod praestat palmare, ramulis strictiusculis, erectis, juventute tenuissime albido-puberulis, demum glabratis, nigro-fuscis. *Folia* sparsa, hic inde fasciculata, vix petiolata, linearia, arctissime marginibus revolutis conduplicata, ideoque subtrigona, obtusata, supra glaberrima, laevia, subtus tomento albo velata. *Stipulae* brevissimae, obsoletae. *Flores* versus ramulorum apices sparsi, solitarii. *Bracteae* dilatatae, conchatae, scariosae, brunneae, cupulam imbricatam calycis tubum arcte amplectentem formantes. *Calyx* tubulosus, lineae longitudine et ultra tubo glabro, limbo patente, laciniis lanceolatis, albo-tomentellis, apice sericeo-plumosis. *Petala* brevissime unguiculata. *Stylus* faucem superans, stigma obsolete trilobum.

Observ. Species proxima *C. speciosae* All. Cunn. sec. Hook.; recedit foliorum forma, calycis laciniis plumosis, petalis brevissima unguiculatis et stylo exserto.

** *Calyx glaber.*

6. **Cryptandra? miliaris** Reiss.

C. foliis linearibus margine revolutis subfasciculatis, floribus spicato-approximatis, calyce tubuloso-campanulato, disco tenui glabro.

α **lasiophylla**, foliis pubescentibus.

C. lasiophylla Steud. l. c. p.

β **psilophylla**, foliis glabris.

C. glabrata Steud. l. c. p.

Crescit α in arenosis sylvae prope „Pointwater“ (Perth), 17. Jul. 1839. Herb. Preiss. No. 2420^a. β ibid. Herb. Preiss. No. 2420^b.

Fruticulus sesquipedalis, ramis patentibus ramulisque subpyramidatis, rarius scopariis, juventute tenuissime pubescentibus, demum glabris, fusciscentibus, epidermide rimulosa. *Folia* subfasciculata bi- vel trilineariter, brevissime petiolata linearilanceolata, acutiuscula uninervia margine subrevoluta, exsiccata saepe subcomplicato-revoluta, utrinque glabra, vel supra pubescentia et subtus glabra. *Stipulae* petiolo duplo longiores, ovato lanceolatae setaceo-acuminatae, scariosae, brunnescentes. *Flores* versus ramulorum apices approximati, breviter pedunculati, spiculam racemiformem mentientia. *Bractae* dilatatae scariosae brunnescentes. *Calyx* tubuloso-campanulatus. *Petala* subsessilia, conchato-cucullata. *Discus* tenuis glaber.

Observ. Haec species forsitan *Wichuraeae* vel generi alieno erit adnumeranda. Indagationi ulteriori sit recommendata. Flores in praesenti non nisi imperfecti suppetunt e quibus licet disci fabricam diversam perspiciamus, tamen de penitiori structura in dubio haeremus.

Subgen. II. SOLENANDRA.

Discus indistinctus, germen strato tenui obvestiens glaber. — Folia sparsa membranacea aut subcoriacea.

7. **Cryptandra pomaderroides** Reiss.

C. ramulis ferrugineo-tomentosis, foliis semipollicaribus elliptico-obovatis obovatisque obtusis retusisve integris nervis subtus prominentibus supra glabriusculis subglandulosis subtus subferrugineo-villosis demum cano-tomentellis, floribus glomerato-subcapitatis terminalibus, calyce albo-tomentoso.

C. pomaderroides Reiss. in Nov. stirp. dec. n. 36.

In interioribus austro-occidentalibus (Roë).

Descript. conf. l. c.

8. **Cryptandra coronata** Reiss.

C. ramulis subtomentellis calvescentibus hic inde innovantibus innovationibus brevibus subflagellaribus, foliis ad apices ramulorum confertioribus subverticillatis cuneatis apice trun-

cata tridentatis utrinque tomentosis, floribus glomerato-subcapitatis terminalibus, calyce cano-tomentoso.

Ad Swan River (Drummond, coll. II. No. 722).

Fruticulus palmaris aut sesquipalmaris, trunco plerumque continuo a basi pluriramoso. *Ramuli* patentes, saepe debiles et subflagellares, extremitatibus foliorum verticillo spurio coronatis, glomerulum capituliformem ferentes, pube parca stellata, demum fugace subtomentelli. *Folia* interstitiis pollicaribus dissita, plurima ad apices ramulorum spurie verticillata, brevissime petiolata, cuneata, apice truncata, tridentata, dente intermedio saepe obsoleto, utrinque tomentosa, tomento subtus densiore. *Stipulae* folii semilongitudine, ovatae, acumine longo setaceo, fuscae, persistentes. *Flores* terminales, glomerato-subcapitati. *Calyx* sesquilinearis vel bilinearis extus cano-tomentosus limbo patente. *Petala* unguiculata. *Stylus* faucem attingens.

Observ. Species praecedenti proxima, insignis foliorum conformatione et innovationibus subflagelliformibus, saepe interstitio bi- vel tripollicari foliis denudatis.

9. *Cryptandra tridentata* Steud.

C. ramulis pubescentibus demum calvescentibus, foliis semipollicaribus obovatis subcuneatisque apice tridentatis emarginatisve supra glabris, subtus pubescentibus tomentosisve, floribus subglomeratis, bracteis lineari-setaceis calyce cano tomentoso.

α pubescens, ramis brevioribus distortis nodosis foliis minoribus subtus juventute pubescentibus vel tomentellis demum glabris.

C. tridentata Steud. l. c. p.

In occidentalibus (Herb. Preiss. No. 2421).

β tomentosa, ramis gracilioribus, foliis majoribus subtus tomentellis albidis tomento persistente.

In arenosis inter frutices densos ad latus meridionale montis „Eliza“ (Perth). 25. Sept. 1839. Herb. Preiss. No. 1216.

Frutex bipedalis. *Calyx* intus et petala purpurea. *Fructus* ellipsoidei subinferi. N. ab E.

Subgen. III. CORISANDRA.

Discus ambitu et centro margine liber, sinuosus.

10. *Cryptandra mutila* N. ab E.

C. ramulis pubescentibus subspinescentibus, foliis linearibus margine revolutis scabriusculis, floribus binis quaternisve fasciculatis fasciculis ad ramulorum apices saepe approximatis racemum mentientibus, calyce glabro campanulato. N. ab E.

Inter saxa calcarea clivuli haud longe ab ora maris (Perth) (19. Jun. 1839. Herb. Preiss. No. 1217); inter saxa calcarea vallis haud longe a „Woodman's-point“ (Perth) (15. Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 1229); Swan River (Drummond, coll. II. No. 723).

Fruticulus ericoideus, mox spithameus pauciflorus, mox 1-2-pedalis multiflorus ideoque habitu paullo ludens. *Folia* linearia vel bilinearum, ericoidea, linearia, marginibus revolutis, saepe complicatis. *Stipulae* setaceae. *Calyx* late campanulatus, glaber. *Petala* conchato-cucullata, in

unguem lamina paullo brevior angustata. *Stamina* filamentis tubo adnatis, sub disco incertis, apice infracta contorta antheriferis. *Discus* pubescens, lobis rotundatis. *Stylus* faucem attingens, cylindricus, glaber; *stigma* obsolete bi- vel trilobum.

Observ. Stirps disco ambitu et centro distinctius limitato et sinuoso petalorumque forma *Trymalio* accedit. Formae utriusque generis intermediae probabiliter latent in regionibus interioribus Hollandiae Novae.

WICHURAEA N. ab E.

Calyx tubo cylindraceo-subconico, basi inflato, libero, limbi quinquefidi laciniis triangulis, acutis. *Corollae* petala quinque, limbi incisuris inserta, brevissime unguiculata, fornicato-galeata. *Stamina* petalis inclusa; filamenta subulata, incurva, ad tubi fundum decurrentia; antherae dorso medio fixae, biloculares, cordiformes, loculis appositis, superne confluentibus, longitudinaliter latere dehiscentibus. *Discus* annulariter perigyno-epigynus, quinquelobus, lobis liberis germi incumbens postice sinuatis, tomentosus, marginibus loborum applicatis. *Germen* semiliberum, triloculare. *Geminulae* in loculis solitariae, subsessiles. *Stylus* distinctus, subcylindricus, faucem superans, *stigma* tridentatum. *Capsula* supera, calyce corollaque persistente involuta, stylo coronata, disco expanso annulari elobo basi cincta, ovoideo-globosa, membranaceo-crustacea, trilocularis septicida. *Carpidia* cocciformia, dorso convexa ventre angulata, sutura ventrali tota longitudine et dorsali ad medium fissa bivalvia. *Semina* in loculis solitaria.

Fruticuli Novae Hollandiae austro-occidentalis, ericaeformis, pyramidaliter ramosissimi, ramulis subspinescentibus, foliis alternis, subfasciculatis, oblongo-linearibus, uninerviis, margine revolutis, stipulis scariosis persistentibus, floribus ad ramulorum apices approximatis, subsessilibus, bractearum scariosarum imbricarum cupula cinctis, glabris, albis.

Cryptandrae spec. Fenzl l. c.

Genus dicatum cl. *Wichurae*, ingenioso de plantarum gemmis in partes oppositas se evolventibus disputationis auctori. A *Cryptandra* cui proximum differt: 1) *Disco* annulariter perigyno-epigyno quinquelobo, lobis postice sinuatis. 2) *Germine* semilibero. 3) *Carpidiis* bivalvibus. *Disci* structura *Trymalio* proxime accedit.

1. *Wichuraea arbutiflora* N. ab E.

W. foliis lineari-oblongis margine revolutis subconduplicatis hirtis demum glabris, calycis conico ovoidei limbo erecto, petalis fornicato-galeatis, stigmatate tridentato.

Cryptandra arbutiflora Fenzl. l. c. p. 26.

In solo limoso-arenoso sylvae illustris prope oppidulum Guildford. Julio et Aug. 1839. Herb. Preiss. No. 472 et 465. — Ad King-Georges-Sound (Hügel!), Swan River (Drummond!). — Flores candidi venusti, fructus grani cannabini magnitudine. — v. v. in horto Hügeliano.

2. **Wichuraea tubulosa** N. ab E.

W. foliis lineari-oblongis margine revolutis saepe subconduplicatis glaberrimis calycis cylindraceo-conici limbo revoluti, petalis fornicato-cucullatis, stigmatate obsolete trilobo.

Cryptandra tubulosa Fenzl. l. c. p. 26.

In rupestribus umbrosis lateris septentrionalis montis Clarence (Plantagenet) Decbr. 1840. Herb. Preiss. No. 473. (Ad flux. Cygnorum. Hügel! Drummond!)

Fruticulus bipedalis.

POLYGALEAE Juss.

COMESPERMA Labill. Endl. gen. No. 5649 (ex parte). Meisner gen. p. 23 (20) (ex parte).

Revisionem generis nec non synopsis specierum tum novarum
tum alibi descriptarum

offert

JOACHIM STEETZ.

Omnes hujus generis species, hactenus notae, Australasiam incolunt. Post cl. *Labillardière* (*), generis auctorem, qui anno 1806 species quinque descripsit et iconibus illustravit, cl. *de Candolle* (**), anno 1821 species quatuor addidit, quarum una, *Comesperma flavum* DC. a cl. *Delessert* (***) anno 1837 delineata est. Anno 1830 cl. *Aug. de St. Hilaire et Alfr. Moquin-Tandon* (†), celeberrimi totius Polygalearum familiae scrutatores, speciebus aliquot Brasiliensibus genus nostrum auxerunt, quos auctorum recentiorum plurimi secuti sunt, donec cl. *Bentham* (††) species Americanas, diversitate juste perspecta, anno 1842 rursus exclusit, et sub *Cateocome* nomine, novi generis caractere proposito, differentias earum, quae jam habitu valde discrepant, l. c. egregie exhibuit. — Praeter hos scriptores nemo de *Comespermatis* genere (proprio sensu) disseruit, nisi cl. *Endlicher* (†††), qui anno 1837 duas species novas, a cl. Hügel allatas (tertia ejusdem nova species, *Comesperma simplex*, eadem est ac *Comesperma virgatum* Labill.), descripsit, et cl. *Steudel* (†), qui specimina, a cl. Preiss collecta, nominibus et definitionibus adumbravit.

Nonnulla herbaria ditissima perlustrans, e. g. herbarium regium Berol.

*) *J. J. Labillardière* Novae Hollandiae plantarum specimen. Paris 1806. T. 2, p. 21 sqq. t. 159 sqq.

**) *De Candolle* Prodr. syst. natur. Paris 1821. T. 1, p. 331.

***), *Benj. Delessert* Icones selectae plantarum. Paris 1837. Tom. 3, p. 12, tab. 29.

†, *Aug. de St. Hilaire et Alfr. Moquin-Tandon*, deuxième memoire sur la famille des Polygalées, in: Memoires du Muséum d'histoire naturelle. Paris 1830. Tom. 19, pag. 329, 330.

††) *G. Bentham*, in: Hooker Journal of Botany. London 1842. Tom. 4, pag. 101 sqq.

†††) *St. Endlicher*, in: Enumerat. plantar. a Hügel collect. Vindobon 1837 pag. 7.

†) *E. T. Steudel* in hoc opere. Vol. 1, pag. 206 sqq.

linense, herbarium cel. Willdenowii, herbarium Palatinum Vindobonense, quae liberalitati et benevolentiae ell. virorum Klotzsch et Fenzl debeo, quibus hic gratias ago quam maximas, mihi contigit, specimina authentica plurimarum specierum descriptarum comparare, nec non species aliquot vel novas vel nondum descriptas examinare, quare conatus sum, in genus nostrum paullo fusius inquirere, quod conamen lectorum indulgentiae summo opere commendaverim.

Character generis, species non nisi Australasiacas amplectentis, emendatus hic erit:

Comesperma Labill. l. c. *Bentham* l. c.

Calyx 5- sive 4-sepalus, deciduus; *sepala* 3 sive 2 exteriora parva, uno postico, uno sive duobus anticis, 2 interiora majora petaloidea alaeformia. *Corollae petala* 3 (rarissime 5), hypogyna, mediante tubo stamineo inferne coalita, decidua: anticum magnum, concavo-galeatum, genitalia includens, postica 2 oblonga, (rarissime lateralia 2 minuta accessoria). *Stamina* 8; *filamenta* in tubum stamineum postice fissum, medio tenus monadelphum connata, supra medium sive diadelpa, sive libera; *antherae* basi affixae, erectae, uniloculares, apice poro dehiscentes. *Ovarium* a latere compressum, biloculare; *ovula* in loculis solitaria, a dissepimenti apice pendula. *Stylus* terminalis, versus apicem incrassatus, lateraliter compressus, curvatus, deciduus, apice sive brevissime bilobus, sive bicurris; *stigma* terminale. *Capsula* compressa, membranacea, spathulata, versus basin in stipitem attenuata (rarissime suborbicularis), bilocularis, margine loculicide dehiscens. *Semina* in apice loculorum solitaria, pendula, pilis longissimis (rarissime brevibus), comosis, deorsum spectantibus undique involuta. *Embryo* in axi albuminis mucilaginosi orthotropus; *radicula* teretiuscula, brevis, supera.

Plurimae species fruticosae sive suffruticosae sunt, paucae subherbaceae, omnes vero *radice* perenni instructae.

Caulis plerumque erectus, ramosus, raro simplex, in paucis volubilis, aliis plantis sustentatus, sive scandens sive imo prostratus, in omnibus teretiusculus, plus minusve striato-sulcatus, utplurimum inferne cicatricibus sive projecturis post foliorum lapsum persistentibus et decurrentibus obsitus, sive raro omnino nudus, superne cum *ramis* plerumque angulatus est.

Folia in omnibus speciebus sessilia, vel brevissime petiolata, exstipulata, alterna, plerumque conferta, in paucis sparsa et rara, semper integerrima, crassiuscula, avenia, saepissime uninervia et punctata, rarissime bracteaeformia sunt, caeterum varia forma. Plerumque projecturis caulibus persistentibus insident, cum iisdem articulata, rarissime in caulem continue decurrunt, sive basi cum cortice omnino concreta sunt.

Flores in apice ramulorum plerumque racemosi, vel raro corymbosi, breviter pedicellati, colore roseo sive violaceo sive coeruleo, raro luteo adornati sunt. In unica specie solitarios, axillares, sessiles, secus caulem et ramos sparsim dispositos vidi.

Pedicelli uniflori, basi articulati, apice paullisper incrassati, erectopatuli, utplurimum glaberrimi, *bracteis* deciduis tribus; raro subaequalibus, plerumque duabus lateralibus membranaceis minimis, intermedia latiore et majore, interdum valde elongata, subherbacea stipati sunt.

Calycis sepala exteriora sive tria subaequalia, ovata, plus minusve obtusa, nempe duo antica et unum posticum, sive duo inaequalia, scilicet

unum anticum latius, obovatum, apice bilobum (certissime e duobus connatum), et unum posticum angustius, ovatum, plerumque sepalis interioribus triplo, quadruplo, interdum nonnisi paullisper breviora sunt. In aliis speciebus crassiuscula, in aliis membranacea, margine pallidiora, enervia sunt.

Sepala duo interiora, cum sepalo exteriori postico alternantia, (quae vulgo „*alae*“ dicuntur, quam denominationem in descriptionibus equidem adoptavi), petaloidea, ovata vel obovata, obtusa vel raro acutiuscula, colorata, venosa, basi angustata et sessilia, sive unguiculata, petala plerumque paullisper superant *).

Corolla irregularis et valde singularis, in omnibus speciebus conformis est. Equidem structuram hanc observavi. *Petala* vidi tria, hypogyna, mediante tubo stamineo basi connata, rarissime *petalis* duobus minutis lateralibus, accessoriis aucta, sive si mavelis: video *tubum stamineum* basi antica clausum, supra medium et postice fissum, ovarium stylumque obtegentem, utrinque lobo oblongo petaloideo erecto (*petala postica* auctorum) auctum, basi antica cum *petalo maximo carinaeformi* superne galeato (*petalum anticum*, sive *carina* auctorum), filamenta et styli partem superiorem includente connatum, cui rarissime basi petalum minutum laterale, accessorium, utrinque adhaeret **).

Carina (petalum anticum), basi angustissima tubo stamineo adnata (quo loco suturae facillime dignoscuntur), plicata, sensim utrinque latior fit, versus apicem pronatur, et imaginem galeae, antice clausae, postice apertae, refert. Forma ejus et color in speciebus diversis variant, in singulis valde constantes sunt. Saepissime eam bicolorem inveni, basi flavam, roseam vel violaceam, in parte galeata citrinam, sive auream, sive coeruleam, in colorem citrinum sensim abeuntem. In parte antica clausa sive recta, sive arcuata, sive gibba, sive corniculata, plus minusve pronata, cucullata (cucullo plerumque textura crassiore), in apice postico aperto, plerumque truncata et emarginata, sive denticulata, rarius truncata et margine integra est. *Carina* lateribus sive utrinque dilatata ***), sive lobo obtuso aucta est, qua parte petala postica plerumque amplectuntur; interdum vero petala postica superiore parte libera, a carina paullisper remota sunt.

Petala postica, carina subaequilonga, sive paullo longiora sive breviora, glabra, vel basi medio tenus levissime ciliata, vel intus, vel utrinque puberula aut barbata, membranacea, tenuia, pallida, vel apice colorata,

*) *Alae* ab omnibus auctoribus pro *veris sepalis interioribus* habentur. Inprimis ell. St. Hilaire et Moquin-Tandon l. c. et in „*Mémoires du Muséum d'histoire naturelle*. Paris 1828. Tom. 17 pag. 313 sqq. symmetriam florum partium summa eruditione et sagacitate exposuerunt, atque quae de dignitate floris organorum in Polygaleis proponunt, argumentis, ex ordinum plantarum affinitate desumptis egregie probarunt, ut, quae opponenda videntur, paucis absolvi non possint. — Nihilominus tamen non possum non hoc loco commemorare, in pluribus *Comespermatis* speciebus, *alae* cum *petalis* arcte concretas, in omnibus vero corollae leviter adhaerentes, a me esse observatas, quae observatio sententiam de *indole calycina* alarum in dubium vocare, et *naturam petaloideam* probare videtur.

**) In *Catocoma* Benth. corollae structuram omnino diversam video. Quum enim in *Comespermate* tubus stamineus cum petalis posticis ita arcte connatus sit, ut pro appendiculis ejus haberi possint, petala postica in *Catocoma* juxta tubum stamineum collocata, fere libera, nonnisi ima basi ei adhaerent. Quare, si in *Comespermate* petala postica removentur, tubum stamineum ipsis continuum simul auferunt, et ovarium stylumque reddunt conspicuum, dum in *Catocoma* remotis petalis posticis, ovarium stylusque etiam a tubo stamineo obteguntur.

***) Forma *carinae* a plerisque auctoribus prave intellecta, et nullibi rite delineata est. Non semper enim triloba est, qualis minus accurate inspecta videatur. Dum enim apex galeatus et cucullatus deorsum inclinatur, utrinque lateraliter intussuscipitur, unde plica oritur, quae lobum lateralem simulat.

recta sive paullo torta, plerumque obtusa et integra, subinde apice crenulata sunt.

Petala lateralialia duo minuta accessoria, ubi adsunt (in unica tantum specie mihi obvia fuerunt), eodem loco collocata observavi, quo in *Catocoma* Benth. semper reperiuntur, i. e. tubo stamineo ima basi utrinque adnata.

Filamenta in tubum stamineum, monadelphum, antice basi medio tenuis clausum, supra medium et postice fissum, infra medium cum carina et petalis posticis coalitum, supra liberum connata sunt. Pars libera aequaliter divisa est, plana, venosa, diadelpa, apice antherifera, antheris utrinque quatuor, plerumque subsessilibus, sive filamenta paullo supra divisionem omnia libera, planiuscula sunt.

Antherae basi affixae, erectae, urceolatae, uniloculares, apice poro amplo dehiscentes.

Ovarium a latere compressum, biloculare, obovatum, apice plerumque subemarginatum, in omnibus speciebus conforme et (excepta forsitan unica) glaberrimum observavi.

Ovula in omnibus speciebus seminibus conformia sed minora, eodem modo affixa, pendula vidi.

Stylus basi filiformis, rectus, glaberrimus, sensim dilatatus et lateraliter compressus, plerumque versus apicem curvatus, interdum medio geniculatus, apice sive subtruncatus, breviter bilobus, sive bicurvis est, crure superiore porrecto, plerumque acuto, inferiore deorsum spectante obtuso, stigmatifero.

Stigma terminale, simplex, truncato-capitatum, papillosum.

Capsula membranacea, compressa, cuneato-spathulata, apice dilatata, emarginata, mucronulo in emarginatura, utrinque ala parva triangulari, obtusangulo aucta, sive utrinque rotundata, mucronulata, vix emarginata, rarissime margine calloso undique cincta, in stipitem plus minusve longiusculum attenuata, sive rarissime sine omni stipite basi abrupte angustata, in utraque pagina sulco longitudinali exarata, bilocularis, bivalvis, margine loculicide dehiscentis, plerumque glaberrima est.

Semina in apice loculorum solitaria, pendula, complanata, oblonga, sive suborbicularia, processu persistente, brevi, tereti, in summo dissepimenti apice affixa, caruncula membranacea, pellucida hinc, scilicet in latere dissepimento proximo, cincta, sive ecarunculata, pubescentia, et insuper pilis longissimis, sericeis, comosis, in fundum usque capsulae dependentibus, undique involuta sunt *).

Antequam ad specierum definitionem vertor, liceat paucis verbis hic monere, in statu vivo omnium specierum, quod ad corollae et praesertim carinae formam attinet, characteres verisimiliter exhibere bonos atque constantes, in speciminibus vero siccis difficillime observari, et vix verbis juste et clare exprimi posse, unde fortasse factum est, ut descriptio hic illic naturam minus accurate exprimeret. Magnitudinem relativam vero, praesertim floris partium, plerumque valde constantem inveni, quare mensuram semper fere descriptioni addidi, et quidem mensuram Parisiensem, quae a cl. Linnaeo in philosophia Botanica ed. 2. Berolin. 1780. tab. 10 delineata est.

*), Structura capsulae et seminum in *Catocoma* Benth. omnino alia est, ac in *Comespermate*, ut cl. auctor generis l. c. egregie exposuit. Capsula enim *Catocomae* semper carnosula, non membranacea, nec stipitata, sed non nisi sensim angustata est. Semen totum fere loculum occupat, neque solummodo ad apicem loculi redactum est, ut in *Comespermate*. Denique differunt semina *Catocomae*: caruncula brevissima in apice seminis, et coma non nisi a hilo, ubi oritur, dependente nec totum semen involvente.

Sectio I. EUCOMESPERMA.

Calycis externi sepala tria subaequalia, nempe duo antica et unum posticum, alis triplo quadruplove breviora.

§ 1. *Erecta*: caule erecto suffruticoso plus minusve ramoso folioso; alis obovatis apice obtusis basi attenuatis; filamentis basi monadelphis supra medium diadelphis utrinque antheris 4 subsessilibus terminatis; stylo versus apicem curvato.

1. **Comesperma retusum** *) *Labill.*

C. glabrum, foliis oblongis obtusis basi attenuatis margine planis, floribus corymbosis congestis, pedicellis flores aequantibus vel paullo superantibus, bracteis minimis obtusiusculis subaequilongis, stylo apice brevissime bilobo, seminibus caruncula destitutis.

Comesperma retusa Labill.! Nov. Holl. T. 2. p. 22. t. 160
DC! prodr. T. 1. p. 334. No. 1.

Comesperma compacta Sieb. herb. Nov. Holl. No. 365!
Herb. Willdenowii No. 13033!

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-orientali, circa Port-Jackson, Botany Bay etc. et in insula van Diemen. Labillardière! Sieber! Ferd. Bauer! Lawrence! Gunn! Hügel! etc. (v. s.)

Species notissima! Fruticulus 2-3-pedalis et ultra. *Caulis* crassitie pennae corvinae, interdum jam inferne, semper versus apicem ramosus. *Folia* conferta, internodiis plerumque dimidio longiora, 2½-4 lin. longa, 1½-2 lin. lata. *Bractee* minimae, obtusiusculae, valde caducae, subaequilongae, intermedia paullo latiore. *Flores* 2-2½ lin. longi, ex sicco rosei videntur. *Sepala externa* ovata obtusiuscula, glaberrima, lineam longa. *Alae* carina dimidio fere longiores. *Carina* basi rosea, versus cucullum discolor, lutescens, parum pronata, parte antica recta, lateribus valde dilatata, et petala postica, ipsa paullisper longiora, amplectens. *Styli* lobus superior porrectus acutus, inferior deorsum spectans, obtusus. *Capsula* matura 4½-5 lin. longa, apice 1½-1½ lin. lata, glabra, spatulata, apice utrinque ala minuta, membranacea, triangulari, obtusangula aucta, quare ibi truncato-emarginata est; in stipitem valde abrupte abit, qui multo gracilior est quam in icone Labillardieriana. *Semen* caruncula omnino destitutum, sericeum, lineam longum, coma 4-4½ lin. longa sericea vestitum.

Variat: foliis majoribus, 5-8 lin. longis, et floribus 3-3½ lin. metientibus. Haec forma praesertim in Novae Hollandiae ora orientali reperta est, dum forma primaria plerumque in insula van Diemen occurrit. Caeterum nullam differentiam inter utramque formam detexi.

2. **Comesperma latifolium** *Steetz.*

C. glabrum, foliis lanceolatis acutis basi attenuatis margine reflexis, floribus racemosis congestis, pedicellis flores paullo

*) Spermata, et σπέρμα, vox latina et graeca, utraque neutrius generis est.

superantibus, bracteis minimis acutis intermedia lateralibus duplo longiore, stylo apice brevissime bilobo.

Comesperma calymega herbar. Bauer! (non Labill.)

Hab. in insula van Diemen. Ferd. Bauer! (Vidi specimina in herb. palatino Vindobonensi!)

Species distinctissima! Suffrutex, ut videtur, 1-2-pedalis, versus apicem in multos ramulos racemiferos divisus. *Caulis* ramique propter projecturas ad basin foliorum longe decurrentes et valde prominentes magis angulati videntur, quam in plerisque speciebus. *Ramuli* tenues gracilesque. *Folia* conferta, supra subtilissime punctata, nervo medio subtus valde prominulo, omnium specierum maxima, 8-14 lin. longa, plerumque pollicaria, saepe 3 lin. lata, in sicco glauca videntur. *Flores* in apice ramulorum racemos pollicares, vel demum longiores, plus minusve densos formant. *Pedicelli* 3 lin. longi, *bracteis* 3 caducis, acutis, intermedia lateralibus duplo longiore, $\frac{3}{4}$ lin. fere longa, stipati sunt. *Flores* $2\frac{1}{4}$ lin. longi, eadem fere forma et structura ac in specie praecedente. Color petalorum in planta sicca distingui non potest. *Stylus* omnino ut in praecedente. *Capsula* in speciminibus desideratur.

3. *Comesperma acutifolium* Steetz.

C. glabrum vel caule levissime puberulum, foliis sparsis oblongis vel linearibus mucronatis margine reflexis, floribus racemosis laxiusculis, pedicellis flores subaequantibus, bracteis minimis acutis intermedia lateralibus duplo longiore, stylo apice brevissime bilobo, seminibus carunculatis.

Sieber herb. Nov. Holl. No. 534!

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-orientali, circa Port-Jackson, Twofold-Bay, etc. Hügel! Ferd. Bauer! Sieber! et in insula van Diemen, Gunn.! (v. s.)

Species quoad formam foliorum valde variabilis et forsan dividenda. Attamen transitus numerosi formae unius in alteram distinctionem strictiorem non admittunt, saltem non in speciminibus siccis.

Frutex, ut videtur, elatus, rigidus. *Caulis* interdum crassitie pennae anserinae, vel jam basi, vel solummodo in apice ramosus, inferne teres, projecturis vix decurrentibus, glaber vel interdum pubescentia brevi patenti vestitus. *Ramuli* in apice ramorum conferti, subverticillatim dispositi, angulati. *Folia* sparsa quidem, sed internodiis multoties longiora, brevissime petiolata, basi vix attenuata, apice acuta et rigide mucronata, margine reflexa, subtus pallidiora, nervo medio supra vix conspicuo, subtus prominulo, sive oblonga, 4-5 lin. metientes, $1-1\frac{1}{2}$ lin. lata (specimina Hügeliana), sive linearia, 5-8 lin. longa, $\frac{1}{2}-1$ lin. lata (specimina Sieberiana et Baueriana: specimina Gunniana inter utramque formam ambigunt). *Racemi* in apice ramulorum plerumque breves, pollicares, demum interdum 2-pollicares, oblongi, obtusi. *Pedicelli* $2\frac{1}{2}-3$ lin. longi, *flores* roseos aequantes vel paullo superantes. *Bractee intermediae* lineam fere aequant. *Sepala* et *alae* ut in *Comespermate retuso*. *Carina* et *petala postica* paullulum latiora videntur, et subaequilonga, caeterum non differunt. *Stylus* omnino ut in speciebus praecedentibus, sed lobus superior subtruncatus. *Capsulas* maturas vidi in unico specimine Baueriano. Multo breviores sunt quam in *Comespermate retuso*, 3 lin. longae, apice $1\frac{1}{2}-1\frac{3}{4}$ lin. latae, glabrae, apice utrinque ala membranacea, angusta quidem, aucta, minime vero ala triangulari sed rotundata, aequali. *Semen* oblongum, lineam metiens, cinereo-pubescentis, et coma sericea 3 lin. longa indutum, caruncula nivea, longe ultra basin producta, latere interiori cinctum.

4. **Comesperma linariaefolium** *Cunningh. mss.*

C. glabrum vel caule levissime puberulum, foliis confertissimis subimbricatis linearibus mucronatis basi obtusis margine arcte revolutis, floribus racemosis congestis, pedicellis flores subaequantibus, bracteis minimis acutis intermedia lateralibus duplo longiore, stylo apice brevissime bilobo.

Comesperma linariaefolia *Cunningh.!* mss. in herb. regio Berolinensi.

Comesperma conferta herbar. Bauer! (non Labill.)

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-orientali. *Cunningham!* Hügel! Ferd. Bauer! (v. s.)

Species antecedenti proxima, et forsan nil nisi ejus varietas. Quum vero capsulam, quae forsan differentias essentielles exhibere posset, nondum viderim, et quum planta revera habitum valde peculiarem prae se ferat, equidem non haesitavi, eam ut propriam speciem hic enumerare, eo nomine, sub quo in herbario regio Berolinensi asservatur.

Tota planta multo rigidior est. *Caulis* post foliorum lapsum cicatricibus densissime obsitus est. Projecturae multo magis prominent quam in specie praecedente, sed aequae breviter decurrunt. *Folia* breviora, 3 lin. longa, rarissime $3\frac{1}{2}$ lin. excedunt, basi obtusiora, margine multo magis revoluta, lineam vix lata, in caule ramisque densissime conferta, subimbricata racemos terminales attingunt. Praeterea *racemi* densiores, ovati, et ante anthesin multo acutiores sunt. *Pedicelli* flore plerumque breviores, 2 lin. longi. *Flores* $2\frac{1}{2}$ - $2\frac{3}{4}$ lin. longi saturatius rosei videntur, caeterum nec forma nec statura differunt. Reliqua omnia ut in praecedente, sed *capsula* in omnibus speciminibus, quae suppetunt, desideratur.

5. **Comesperma ericinum** *DC.*

C. glabrum vel asperulum, foliis sparsis anguste linearibus abbreviatis mucronatis margine revolutis, floribus racemosis laxis, pedicellis flores subaequantibus, bracteis minutis acuminatis intermedia lateralibus duplo longiore omnibus diutius persistentibus, stylo apice brevissime bilobo, seminibus carunculatis.

Comesperma ericina *DC.!* prodr. T. 1. p. 334 No. 4.

Comesperma conferta Herb. Hügel! (e Nova Holl. orientali, non Labill.)

Comesperma nudiuscula herb. Bauer! (non DC.)

Polygala Banksii Herb. Jacquin!

Sieber herb. Nov. Holl. No. 364!

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-orientali, Botany-Bay, Port-Jackson etc. Ferd. Bauer! Sieber! Hügel! et in insula van Diemen, Gunn.! (v. s.)

Proxime quidem accedit ad species duas antecedentes, certissime vero speciem propriam exhibet. Jam prima facie distinguitur: foliis multo brevioribus, racemis angustioribus laxioribus demum valde elongatis, floribus angustioribus, et bracteis angustis acuminatis multo diutius persistentibus.

Frutex elatus. *Caulis* inferne crassitie pennae anserinae, valde ramosus, teres, cicatricibus sparsis munitus, et verrucis minimis asperulus. *Folia* 3 lineis rarissime longiora, semilineam lata, rigida, acuta, subpungentia, glabra, vel interdum setulis brevissimis asperula, margine revoluta, subtus concoloria, sparsa vel subconferta, sed nunquam confertissima ut in *Comespermate linariaefolia*. *Racemi* in apice ramulorum terminales, 1-2-pollicares,

demum 3-4 pollices excedentes, angusti. *Pedicelli* 2-2 $\frac{3}{4}$ lin. longi, flores subaequantur. *Bractea* intermedia linea non raro paullisper longior est. *Flores* pallide vel saturate rosei, plerumque angustiores et graciliores sunt, quam in speciebus antecedentibus; *carina* lateribus paullo magis dilatata, *petala postica* aequilonga fere omnino involvit. *Stylus* ut in praecedentibus. *Capsula* matura glabra, 3-3 $\frac{1}{2}$ lin. longa, spathulata, apice utrinque ala minuta, membranacea, triangulari, obtusangula aucta, vix emarginata. *Semen* nigrescens, pubescens, lineam longum, ellipticum, caruncula supra basin longe producta hinc cinctum, coma sericea capsulae longitudinis undique vestitum.

Variat: foliis apice paullo latioribus, lineam fere latis, et racemis paullo brevioribus. Haec forma in insula van Diemen occurrit, sed nullam aliam differentiam ostendere videtur.

6. *Comesperma confertum* Labill.

C. glabrum vel pubescens, foliis confertis elongato-linearibus mucronatis margine arcte revolutis, floribus racemosis dense congestis roseis, pedicellis flores subaequantibus, bracteis acuminatis intermedia lateralibus minutissimis multoties longiore, stylo apice brevissime bilobo, seminibus carunculatis.

Comesperma conferta Labill.! Nov. Holl. T. 2. p. 23. tab. 161. DC.! prodr. T. 1. p. 334. No. 3. Endl.! in Enumer. plant. Hügel. p. 7. No. 20, et Herbar. Hügel! (e Nova Holland. occidentali).

Comesperma longifolia Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 206. No. 1.

Herbar. Willdenowii No. 13034!

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Terra van Leuwin, Labillardière! Prope Freemantle ad flumen Swan-River, Hügel! In arenosis sylvae prope Limekiln, distr. Perth. d. 29. Nov. 1839, Preiss! Herb. Preiss. No. 2359! et No. 2364! (ex parte) (v. s.)

Specimina Preissiana cum Labillardierianis authenticis et cum icone citata optime congruunt!

Suffrutex 2-3-pedalis, glaberrimus (in forma primaria). *Caulis* validus, basi divisus sive simplex, teres, versus apicem vel simplicissimus, vel in ramulos paucos secundarios, breviores, subverticillatos abiens, ibique cum ramulis plus minusve angulosus. *Folia* conferta, angustissime linearia, propter marginem arcte revolutum semiteretia, apice rigide mucronata, mucrone plerumque subrecurvo, 6-11 lin. longa, semilineam vix lata. *Flores* in apice ramulorum dense congesti, parvi, 1 $\frac{1}{2}$ lin. vix longi, laete rosei, racemosi, racemo demum elongato, subpyramidato. *Pedicelli* 1 $\frac{1}{2}$ -2 lin. longi, fructiferi patentes, bracteis tribus caducis stipati, quarum laterales caducissimae, membranaceae, minutissimae, vix conspicuae, $\frac{1}{4}$ lin. longae, intermedia subherbacea, elongata, acuminata, 2 lin. interdum excedens, glabra, vel hinc inde longiuscule ciliata. *Sepala* externa ovata, acutiuscula, vix semilineam longa. *Alae* 1 $\frac{1}{2}$ lin. longae, apice paullisper cucullatae, carinam subexcedentes. *Carina* parva, valde obtusa, rotundata, in apice partis apertae sive posticae emarginata, lateribus dilatatis *petala postica* subaequilonga, margine postico basi medio tenuis leviter ciliolata, includens. *Stylus* brevissime bilobus, subtruncatus, lobo inferiore valde recurvato. *Capsula* matura obovato-spathulata, glabra, nitens, punctata, pruinosa, 3 lin. longa, in stipitem 1 $\frac{1}{2}$ -linearem attenuata, utrinque margine angustissimo, alaeformi, apice aequali, rotundato aucta, versus apicem 1 $\frac{1}{4}$ lin. lata, et vix atque ne vix quidem emarginata. *Semen* nigrescens, pubescens, oblongum, $\frac{3}{4}$ lin. metiens, hinc caruncula membranacea, pellucida, nivea cincta, coma sericea, caduca, stipitis longitudine vestita.

Observavi varietatem:

β) *hirtulum* Steudel, caule pubescente, foliis brevioribus latioribusque pilis brevibus plus minusve dense munitis, bracteis margine densius ciliatis.

Comesperma hirtula Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 209. No. 9.

Comesperma ericina herbar. Bauer! (ex parte, non DC.)

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, Ferd. Bauer! In calcareis inter frutices prope oppidulum Freemantle d. 18. Decemb. 1838, Preiss! (Herb. Preiss. No. 2362!) et in turfoso-humidis umbrosisque ad lacum prope Woodman's-point. Perth, d. 18. Decemb. 1838, Preiss! (Herb. Preiss. No. 2364! ex parte).

Haec forma certissime nil est nisi varietas. *Folia* sive angustiora, longiora, 7-9-lineares, parce puberula (in No. 2364 Herb. Preiss.), sive latiora, crassiora, obtusiora, breviora, 4-7 lin. longa, lineam interdum lata, et dense pubescentia sunt (in No. 2362 Herb. Preiss. et in specimine Baueriano). Reliqua omnia, flores fructusque, imo pedicellos glabros ut in forma primaria observavi, ad quam No. 2364 ita proxime accedit, ut vix distingui possit.

7. *Comesperma acerosum* Steetz.

C. glabrum, foliis confertis linearibus subtrigonis pungenti-acuminatis, floribus racemosis laxiusculis, pedicellis flore paullo brevioribus, sepalis externis 3 latis valde obtusis, carina in apice clauso corniculata, stylo apice brevissime bilobo.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan River Colonia, Drummond! (Herbar. Drummond. Collect. 1. No. 431! Collect. 2. No. 492!) (v. s.)

Species haec, quoad habitum *Epacridis* speciem aliquam simulans, distinctissima est!

Radix crassa, perpendiculariter descendens, simplex, vix fibrosa. *Caulis* rigidus, erectus, glaber (ut tota planta), 1-3-pedalis, inferne pennae corvinae crassitie, cicatricibus post foliorum lapsum sparsis exasperatus, teres, lineis elevatis sursum incrementibus striato-angulatus, simplicissimus, sive apice in ramos perpauca divisus, foliosus. *Folia* glabra, sparsa, internodiis tamen plus duplo longiora, irregulariter alterna, arrecta, basi projecturis in caulem longe decurrentibus insidentia, et cum iis articulata, subsessilia, crassa, linearia, margine plana, vel subincurva, nervo medio subtus valde prominulo, et inde convexa, subtrigona, pallida, utrinque concoloria, punctata, inferiora acuta, superiora acuminata, pungentia, 4-8 lin. longa, $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ lin. lata, *racemum* terminalem, laxiusculum, brevem, pollicem vix superantem, attingentia. *Pedicelli* 1-1 $\frac{1}{2}$ lin. longi, flore paullo breviores, uniflori, versus apicem paullulum incrassati, patentes. *Bracteas* in speciminibus jam effloratis, quae sola suppetunt, non vidi; verisimiliter etiam in hac specie caducae sunt ut in plerisque. *Sepala* tria externa minuta, ovata, latissima, obtusissima, membranacea, medio atro-purpurea, margine pallidiora, subrosea, omnino enervia, $\frac{3}{4}$ lin. circiter longa et aequilata. *Alae* glaberrimae, obovatae, obtusae, basi attenuatae, laete roseae, fere violaceae, 2 lineas aequantes. *Carina* glabra, basi pallide, medio et supra medium laete rosea, cucullo laete citrino, in apice clauso corniculata, i. e. parte superiore antica cornu denticuliformi, obtuso, patente, plerumque roseo aucta, *petala postica* subaequilongia vel paullisper breviora, apice laete rosea, basi medio tenuis leviter ciliolata, lateribus amplectens. *Stylus* brevissime bilobus. Reliqua ut in hujus paragraphi speciebus omnibus. *Capsulam* maturam non vidi.

Obs. In hac specie *alae* cum *corollae petalis* ima basi arcte cohaerentes observavi.

8. **Comesperma flavum** DC.

C. glabrum, foliis confertis elongato-linearibus obtusiusculis subnerviis margine planis, floribus subcorymbosis flavis, pedicellis flores subsuperantibus, bracteis minutis acutis intermedia lateralibus duplo longiore, stylo apice brevissime bilobo, seminibus caruncula destitutis.

Comesperma flava DC! prodr. T. 1. p. 334. No. 5. *Delessert!* Icon. sel. plant. T. 3. p. 12. tab. 20.

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali (?), teste cl. de Cand. l. c. Lechenault. Ferd. Bauer! In ora australi-occidentali, ad sinum regis Georgii III. Hügel! (v. s.)

Specimen authenticum hujus speciei quidem non vidi; sed specimina Bauariana et Hügelianum hoc sub nomine in herbario palatino Vindobonensi asservata huc pertinere, extra omne dubium mihi videtur, quoniam cum icone cl. Delessert bene conveniunt, exceptis *pedicellis*, qui in speciminibus, quae vidi, paullo breviores sunt, et lineas 2 vix excedunt, atque *petalis posticis*, quae non glaberrima, sed a basi medio tenus margine leviter ciliolata observavi. Caeterum figura plantam optime refert, quare nil addam, nisi *capsulae* descriptionem, quae in icone desideratur, et pauca haec:

Flores non vere corymbosi sunt, sed ut in *Comespermate retuso* racemum abbreviatum sive contractum, vix semipollicarem, valde obtusum formant. Specimina nostra versus apicem in plurimos ramos breves, racemiferos, parcius foliatis, divisa sunt. *Folia* omnino fere enervia, carnosula, subtus concoloria, margine plana sunt. *Flores* 2-2½ lin. longi. *Carina petala postica* lateribus amplectitur. *Capsula* glabra, spathulata, sensim in stipitem angustata, 4 lin. longa, apice utrinque ala triangulari, obtusangula aucta, lineam fere lata, subtruncata, levissime emarginata. *Semen* lineae longitudine, nigrescens, pubescens, coma sericea, longa omnino tectum, et caruncula plane destitutum.

9. **Comesperma xanthocarpum** Steudel.

C. glabrum, foliis confertis elongato-linearibus acutiusculis subnerviis margine arcte revolutis, floribus racemosis flavis, pedicellis flores subaequantibus, bracteis minutis acutis intermedia lateralibus duplo longiore, stylo apice brevissime bilobo, seminibus caruncula destitutis.

Comesperma xanthocarpa Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 209. No. 11.

Comesperma flava Endl.! in Enum. pl. Hügel. p. 7. No. 21. (fide speciminis authentici!)

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in solo subturfoso-arenoso prope oppidulum Perth, d. 15. April 1839, Preiss! (Herb. Preiss. No. 2368!) ad flumen Swan-River, Hügel! Drummond! Collect. 2. No. 490! (v. s.)

Proxime ad speciem antecedentem accedens, nil forsitan nisi ejus varietatem exhibet, quare lubenter confiteor, me aegre ut propriam speciem eam hic recepisse. Attamen, quum jam a cl. Steudel proprio nomine promulgata sit, et habitum paullo esse diversum negari non possit, equidem tollere nolui speciem, cujus differentiae leves observationibus ulterioribus in patria ipsa, sive in planta culta instituendis, mox forsitan evanescent, quod eo magis vereor, quo magis formae intermediae jam in exemplaribus siccis obviae mihi fuerunt. Differentias vidi has:

Tota planta gracilior est. *Folia* plerumque acutiora, et margine arcte revoluta, praesertim versus apicem subteretia sunt. (An hoc etiam in planta viva signum constans?) *Racemus*, quamvis contractus quidem, semper

tamen longior est, et pollicem saepissime excedit, praeterea forma pyrami-
dato-ovata, ante anthesin valde acuta gaudet. *Flores* fere dimidio breviores,
 $1\frac{1}{2}$ lin. rarissime longiores video. *Alae* et inferior *carinae* pars pallide
flavae sunt, apex cucullatus aureus est. *Petala postica* plerumque omnino
glaberrima sunt. *Capsula* straminea aequilonga quidem, sed apice angustior,
vix $\frac{3}{4}$ lin. lata, atque summo apice iterum paullo contracta est. *Semina*
densius villosa, albo-sericea, et paullisper minora vidi, quam in *Comesper-*
mate flavo. Caruncula etiam omnino destituta sunt.

Obs. In utraque specie *alae corollae petalis* ima basi arcte adhae-
rent.

10. *Comesperma secundum* Banks herb.

C. hispidulum, ramis divaricatis, foliis confertis late ovatis
mucronatis basi attenuatis margine planis, floribus racemosis
secundis, pedicellis flores subaequantibus, bracteis minutis ova-
tis acutis intermedia lateralibus duplo longiore, stylo apice
biceruri.

Comesperma secunda Banks. herb. in DC.! prodr. T. 1.
pag. 334. No. 2.

Hab. in Novae Hollandie ora intra tropicum, prope flumen Endeavour, Ferd.
Bauer! (v. s. in herb. Palatino Vindobonensi!)

Specimina quae suppetunt, quoad inflorescentiam quidem manca, sic
observavi.

Caulis omnino teres, lignosus, setis brevibus patentibus albidis confer-
tissimis undique hispidulus, inferne post foliorum lapsum cicatricibus pluri-
mis obsitus, superne in *ramos* et *ramulos* paucos subverticillatim dispositos,
valde divaricatos, foliosos divisus. *Ramuli racemis* brevibus vix pollicari-
bus, angustis, secundifloris terminati. *Folia* densissime conferta, subverti-
cillatim alterna, crassiuscula, caulis instar utrinque et margine plano setis
brevibus albidis hispidula, in petiolum brevissimum hispidulum attenuata,
sive sessilia, projecturis insidentia et cum iis articulata, late ovata, apice
abrupte et acutissime mucronata, nervo medio obsoleto, 3-4 lin. longa, $1\frac{3}{4}$ -3
lin. lata, *racemum* terminalem, laxiusculum sub anthesi 8-12 lin. longum
attingentia. *Flores* glabri, parvi, 1-1 $\frac{1}{4}$ lin. longi, in *pedicellis* subaequi-
longis, patentibus, glabris, versus apicem paullisper incrassatis. *Bracteae*
minutae, ovatae, acutae, intermedia lateralibus duplo longiore, semilineam
metiente, glabriusculae, caducae quidem, sed diutius persistentes, quam in
plerisque caeteris speciebus. *Sepala externa* tria ovata, obtusiuscula, minuta,
glabra, alis plus triplo breviora. *Alae* carina paullo longiores, obovatae,
basi attenuatae, $1\frac{1}{4}$ lin. longae. *Petala postica* carina aequilonga. Color et
forma *carinae* propria e floribus paucis examinationi perviis, erui non pos-
sunt. *Filamenta* et *antherae* ut in omnibus hujus paragraphi speciebus.
Stylus apice biceruris, qua nota ab omnibus praecedentibus egregie differt,
crure superiore suberecto paullo longiore, apice brevissime bilobo, *infe-*
riore brevior, recurvo, et, ut videtur, stigmatifero. *Capsula* fere matura
 $3\frac{1}{2}$ lin. longa, glabra, sensim in stipitem 2 lin. longum attenuata, apice sub-
emarginato-spathulata, lineam lata, et utrinque ala minuta, triangulari, obtus-
angula aucta, summo apice paullisper contracta. *Semen* immaturum lineam
aequans vel subsuperans, angustum, dense pubescens, et coma longa, depen-
dente involutum, caruncula plane destitutum videtur, quoniam ejus nullum
vestigium video, quum in seminibus carunculatis aliarum specierum jamdiu
ante maturitatem facillime dignosci possit.

11. *Comesperma Drummondii* Steetz.

C. hispidulum, ramis erecto-patulis, foliis confertis oblongis
obtusis basi attenuatis margine planis, floribus racemosis, pe-

dicellis flores paullo superantibus, bracteis parvis filiformibus intermedia lateralibus duplo longiore, stylo apice brevissime bilobo.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia, Drummond! Collect. 2. No. 491! (v. s.)

Inter omnes species, proxime ad praecedentem accedens, tamen etiam ab hac egregie distincta!

Caulis fruticosus, lignosus, inferne $2\frac{1}{2}$ -3 lin. crassus, post foliorum lapsum cicatricibus sparsis tectus, subvelutinus sive demum glabrescens, superne in ramos paucos, erecto-patulos, subangulatos, setulis brevissimis, albicantibus, patentibus dense hispidulos, foliosos, apice racemiferos divisus. *Folia* conferta, alterna, crassa, utrinque et margine setulis brevissimis rigidulis strigulosa, oblonga, in petiolum brevissimum aequae vestitum attenuata, projecturis breviter decurrentibus insidentia, et cum iis articulata, subnervia, apice obtusa, margine plana, supra concava, 4-5 lin. longa, $1\frac{1}{2}$ -2 lin. lata, inferiora plerumque breviora, superiora racemos terminales, densos, contractos, obtusos, sub anthesi 6-9 lin. longos attingentia. *Flores* glaberrimi, $2\frac{1}{4}$ - $2\frac{1}{2}$ lin. longi, in *pedicellis* $2\frac{3}{4}$ lin. metientibus, patentibus, glabris, versus apicem incrassatis. *Bractae* tenues, membranaceae, glabrae, parvae, filiformes, intermedia lateralibus duplo longiore, lineam interdum subexcedente, paullo diutius persistentes, quam in plerisque speciebus. *Sepala* 3 *externa* minuta, ovata, obtusiuscula, membranacea, pallida, glaberrima, enervia, semilineam longa, et parte latiore aequilata. *Alae* carina longiores, obovatae, basi valde angustatae, fere unguiculatae, $2\frac{1}{2}$ lin. longae, glaberrimae, ut ex sicco videtur, pallide roseae, petalis caeteris ima basi arcte coherentes. *Carina* glabra, ima basi pallide, medio et lateribus saturatius rosea, apice in cucullum flavescentem angulo subrecto, non rotundato pronata, quare cucullus multo minus fornicatus est, quam in praecedentibus speciebus. *Petala* *postica* angusta, glaberrima, albida, subdiaphana, cum tubo stamineo, supra medium diadelpho, utrinque arcte connata a carinae subaequilongae lateribus dilatatis amplectuntur. *Stylus* a latere compressus, versus apicem curvatus, glaber, apice subtruncatus, brevissime bilobus, omnino fere, ut in plerisque hujus paragraphi speciebus. *Capsulam* non vidi.

§ 2. *Volubilia*: caule volubili plerumque subherbaceo plus minusve ramoso parce foliato; floribus laxe racemosis; alis late ovatis basi unguiculatis; filamentis basi monadelphis versus medium breviter diadelphis supra medium liberis; stylo medio geniculato apice breviter bilobo.

12. *Comesperma volubile* Labill.

C. glabrum, foliis sparsis lineari-lanceolatis sive linearibus acutiusculis in petiolum attenuatis margine planis, racemis plurimis brevibus patentibus simplicibus axillaribus, pedicellis flores vix aequantibus, bracteis glabris minimis caducis intermedia lateralibus paullo longiore, sepalis 3 externis obtusis, petalis 3, antico maximo coeruleo posticis 2 apice flavescentibus basi medio tenuis ciliatis.

Comesperma volubilis Labill! Nov. Holl. T. 2. pag. 24. tab. 163. DC.! prodr. T. 1. p. 334. No. 9.

Herbar. Willdenowii No. 13035!

Sieber herb. Nov. Holl. No. 366!

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-orientali, prope Sidney et Port-Jackson, Argyle et Paramatta, Hügel! Sieber! et in insula van Diemen, Labillardière! Ferd. Bauer! Dr. Scott, Lawrence! Gunn! Schayer! et alii. (v. s.)

Species, in locis indicatis vulgatissima, valde variabilis est. Forma vulgaris, a cl. Labillardière lecta, fide speciminum authenticorum, sic se habet:

Caulis subherbaceus, tenuis, glaber, profunde striato-sulcatus, et igitur subangulatus, volubilis, hinc inde tortus, aliisque plantis vicinis sustentatus, saepissime ad plurimum pedum altitudinem scandit, plerumque racemis florentibus undique tectus est. *Folia* sparsa, valde caduca, quare planta subaphylla videtur, varia forma. In *plantis floribundis* plerumque rariora, crassiuscula, utrinque glaberrima, linearia, in petiolum brevem quidem, sed manifestum attenuata, basi tumida insidentia, sed minime, ut videtur, articulata, apice acuta vel obtusa, nervo medio subtus prominulo, 4-6 lin. longa, lineam lata, summa multo breviora, filiformia, longitudinem 2-3 linearum vix excedentia; in *plantis rarifloris* folia plerumque majora, lanceolata, 1-1½-pollicaria, 2-3 lin. lata, nervo subtus valde prominulo, et petiolo ut plurimum longiore instructa sunt. *Racemi* copiosissimi, approximati, laterales, axillares, solitarii vel raro gemini, simplices vel basi ramulum unum alterumve emittentes, laxiflori, basi nudi, versus medium floribus 6-14 sive etiam pluribus onusti, 1-3-pollicares. *Flores* in *pedicellis* 1-2 lin. longis, patulis. *Bractee* 3 membranaceae, minutae, valde caducae, intermedia ovata, naviculari, lateralibus multo latiore, sed nonnisi paullo longiore. *Sepala externa* 3 minuta, ovata, valde obtusa, membranacea, interdum subcolorata, lineam fere longa. *Alae* pallide coeruleae, obovatae, valde obtusae, basi abrupte in unguem angustatae, 3 lin. longae, 2 lin. latae, ungue ¾-1½-linearum, carina dimidio fere longiores. *Carina* valde peculiaris in hac, et caeteris hujus paragraphi speciebus, a forma praecedentium valde abhorret. Basi albida, versus apicem saturate coeruleum valde pronata, parte antica clausa rotundata, parte postica fissa truncata, lateribus utrinque appendiculo dentiformi obtuso porrecto sive erecto aucta, ideoque revera triloba est, stylum et genitalia includens. *Petala postica* erecta, linearia, obtusa, libera, i. e. parte superiore paullo a carina remota, nec ab ejus lateribus circumdata, versus apicem flavescentia, basi medio tenus manifeste ciliata. *Tubus stamineus* supra medium fissus, breviter diadelphus, margine libero longiuscule ciliatus, utrinque filamenta 4 libera, basi planiuscula, apice antherifera emittens. *Stylus* compressus, versus medium geniculatus, apice truncato-emarginatus, sive si mavelis, breviter bilobus, lobo superiore porrecto, acutiusculo, inferiore recurvo, obtuso, stigmatifero. *Capsulam* maturam non vidi, sed ex icone Labillardieriano a forma vulgari vix differre videtur. *Semina*, teste eodem auctore, non carunculata.

Occurrit varietas:

β) *micrantha* Steetz, floribus duplo fere minoribus, racemisque brevioribus, fere semper geminis.

Hab. in insula van Diemen, Gunn! Schayer! (v. s.)

In hac varietate *alae* 1½-2 lin. longae *carinam* nonnisi paullulum excedunt, et *racemi* semper fere gemini occurrunt, altero plerumque paullo brevior. Aliam differentiam non detexi, et formas intermedias non raras vidi; *racemi* enim gemini hinc inde in forma primaria, et *racemi* solitarii, raro quidem, in varietate reperiuntur.

13. *Comesperma tortuosum* Steetz.

C. glabrum, foliis sparsis linearibus obtusiusculis basi attenuatis margine planis, racemis plurimis elongatis erectiuscu-

lis terminalibus, paucis axillaribus, pedicellis flores subaequantibus vel paullo superantibus, bracteis glabris minimis diutius persistentibus intermedia lateralibus paullo longiore, sepalis 3 externis obtusis, petalis 3, antico maximo coeruleo posticis 2 coerulescentibus basi medio tenuis ciliatis.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali. In Swan-River Colonia legerunt ell. Preiss! et Drummond! (Herb. Preiss. No. 1015! Herb. Drummond. Collect. 2. No. 485! (ex parte, cum sequente commixtum.) (v. a.)

Certissime bona species, quamquam obiter inspecta a praecedente vix differre videtur. Praeterea patria diversa, ora scilicet occidentalis, non orientalis, diversitatem probat. Differentias has constantes observavi:

Tota planta humilior est quam *Comesperma volubile*, quare radicem simplicem, palarem, integumento spongioso vestitam in omnibus exemplaribus, quae examinavi, semper vidi. *Caulis* plerumque 1-2-pedalis, raro altior, et saepissime erectiusculus, sine ullo aliarum plantarum fulcro. In speciminibus *Comespermatis volubilis* Labill. radix plerumque desideratur, quia altius scandit, et caulis multo magis tortus, semper aliis plantis vicinis sustentatur. *Racemi* in nostra planta multo magis erecti, non patentes, terminales nec laterales, basi interdum divisi, multo magis elongati, non raro $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ -pedales, et plerumque inferne foliis minutis, interdum squamaeformibus vestiti sunt; raro racemos axillares vidi, quales in *Comespermate volubili* semper occurrunt. *Folia* plerumque obtusiora, basi angustata quidem, sed non vere petiolata sunt. *Flores* laxius dispositi, *pedicellis* plerumque longioribus insident. *Bracteae* diutius persistent, saepe imo post anthesin. *Floris partes* omnes a specie praecedente non differunt, sed *petala postica* apice plerumque coerulescunt, nec flavescunt. *Capsula* non suppetit.

14. *Comesperma ciliatum* Steetz.

C. glabrum, foliis sparsis minutis rigidis acutis subulatis ciliatis, racemis erectis terminalibus elongatis, pedicellis flores paullo superantibus, bracteis ciliatis filiformibus caducis intermedia lateralibus triplo longiore, sepalis 3 externis acutiusculis, petalis 3, antico maximo coeruleo vel bicolori posticis 2 intus dense barbatis.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia, Drummond! Collect. 2. No. 485! (ex parte, cum *Comespermate tortuoso* commixtum.) (v. s.)

Species distinctissima! *Caulis* subherbaceus, tenuis, glaber, glaucescens, teres quidem, sed profunde striato-sulcatus, tortus, raro aliis plantis sustentatus, sed plerumque ramis ipse suis spiraliter circumvolutus, parce ramosus, ramis erectis, in racemos desinentibus. *Folia* sparsa, remota, minuta, bracteaeformia, internodiis multoties breviora, rigida, lineari-subulata, acuta, sessilia, basi lata projecturis insidentia, sed, ut videtur, cum iis non articulata, enervia, levissime punctata, subtus convexa, supra concava vel subinflexa, margine longiuscule et remote albo-ciliata, ut plurimum $1\frac{1}{2}$ -2 lin. longa, vel interdum 3-4 lin. metientia, semilineam lata. *Racemi* in apice ramorum terminales, ante anthesin contracti, densi, pollicares, demum valde elongati, laxiusculi, 3-4-pollicares, summo apice comosi, propter bracteas alabastra superantes. *Pedicelli* flore paullo longiores, patentes, apice paullisper incrassati, 3-4 lin. longi. *Bracteae* 3 caducae, subherbaceae, acuminatae, longiuscule albo-ciliatae, lateralibus 2 angustissimis, setaceis, semilineam longis, intermedia multo longiore et latiore, $1\frac{1}{2}$ -2 lin. longa, omnino foliis superioribus supra descriptis consimili, sed structura tenuiore. *Sepala* 3 externa ovata, acutiuscula, membranacea, subcolorata, manifeste venosa, lineam paullo excedentia. *Alae* obovatae, basi longe et abrupte unguiculatae, petaloideae, laete coeruleae,

venosae, *carina* duplo fere longiores, 3 lin. metientes. *Carina* glabra, eadem fere forma ac in speciebus praecedentibus, sed angustior, saturate coerulea, in parte aperta citrina, triloba, lobo obtuso, dentiformi, citrino utrinque aucta. *Petala postica* basi albida, versus apicem coerulescentia, medio dense barbata, a *carina* paullisper remota, eaque longiora. *Tubus stamineus* stylum arctius quam in caeteris speciebus involvit, et *filamenta* supra medium brevius libera. *Stylus* non medio, sed paullo supra medium geniculatus, apice breviter bilobus. *Capsulam* maturam non vidi.

15. *Comesperma integerrimum* Endl.

C. glabrum vel in apice caulis parce puberulum, rigidum, foliis sparsis linearibus obtusis, racemis elongatis erectiusculis laxiusculis, pedicellis flore paullo brevioribus puberulis, bracteis puberulis minimis caducissimis subaequilongis, sepalis 3 externis obtusis ciliolatis, petalis 5 omnibus flavis, posticis 2 basi medio tenuis utrinque dense barbatis, lateralibus 2 accessoriis minutis.

Comesperma integerrima Endl.! in Hügel. Enum. plant. pag. 7. No. 22.

Comesperma volubilis Labill.? Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 211. No. 16. (non Labill.)

Comesperma scandens Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. pag. 211. No. 17.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali. Ad sinum regis Georgii III. Hügel! In arenosis insulae Gnadenisland d. 10. Nov. 1839, et in arenosis districtus Sussex d. 25. Decbr. 1839 leg. cl. Preiss.! (Herb. Preiss. No. 2375! et 2376!) Drummond! Collect. 2. No. 486! (v. s.)

Comparato specimine authentico Hügeliano certior factus sum, utrumque numerum herbarii Preissii et specimina Drummondiana certissime huc pertinere.

Caulis elatus, rigidus, suffruticosus, inferne saepius crassitie pennae anserinae, profunde striato-sulcatus, hinc inde tortus, raro aliis plantis sustentatus, sed plerumque ramis ipse suis spiraliter circumvolutus. *Rami* plerumque puberuli et basi foliati, axillares, in racemos terminantes. *Folia* omnino fere ut in *Comespermate tortuoso*, sparsa, cito decidua, crassiuscula, linearia, obtusa, basi attenuata, margine plana, uninervia, nervo subtus prominulo, in basi ramulorum interdum conferta, magnitudine varia, subinde pollicaria, $1\frac{1}{2}$ lin. lata, plerumque 4-6 lin. longa. *Racemi* in apice ramulorum longiusculi, *floribus* laxè dispositis. *Pedicelli* $1\frac{1}{2}$ -2 lin. longi, apice incrassati, basi pilis albidis, brevibus, appressis puberuli. *Bracteae* minutae, ovatae, acutiusculae, puberulae, ciliolatae, intermedia lateralibus multo latiore, sed vix longiore, lineam fere metiente, omnes caducissimae. *Sepala externa* 3 virescentia, ovata, valde obtusa, margine leviter ciliolata, $1\frac{1}{4}$ lin. longa. *Alae* obovatae, obtusiusculae, sensim in unguem linearem attenuatae, viridi-flavescentes, glabrae, sive intus vix atque ne vix quidem puberulae, 3 lin. longae, textura plerumque crassiores quam in plerisque speciebus. *Carina* flavescens, caeterum eadem fere forma ac in *Comespermate volubili*, utrinque lobo obtuso, angusto, erectiusculo aucta, glabriuscula, alis dimidio fere brevior, basi utrinque cum *petalo laterali accessorio*, angustissimo connata. *Petala postica* 2 carina paullo longiora, et superiore parte paullisper ab ea remota, concoloria, basi medio tenuis utrinque dense barbata. *Filamenta* supra medium longiuscule libera. *Stylus* medio geniculatus, apice breviter bilobus, lobo utroque obtusiusculo. *Capsulam* maturam non vidi.

Variat: floribus paullo minoribus. (Specimina Drummondiana et Preissiana No. 2375.)

Obs. Haec species ab omnibus egregie differt: *petalis 2 lateralibus accessoriis*, qualia in *Catocomae* genere semper observantur. In omnibus floribus, quos secui, petala haec vidi, et quidem eodem loco, quo in *Catocoma* reperiuntur. In specimine Hügeliano et in No. 2376 herbarii Preissiani longitudinem lineae et dimidiae aequant, in caeteris Preissianis et Drummondianis, quae floribus paullo minoribus munita sunt, multo minora, squamaeformia vidi. In alabastris nonnisi rudimenta eorum inveni*). Valde doleo, me fructum maturum non vidisse. Capsula immatura vero, ut in caeteris speciebus membranacea videtur, et in stipitem longiusculum pari modo angustata est, quare non dubitavi, huic speciei, omnes reliquos nostri generis characteres exhibenti, inter veras *Comespermatis* species locum servare.

Sect. II. ISOCALYX.

Calycis externi sepala tria subaequalia, nempe duo antica et unum posticum, alis nonnisi paullisper breviora. Alae basi unguiculatae. Filamenta basi monadelphica versus medium diadelphica supra medium libera.

§ 1. *Subherbacea*: caulibus subherbaceis simplicibus vel parce ramosis; foliis inferioribus confertis superioribus minoribus et remotis; stylo apice curvato bicurvi.

16. *Comesperma calymega* Labill.

C. glabrum sive parce puberulum, radice simplici, caulibus adscendentibus, racemis simplicibus contractis, foliis caulinis inferioribus lanceolatis acutis superioribus setaceis, bracteis acutis, sepalis externis obtusiusculis.

Comesperma calymega Labill.! Nov. Holl. T. 2. pag. 23. tab. 162. DC.! prodr. T. 1. pag. 334. No. 6.

Comesperma isocalyx Spreng.! syst. veg. T. 3. pag. 172. No. 6.

Hab. in insula van Diemen, Labillardière. Gunn! Schayer! Backhouse et alii. (v. s.)

Radix palaris, parce ramosa, perpendicularis, versus collum integumento spongioso vestita, *caules* 2-6 vel forsitan plures, basi adscendentes simplicissimos, teretiusculos, striatos, glabros vel inferne parce puberulos, semipedales sive pedem vix aequantes, *racemo* simplici terminatos emittit. *Folia* glabra, crassiuscula, enervia, basi attenuata, sessilia, non articulata, margine plana, *radicalia* saepe rosulata, plerumque obovata, obtusa, 2-4 lin. longa, apice lineam lata, saepe eaduca, *caulina inferiora* lanceolata, acuta, saepe subpungentia, recta sive subfalcata, internodia sua superantia, 4-7 lin. longa, lineam lata, *caulina superiora* magis remota, multo breviora et an-

* Idem observavi in speciminibus duobus *Catocomae floribundae* Benth., in Venezuela a cl. Moritz, diversis quidem locis, lectis, in quorum altero petala lateralia lineam excedunt, in altero vix conspicua sunt, vel omnino desiderantur. Alia differentia inter utrumque specimen erui omnino non potest.

gustiora, setacea, acuminata, racemum non attingentia. *Racemi* terminales, simplicissimi, ante anthesin contracti, spicae formes, obtusiusculi, vix pollicares, dein laxiusculi. *Pedicelli* erecto-patuli, floribus plerumque paullo breviores, lineam vix excedentes, apice paullo incrassati. *Bractee* 3, membranaceae, valde caducae, laterales subdiaphanae, angustissimae, intermedia latiore, ovata, acuta, dorso coerulea, margine pallida, lineam longa, dimidio breviores. *Sepala* 3 exteriora subaequalia, scilicet antica 2 aequalia, postico paulisper longiora, membranacea, ovata, acuta, dorso coerulea, margine et basi albida, $1\frac{1}{3}$ lin. longa, *alis* laete coeruleis, ovatis, obtusis, basi in unguem sensim angustatis, non nisi paullo breviora. *Carina* parva, angusta, basi albida, cucullo flavescente, utrinque parum dilatata, *petalis* posticis, glaberrimis, versus apicem laete coeruleis et acutiusculis paullo brevior. *Filamenta* basi monadelpa, versus medium diadelpa, supra medium revera libera; (nec, ut cl. Labillardière l. c. delineavit: diadelpa, apice antheris sessilibus utrinque 4 terminata). *Stylus* a latere compressus, versus apicem curvatus, bicurvis, *crure inferiore* crassiore, luteo, obtuso, stigmatifero, *superiore* tenuiore, candido, apice penicillato. *Capsulam* maturam non vidi. Fide iconis Labillardierianae, ut in congeneribus spathulata, breviter stipitata, $3-3\frac{1}{2}$ lin. longa est. *Semina*, teste eodem auctore, caruncula destituta sunt.

17. *Comesperma strictum* Endl.

C. glabrum sive parce puberulum, radice simplici, caulibus erectis, racemis ramosis, foliis caulinis inferioribus lanceolatis acutis, superioribus linearibus sive setaceis, bracteis acuminatis, sepalis externis acutiusculis.

Comesperma stricta Endl.! in Enumerat. plant. Hügel. pag. 7. No. 18.

Comesperma tenuis Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. pag. 208. No. 8.

Comesperma varians Steudel! l. c. pag. 210. No. 13.

Comesperma parviflora Steudel! l. c. p. 210. No. 14.

Comesperma subherbacea Steudel! l. c. p. 211. No. 15.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, Ferd. Bauer! ad sinum regis Georgii III. Hügel! In sublimosis umbrosis ad Avon-Dale, distr. York, d. 4. Febr. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 2367!) In solo subturfoso-arenoso inter fratices prope „Strawberryhill“, distr. Plantagenet, d. 24. Nov. 1840. (Herb. Preiss. No. 2365!) In calculosis montium continuorum „Darlingsrange“, distr. Perth, d. 15. Oct. 1839. (Herb. Preiss. No. 2374! et No. 2366!) In Swan River Colonia, Drummond! (Collect. 1. No. 430!) Vidi specimen authenticum Hügelianum!

Speciei praecedenti proxima quidem, certissime tamen bene distincta!

Tota planta multo altior et rigidior est, plerumque $1\frac{1}{2}$ -2-pedalis. *Radix* plerumque crassior, sed eodem modo integumento spongioso vestita. *Caules* semper erecti, plerumque solitarii, raro 2-3 ex eadem radice assurgunt. *Racemi* semper ramosi sunt, sive potius caulis versus apicem in paucos ramos racemiferos divisus, nec ut in praecedente simplicissimus est. *Folia inferiora* eadem quidem forma, sed multo longiora et latiora sunt quam in *Comespermate calymega*, saepe $1-1\frac{1}{2}$ -pollicaria, 1-3 lin. lata, *superiora* minus remota, linearia, *summa* setacea. *Bractee* angustiores et longiores, acuminatae sunt, intermedia subinde $1\frac{1}{2}$ - $1\frac{3}{4}$ lineam aequante. *Sepala externa* paullo acutiora videntur, caeterum *flores* omnibus partibus omnino ut in specie praecedente observavi. *Alae*, *carina*, *filamenta*, *antherae*, *stylus* et *stigma*, omnia eadem, saltem in planta sicca. *Capsula* matura glabra, obovata, spathulata, in stipitem sensim attenuata, apice oblique truncata, et utrinque ala parva, triangulari, obtusangula aucta, levissime emarginata, mucronulo brevissimo in emarginatura, in utraque pagina sulco longitudinali exarata, $3\frac{1}{2}$ lin. longa, apice lineam lata. *Semina* magis

rotundata quam in speciebus praecedentibus, suborbicularia, dense sericea, caruncula omnino destituta, coma albissima, 3 lin. longa involuta, caeterum ut in genere.

Obs. Planta valde variabilis est. Variat enim: *caule* parcius sive densius foliato, *foliis* latioribus angustioribusque, *floribus* paullo majoribus sive minoribus. Formam: caule paullo densius foliato floribusque paullo minoribus, (Herb. Preiss. No. 2374 et herb. Drummond. No. 430) cl. Steudel s. n. *Comespermatis parviflorae* l. c. descripsit; sed nullo modo praeterea a forma vulgari differt, et ne varietatem quidem singularem exhibet.

Forma multo magis peculiaris est:

var. β) **latifolia**, foliis caulinis inferioribus latissimis obovatis mucronatis basi attenuatis capsulisque longioribus.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia. (Herb. Drummond. Collect. I. No. 429!) V. s. in herbario palatino Vindobonensi!

Tota planta robustior est, 2-pedalis. *Folia inferiora* obovata, latissima, basi attenuata, apice abrupte in mucronem acutissimum abeuntia, margine recurva, pollicaria, et 5-6 lin. lata; *superiora* sensim angustiora, *summa* ut in forma primaria setacea sunt. *Capsulae* majusculae, 5-5½ lineas interdum excedunt, *seminibus* vero non diversis. *Flores* forsitan paullulum majores, caeterum omnibus partibus non differunt. Verisimiliter forma haec in solo uberiore nata est, et certissime nil est nisi varietas.

18. **Comesperma nudiusculum DC.**

C. glabrum, radice multicipite, caulibus suberectis virgatis, racemis simplicibus laxiusculis, foliis omnibus anguste linearibus vel setaceis acutis, bracteis sepalisque externis obtusiusculis.

Comesperma nudiuscula DC. prodr. T. I. pag. 334. No. 7.

Hab. in Nova Hollandia. Ferd. Bauer! ad portum regis Georgii, Leschenault (ex cl. DC.). (Vidi specimina Baueriana in herbario palatino Vindobonensi!)

Specimen authenticum ad manus quidem non habeo, nihilominus vero non dubito, quin specimina Baueriana omnino huc pertineant, quippe quae cum brevi diagnosi in cl. Candollei prodromo l. c. optime conveniunt.

Tota planta glaberrima est. *Radix* palaris, crassa, perpendiculariter descendens, parce ramosa, collo multicipite, et in parte superiore eodem modo ac in speciebus praecedentibus integumento spongioso munita. *Caulis* plurimi suberecti, tenuissimi, longissimi, virgati, teretiusculi, striati, vel simplicissimi, vel ima basi divisi et in superiore parte in ramulum unum alterumve abeuntes, diametro vix semilineari, sed altitudinem 2-pedalem superantes, foliis fere omnino orbati, et sic scoparum imaginem quasi referentes, e capitibus radice assurgunt. *Folia* crassiuscula, sparsa, rara, *inferiora* anguste linearia, margine subinflexa, 4-6 lin. longa, ¼-½ lin. lata, acuta, *superiora* dissita, minima, setacea, lineam paullo excedentia. *Racemi* terminales, breves, pollicares vel demum paullo longiores, valde angusti, ut vix in ulla alia specie, laxiusculi. *Pedicelli* breves, fructiferi lineam vix excedentes, erecto-patuli, apice incrassati. *Bractee* brevissimae, latiusculae, subaequales, vel intermedia lateralibus paullo longiore ¾ lin. longa, obtusiusculae, deciduae. *Flores* in speciminibus, quae suppetunt, pauci evoluti, siccatione valde compressi, examinationem accuratam non admiserunt, quare formam petalorum exacte definire nequeo. Sufficiant ergo pauca haec: Totus flos 2 lin. longus est. *Sepala* 3 externa alis paullo breviora, 1½ lin. longa, obtusiuscula vidi. *Alae* basi in unguem brevissimum, paullo latiore, quam in speciebus praecedentibus, manifestum tamen attenuatae sunt. *Qui* color floris fuerit, non liquet. *Filamenta* versus medium diadelpa, supra medium libera. *Stylus* superne curvatus, bicurvis, crure superiore paullo latiore quam in praecedentibus. *Ovarium* levissime puberulum videtur.

Capsula immatura $2\frac{1}{2}$ lin. longa, longiuscule stipitata, apice in utraque pagina pilis brevissimis, raris, albidis conspersa est, caeterum congeneribus plerisque conformis.

§ 2. *Suffruticosum*: caule suffruticoso ramosissimo; foliis minimis remotis; stylo apice curvato brevissime bilobo.

19. *Comesperma scoparium* Steetz.

C. glabrum vel scabriusculum, foliis minimis acutis arcte appressis, floribus axillaribus sessilibus solitariis, bracteis sepalsisque externis obtusis cucullatis.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali. In Swan-River Colonia leg. cl. Drummond! Collect. 2. No. 487 et 488! (v. s. in herb. palatino Vindobonensi!)

Planta valde singularis scoparum e *Spartio scopario* factarum imaginem referens. Specimina duo, quae suppetunt, paullisper inter se discrepant, differentiae vero levissimi momenti sunt, et certissime ad unam eandemque speciem pertinent. Alterum scabriusculum, alabastrigerum, floribus nonnisi paucis evolutis omnino sessilibus, (No. 488) videtur specimen juvenile, alterum, (No. 487) glaberrimum, florigerum et fructiferum, adultum, defloratum videtur, in ramis novellis flores brevissime pedicellatos iterum pullulans.

Suffrutex rigidus. *Caulis* inferne crassus, diametro 2-lineari, ab ima basi ramosissimus, striato-sulcatus, cortice brunneo tectus. *Rami* erecti, longi, virgati, simplices, vel versus apicem iterum in ramos paucos divisi, teretiusculi, virides, striato-sulcati, scabriusculi sive demum glabrati. *Folia* bracteaeformia, minima, lineam longa, erecta, ramis arcte appressa, et igitur vix conspicua, dissita, rigida, basi latiora, sensim attenuata, subuliformia, pungentia, scabriuscula, pagina ramis adversa plana, pagina exteriori convexa, mediante nodo basilari cum cortice ramorum omnino concreta. *Flores* solitarii, axillares, i. e. folio persistente, bracteam simulante, suffulti, sessiles, (in No. 488), vel brevissime pedicellati in rudimento floris anni praeteriti, folio fulcrante destituto, (in No. 487), remoti, irregulariter secus totum ramum dispositi, versus ejus apicem magis approximati, et racemum interruptum mentientes. *Bracteae* 3, subaequales, scariosae, semilineam longae, obovatae, obtusae, apice cucullatae. *Sepala externa* 3, aequalia, bractearum instar scariosa et apice cucullata, oblonga, obtusa, $1\frac{1}{3}$ lin. longa. *Alae* coloratae, ut ex sicco videtur coeruleae, petaloideae, $2-2\frac{1}{4}$ lin. longae, obtusae, basi in unguem brevem angustatae, carina paullo longiores. *Carina* glabra, vix compressa, crassiuscula, utrinque lobo obtuso parum aucta. *Petala postica* carina paullo longiora, et ab ea superne paullisper remota, basi medio tenus intus barbata. *Filamenta* basi monadelphia, versus medium brevissime diadelphia, supra medium longiuscule libera. *Stylus* summo apice curvatus, brevissime bilobus, vel subtruncatus. *Capsula* in pedicello semilineam vix longo, membranacea, cuneata, obovata, versus basin sensim attenuata, nec in stipitem verum angustata, apice leviter emarginata, in emarginatura mucronulata, utrinque rotundata, in utraque pagina sulco medio per totam longitudinem exarata, margine calloso undique cincta, $2\frac{3}{4}-3$ lin. longa, $1\frac{1}{2}$ lin. lata. *Semina* in nostro specimine immatura, sine coma lineam longa, elliptica.

Sectio III. DISEPALUM.

Calycis externi sepala duo inaequalia, anticum latius apice bilobum, posticum angustius apice integrum, utrumque alis triplo quadruplove brevius. Filamenta basi mo-

nadelpha supra medium diadelpha utrinque antheris 4 subsessilibus terminata. Stylus versus apicem curvatus brevissime bilobus.

20. **Comesperma corniculatum** Steudel.

C. glabrum, foliis confertis abbreviatis linearibus subtrigonis obtusiusculis, floribus racemosis confertis, pedicellis flores aequantibus, bracteis lateralibus minutis intermedia elongata multoties brevioribus, lobis sepali antici obtusissimis, carina in apice clauso corniculata alis multo brevior.

Comesperma corniculata Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. pag. 206. No. 2.

Comesperma ericina herb. Bauer! ex parte, (non DC.)

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali. Ferd. Bauer! In sinu regis Georgii III. Hugel! In glareosis sylvaticis circa „Wuljenup“ (Plantagenet) d. 14. Octobr. 1840. Preiss! (Herb. Preiss. No. 2363!) v. s.

„Frutex 1-pedalis“, teste cl. Preissio. *Radix* simplex, parce ramosa, palaris, perpendiculariter descendens. *Caulis* erectus, teres, striatus, sursum cum ramis ramulisque striato-angulatus, post foliorum lapsum cicatricibus dense onustus, simplex vel apice parce ramosus, foliosus. *Folia* conferta, internodiis plerumque duplo longiora, irregulariter alterna, arrecta, basi projecturis in caulem decurrentibus insidentia, et cum iis articulata, in *petiolum* brevissimum attenuata, crassa, linearia, margine plana et interdum asperula, (nec, ut cl. Steudel descripsit, „margine subrevoluta“), utrinque concoloria, punctata, nervo medio subtus valde prominulo et inde convexa, subtrigona, apice obtusiuscula, plerumque brevia, 2-3½ lin. longa, rarissime semipollicaria, racemos elongatos attingentia. *Racemi* juniores in apice ramulorum densi, 1-1½ pollices longi, fructiferi laxiusculi, valde elongati, 5-6-pollicares. *Pedicelli* erecto-patuli, 2-2¼ lin. longi. *Bractee* laterales minutissimae, membranaceae, vix semilineam longae, setaceae, *intermedia* herbacea, 2-2½ lin. longa, filiformis, acuminata, omnes valde deciduae. *Sepala externa* textura crassiuscula, brunnea, ¼ lin. longa, *antico* latissimo, lobis obtusissimis, subtruncatis, *postico* obtusiusculo, ovato, multo angustiore. *Alae* roseae, 2½ lin. circiter longae, obtusae, basi sensim angustatae, carina multo breviores. *Carina* basi rosea, cucullo citrino, in apice clauso corniculata, (corniculo dentiformi, roseo, obtuso, patente,) utrinque lobo angusto, obtuso, laterali, *petala postica* a basi medio tenus levissime ciliata, subaequilonga amplectente, aucta. *Filamenta* supra medium diadelpha plana, utrinque antheris 4 sessilibus terminata. *Stylus* apice valde curvatus, truncato-bilobus, lobis brevissimis, *superiore* subacuto, *inferiore* obtuso, subrecurvo, stigmatifero. *Capsula* glabra, spathulata, apice levissime emarginata, mucronulo in emarginatura obtuso, utrinque ala angusta, obtusangula aucta, abrupte in stipitem brevem, vix lineam longum, attenuata, 2½ lin. longa, apice 1½ lin. lata. *Semen* nigrescens, coma sua vix brevius, et caruncula pellucida, supra basin valde prominente deorsumque in-crescente, hinc auctum.

Obs. Proxime accedit ad *Comesperma acerosum*. Differt vero prima facie: *sepalis* duobus anticis connatis, (nec tribus distinctis), *foliis* angustioribus obtusiusculis, (nec pungenti-acuminatis,) *racemo* longiore, et *pedicellis* brevioribus.

21. **Comesperma aemulum** Steudel.

C. glabrum, foliis confertis linearibus subtrigonis acutis, floribus racemosis laxiusculis, pedicellis flores aequantibus,

bracteis lateralibus minutis intermedia longiore plus duplo brevioribus, lobis sepali antici acutiusculis, carina in apice clauso gibbosa alis subaequilonga.

Comesperma aemula Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. pag. 208. No. 6.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in arenosis districtus Sussex, d. 19. Decembr. 1839 leg. cl. Preiss. (Herb. Preiss. No. 2371!) v. s.

Proxime quidem accedens ad speciem praecedentem, mihi tamen bene distincta videtur. Differt enim notis his:

Tota planta multo gracilior est. *Folia* longiora et acutiora sunt, et plerumque multo minus trigona, texturaque tenuiore; propter nervum valde prominulum subtus quidem convexa, supra concava, et ideo margine subincurva, minus vero rigida et arrecta, saepius imo flaccida, patentia, longitudine 5-6, imo interdum 8 linearum observavi. *Racemi* breviores, imo fructiferi pollicem vix excedunt. *Bracteae* minores, quare in racemis virgineis alabastra vix ac ne vix quidem excedunt, quum contra in *Comespermate corniculato* alabastra longe superent, ita ut ejus racemi comae formam exhibeant. *Flores* minores sunt. *Lobi sepali antici acutiusculi* neque obtusissimi sunt, *sepala externa* textura ut plurimum crassiora atque saturatius brunnea. Praeterea omnes inflorescentiae partes, *pedicelli*, *bracteae*, et *sepala externa* imo in sicco multo succulentiora videntur, quam in specie praecedente. *Alae* in sicco laete violaceae, et carinae vix longiores. *Carina* eodem modo sed multo intensius colorata, et in apice clauso non corniculo dentiformi aucta, sed gibbosa, sive angulum acutum exhibens. *Capsula* denique, immatura quidem, apice non rotundata, sed utrinque ala triangulari, obtusangulo, valde producto aucta ideoque profunde emarginata est; praeterea longior est, 3 lineas metiens, stipite paullo longiore. In *semine* immaturo *carunculae* rudimentum manifestum adest.

Obs. Altera parte prope quoque accedit ad *Comesperma acerosum*, propius forsitan ut *Comesperma corniculatum*; facillime vero dignoscitur: *sepalis* duobus *anticis* in unum, apice bilobum connatis, (nec *sepalis* distinctis), statura graciliore et *carina* in apice clauso gibbosa, nec corniculata. *Folia* denique multo minus rigida, acuta quidem, sed minime pungentia sunt.

22. *Comesperma virgatum* Labill.

C. glabrum, foliis confertis linearibus subtrigonis sive planiusculis obtusiusculis, floribus racemosis confertis sive laxiusculis, pedicellis flore brevioribus, bracteis lateralibus minutis intermedia elongata multoties brevioribus, lobis sepali antici obtusissimis, carina in apice clauso gibbosa sive rotundata alis paullo brevioribus.

Comesperma virgata Labill.! Nov. Holl. T. 2. pag. 21. tab. 159. DC.! prodr. T. 1. pag. 334. No. 8.

Herbar. Willdenowii No. 13032! fol. 1 et 2!

Comesperma simplex Endlicher! in Hügel. Enum. Plant. pag. 7. No. 19. (teste specimine authentico.)

Comesperma longebracteata Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. pag. 207. No. 3.

Comesperma rosea Steudel! l. c. pag. 207. No. 4.

Comesperma contracta Steudel! l. c. pag. 208. No. 7.

Comesperma laxiuscula Steudel! l. c. pag. 210. No. 12.

Planta valde variabilis est, ut jam ex multis hisce synonymis elucet, quare 3 formas hic distinxī, quae minime pro speciebus propriis haberi possunt, quoniam formae intermediae reperiuntur, quae vero varietates singulares exhibent has:

- α) var. **simplex**: Foliis angustis flaccidis laete viridibus, racemo elongato angusto laxiusculo, floribus parvis $1\frac{1}{2}$ lin. longis roseis, sepalis alisque laete roseis, carina inferne rosea, cucullo flavo, bracteis viridibus.

Huc pertinent:

Comesperma virgata Labill.! et DC. ll. cc. (teste specimine authentico in herb. Willdenowii).

Comesperma simplex Endlicher! l. c.

Comesperma rosea Steudel! l. c.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in terra van Leuwin, (Labillardière!) Freemantle, ad flumen Swan-River, (Hügel!). Ibidem, Drummond! (Collect. 2. No. 489!) In humoso-arenosis depressis umbrosis prope Monger'slake, (Perth) d. 4. Febr. 1839. leg. cl. Preiss.! (Herb. Preiss. No. 2363! et No. 2362! ex parte, cum *Comesp. conferto* β) *hirtulo* commixtum.) v. s.

Specimina hujus formae saepe simplicissima sunt, caule tenui, 3-4-pedali, racemo solitario, 1- $1\frac{1}{2}$ -pollicari terminato; sic specimen Hügelianum et Drummondiana. In speciminibus Preissianis, caulis crassior, basi et interdum versus medium divisus, in racemos 2-3-pollicares abit. Folia fere omnino plana sunt; subtus quidem, nervo valde prominulo, convexa, supra concava, in acumen brevissimum obtusum contracta, sensim in petiolum brevissimum angustata, 5-6 lin. longa, apice $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ lin. lata. Flores parvi, et racemi valde angusti.

- β) var. **contracta**: Foliis paullo latioribus rigidioribus laete viridibus, racemo abbreviato, floribus paullo majoribus 2 lin. longis pallide roseis, bracteis glaucescentibus.

Huc pertinent:

Comesperma contracta Steudel! l. c. et

Comesperma laxiuscula Steudel! l. c.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in solo turfoso inter arundines ad marginem lacus prope villam Dr. Helms. (Perth) d. 21. Mai 1839. (Herb. Preiss. No. 2373!) et in lapidosis districtus York d. 21. Mart. 1839. (Herb. Preiss. No. 2372!) v. s.

Folia in hac forma plerumque rigidiora et subinde lineam lata sunt. Racemi saepe brevissimi, $\frac{1}{2}$ -1-pollicares, bracteis omnino orbati, sed in herbario regio Berolinensi specimen vidi sub eodem No. 2373 a cl. Preissio editum, cujus racemus 2-pollicaris bracteis aequilongis quam in caeteris formis, glaucescentibus stipatus est. Hoc specimen a varietate α) vix ac ne vix quidem differt nisi floribus paullisper majoribus pallide roseis, foliisque latioribus.

- γ) var. **longebracteata**: Foliis angustis flaccidis in sicco aeruginosis, racemo valde conferto et elongato, floribus majoribus $2\frac{1}{4}$ lin. longis, alis albidis sive pallide roseis, sepalis bracteisque glaucescentibus.

Huc pertinet:

Comesperma longebracteata Steudel! l. c.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in sinu regis Georgii III. (Hügel!) In solo turfoso inter frutices ad Princess-Royal-Harbour, d. 27. Sept. 1840. Preiss! (Herb. Preiss. No. 2361!) v. s.

Haec est forma valde peculiaris, nihilominus tamen non separanda. *Folia* apice paullo obtusiora quam in caeteris formis, eadem caeterum forma et longitudine ut in var. *a*). *Racemi* confertissimi et longissimi jam sub anthesi 2-3-pollicaria. Verisimiliter est forma in solo pingui nata.

Omnes varietates hae singularem quidem habitum prae se ferunt, attamen stricte distingui nequeunt. Omnes in characteribus essentialibus inter se conveniunt. Differt vero *Comesperma virgata* Labill. ab omnibus speciebus orae orientali et insulae van Diemen indigenis, (ut jam cl. Labillardière optime monet:) *bractea* intermedia herbacea longissima acuminata, 2-2½ lin. longa, lateralibus minutissimis membranaceis, et *sepalis anticis* duobus connatis. A speciebus duobus hujus sectionis primo intuitu distinguitur: *pedicellis* multo brevioribus, et *ramis* multo magis angulatis. *Pedicelli fructiferi* imo lineam non, sive vix excedunt, qua nota *racemus* formam valde diversam, multo angustiore adoptat. *Sepali antici* lobi et *alae* in omnibus formis obtusissima, *carina* plus minusve laete rosea, cucullo citrino, alis nonnisi paullo brevior. Reliqua ut in omnibus hujus sectionis speciebus. *Capsula*, quam in unico specimine *Comespermatis laxiusculi* Steud. observavi, capsulae *Comespermatis conferti* Labill. simillima est, sed apice minus emarginata, et utrinque magis rotundata, cum stipite 3 lin. longa. *Semen* caruncula, supra basin longe producta hinc cinctum est.

Obs. 1. Cl. Labillardière l. c. plantae suae *sepala externa tria* tribuit, sed in specimine authentico herbarii Willdenowii nonnisi *duo* revera adsunt, et quidem eadem forma, qua in speciminibus Preissianis. In icone calycis analysis propria desideratur.

Obs. 2. Liceat denique, hic commemorare, me hanc speciem in solo herbario Willdenowii, justo nomine designatam invenisse. In plurimis herbariis alia species, plerumque ex ora orientali, nomine *Comespermatis virgati* Labill. ornata est, e. g. *Comesperma ericinum* DC. Etiam Museum Parisiense hunc errorem propagavit, quum hanc speciem s. n. *Comesperm. virgati* Labill. distribuerit, quod eo magis miror, quod jam cl. Labillardière notam characteristicam, „bractee intermediae elongatae“, (in nulla specie orae orientalis indigena obviam,) his verbis minime ambiguis explicavit: — „pedicellis trigonis, stipatis bracteis tribus subulatis, caducis, binis scilicet lateralibus minimis, stipulaeformibus, armato tantum oculo conspicuis, *intermedia vero eodem pedicello longiori.*“ — Examinatio speciminis herbarii Willdenowii denique omnem de hac specie dubitationem illico sustulit, quae diu me tenuit.

Sectio IV. COMESPERMASTRUM.

Calycis externi sepala duo inaequalia, anticum latius apice bilobum, posticum angustius apice integrum, utrumque alis nonnisi dimidio brevius. Filamenta basi monadelphica versus medium breviter diadelphica supra medium libera. Stylus versus apicem curvatus breviter bicurvis.

23. *Comesperma ramosissimum* Steudel.

C. glabrum, radice multicipite, caulibus adscendentibus virgatis, racemis simplicibus contractis, foliis anguste linearibus

vel setaceis acutis, pedicellis brevissimis, bracteis sepalisque externis acutiusculis.

Comesperma ramosissima Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. pag. 209. No. 10.

Comesperma megapteryga Steudel! l. c. pag. 207. No. 5.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in sinu regis Georgii III. (Hügel!) In solo turfoso-arenoso, haud procul ab oppidulo Albany, (Plantagenet) d. 4. Decembr. 1840. leg. cl. Preiss! (Herb. Preiss. No. 2369!) In arenosis districtus Sussex, Decembr. 1839. (Herb. Preiss. No. 2370! et No. 1524!) v. s.

Radix palaris, parce ramosa, perpendiculariter descendens, collo multipite, et in parte superiore integumento spongioso instructa est. *Caules* plurimi basi adscendentes, tenuissimi, virgati, teretiusculi, striati, sive simplicissimi, sive ima basi parce ramosi, et in superiore parte in *ramulum* unum alterumve racemiferum, secundarium, patentem divisi, diametro vix semilineari, plerumque altitudine 1-1½-pedali. *Folia* in inferiore caulis parte subconferta, internodiis longiora, anguste linearia, crassiuscula, subtus convexa, margine incurva, ideoque subteretia, rigida, basi sessilia, non articulata, apice acuta, omnino fere enervia, *inferiora* plerumque 6-9 lin. longa, ⅓ lin. lata, *superiora* 3-4 lin. longa, angustiora, *summa* minima, setacea, magis remota. *Racemi* brevissimi, contracti, ante anthesin 3-5 lin. longi, ovati, conferti, plerumque solitarii, rarissime ramulo laterali, secundario, foliis paucis vestito, axillari, apice racemulo multo minore terminato, aucti. *Pedicelli* semilineam longi, rarissime paullo longiores, erecto-patuli, apice paullisper incrassati. *Bractee* brevissimae, latiusculae, subaequales, vel intermedia paullo longiore et latiore, lineam fere longa, ovatae, acutiusculae, dorso coeruleae, margine pallescentes, deciduae. *Sepala externa* duo, membranacea, basi ferruginea, versus apicem coerulescentia, ovata, plicata sive navicularia, 1½ lin. longa, *anticum*, multo latius, apice bilobum, lobis acutiusculis, in No. 2370 et 1524 herb. Preissii brevissimis, in No. 2369 paullo longioribus, *posticum* angustius, basi paullo altius in pedicellum descendens, apice integrum. *Alae* pallide violaceae, ovatae, acutiusculae, basi sensim in unguem filiformem, lineam longum decurrentes, caeteris petalis arcte connatae, 2-2¼ lin. longae, carina longiores. *Carina* angusta, 1½-1¾ lin. longa, lobo utrinque angusto obtuso aucta, flavescens, cuculli parte aperta truncata nec emarginata, in ejus parte clausa, rotundata. *Petala postica* oblonga, albida, carinam paullo superantia, superiore parte ante eam libera, nec ab ejus lobis amplexa, basi medio tenus levissime glanduloso-puberula, paullisper torta. *Filamenta* versus medium diadelphea, supra medium breviter libera. *Stylus* basi rectus, filiformis, supra medium subito valde incrassatus, a latere compressus, et fere angulo recto curvatus, breviter bicruris; *crure superiore* brevior acuto, erecto sive porrecto, *inferiore* recurvato, obtuso, stigmatifero. *Capsula* unica suppetit matura, 2 lin. longa, breviter stipitata, undique margine angusto, alaeformi, aequali cineta, apice vix emarginata, utrinque rotundata. *Semen* nigrescens, pubescens, fere globosum, coma longa sericea involutum, caruncula omnino destitutum.

Obs. Planta, *Comespermatis nudiusculi* DC. habitum prae se ferens, primo adspectu facillime cum eo commutari potest, caule foliisque fere omnino iisdem. Attamen *racemo* conferto, contracto, ovato, (nec angusto, laxiusculo,) jam obiter inspecta differt. Egregiam vero differentiam invenies in structura et fabrica floris, a *Comespermate nudiusculo* DC. toto coelo discrepante.

Species non satis nota.

24. *Comesperma sphaerocarpum* Steetz.

C. glabrum, erectum, caule tenui striato parce ramoso,

foliis minimis acutis arrectis rigidis bracteaeformibus dissitis, racemis terminalibus paucifloris, bracteis parvis diutius persistentibus, capsulis suborbicularibus omnino non stipitatis.

Hab. in Nova Hollandia. Ferd. Bauer! (V. s. in herbario palatino Vindobonensi, cum *Comespermate nudiusculo* DC. commixtum!)

Frustulum modo ante oculos habeo, sufficit tamen ad dignoscendam speciem valde peculiarem! Quae vidi sic se habent:

Caules pauci, tenues, vix pedales, striati, e *radice* palari, parce ramosa, perpendiculariter descendente. *Folia* minima, dissita, cauli valde appressa, rigida, acuta, teretiuscula, $\frac{3}{4}$ -1 lin. longa. *Racemi* terminales, 3-4-flori, laxi. *Pedicelli* $1\frac{1}{2}$ -2 lin. longi, erecto-patuli, *bractea* intermedia, sola persistente, ovata, acuta, $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ lin. longa stipati. *Flos* unus tantum adest, quem destruere nolui, sed structuram congenerum optime demonstrat. *Capsula* valde peculiaris, obovata sive fere orbicularis, basi sensim attenuata, sed non stipitata, 2 lin. longa et lata, apice vix emarginata, utrinque rotundata, medio mucronulata, et undique margine angusto, alaeformi cincta. *Semen* pro planta parva majusculum, ellipticum, $1\frac{1}{4}$ lin. longum, $\frac{3}{4}$ lin. latum, pallide ferrugineum, pubescens, coma brevissima vix ulla involutum, caruncula omnino destitutum. — Planta omnino habitum nostri generis prae se fert, sed specimen non nisi valde macrum suppetit.

Species mihi non nisi nomine nota.

Comesperma coridifolia Cunningham, in Fields trav. pag. 337.

Ex cl. George Don, (General History of dichlam. plants, London 1831. T. 1. p. 363. No. 3.) haec species *Comespermatis conferto* Labill. proxima, sed non descripta est in opere citato. *Flores* purpurei, frutex 1-2-pedalis.

Hab. in montibus coeruleis Novae Hollandiae.

Estne forsan idem ac nostrum: *Comesperma acutifolium*?

BÜTTNERIACEAE RBr.

Synopsis Lasiopetalearum et Büttneriearum in Nova Hollandia indigenarum

auctore

JOACHIMO STEETZ.

Synopsis hanc lectoribus tradens, lubens fateor, me esse persecutum eam viam, quam egregie aperuit cel. Gay, qui primus anno 1821 tribum Lasiopetalearum condidit*), ejus characteres clare exposuit, genera rite distinxit et species egregie descripsit, ideoque fundamenta jecit firma operis, quod exaedificare jam est facilius. Numerus generum atque specierum nuperrime valde auctus est, et profecto in posterum etiam augetur. Celeberrimo Gayo enim non plus quam quinque genera, species decem amplectentia nota erant, hodie vero numerus generum fere duplicatus, numerus specierum jam in quadruplum crevit. Sic etiam numerus Büttneriearum e Nova Hollandia allatarum nuperrime augebatur, quarum quatuor tantum species in duo genera distributas cel. Gay**) novit, quare mihi necessarium videbatur, omnes colligere, quae post cel. Gayum detectae et promulgatae sunt, idque eo magis, quo minus scriptores plurimi recentiores hanc rem absolverunt.

Caeterum, quum mihi non contigerit, totum Büttneriacearum ordinem comprehendere, (solae enim Novae Hollandiae species indigenae mihi suppetebant, neque copia mihi erat ad monographiam totius ordinis conscribendam,) sufficere videbatur, si ea, quae jam accuratius descripta sunt, non nisi attingerem, et locum significarem, ubi descriptio exacta, sive figura illustrans exstat. Novas vero, et omnes species, nonnisi e brevi diagnosi notas, accuratiori examini subjeci et pro viribus descripsi.

Itaque characteres naturales ordinis, tribuum generumque omisi, quos tum cl. Gay l. c. tum cl. Endlicher***) egregie exposuerunt, quamquam in quoque fere genere nonnullas species anomalas enumerare necesse erat, quas propter habitum quam maxime characteristicum separare nolui, ne numerus generum in infinitum augetur. Satis habui, descriptionibus harum specierum anomalarum annotationem addere, in qua omnia, quibus a characteribus genericis recedunt, fusius exponantur. Omnia vero signa constantia et essentialia contuli in brevem diagnosin generum, quam ut clavem nostrae synopsis considerare velis. Quod ad diagnoses specierum jam descriptarum attinet, plerumque coactus eram, eas emendare, propter copiam novarum specierum. Necessitas me excusabit.

*) J. Gay, Monographie des cinq genres de plantes, que comprend la tribu des Lasiopetalées dans la famille de Büttneriacées, in Memoires du Muséum d'histoire naturelle. Paris 1821. T. 7 pag. 431 sqq. Acced. tab. aen. 8.

**) J. Gay, Fragment d'une Monographie des vraies Büttneriacées. Ibidem. Paris 1823. T. 10 pag. 199 sqq. Acced. tab. aen. 4.

***) Stephan Endlicher, genera plantarum secundum ordines naturales disposita. Vindobonae 1836—1840 p. 995 sqq.

Tribus I. LASIOPETALEAE.

Calyx corollinus. Petala minutissima squamaeformia vel nulla. Filamenta libera vel basi coalita, sterilia nulla vel angusta fertilibus alterna. Antherae contiguae.

Diagnosis generum.

- § 1. **Monocarpae.** Carpida in capsulam loculicide dehiscentem connata.
- A. **Thomasieae.** *Antherae rima laterali utrinque dehiscentes.*
- Guichenotia.* Petala 5. Filamenta 5 omnia fertilia. Stylus simplex nudus. Folia verticillata. Stipulae nullae.
- Thomasia.* Petala 5 aut nulla. Filamenta 5 omnia fertilia aut 10 alterna sterilia. Antherae subtetragonae erostres. Stylus simplex nudus. Folia alterna. Stipulae foliaceae.
- Rhynchostemon.* Petala nulla. Filamenta 5 omnia fertilia. Antherae complanatae rostratae. Styli 3 coaliti demum a basi soluti nudi. Folia alterna. Stipulae nullae.
- Leucothamnus.* Petala nulla. Filamenta 10 alterna sterilia membranacea. Ovarium fundo calycis semiimmersum. Stylus simplex nudus. Folia alterna. Stipulae foliaceae.
- B. **Lasiopetaleae verae.** *Antherae poro apicis intus utrinque dehiscentes.*
- Lasiopetalum.* Petala 5. Filamenta 5 omnia fertilia. Stylus simplex nudus. Folia alterna. Stipulae nullae.
- Corethrostylis.* Petala nulla. Filamenta 5 omnia fertilia. Stylus simplex pilorum fasciculis retrorsis hispidus scopaeformis. Folia alterna. Stipulae nullae.
- Sarotes.* Petala 5. Filamenta 5 omnia fertilia. Stylus simplex pilis stellatis scopaeformis. Folia pseudo-verticillata. Stipulae foliiformes.
- C. **Keraudrenieae.** *Antherae rima dorsali utrinque dehiscentes. Ovarium simplex. Styli plures basi distincti superne cohaerentes.*
- Keraudrenia.* Folia alterna. Stipulae parvae deciduae. Pedicelli supra medium articulati.
- § 2. **Pleiocarpae.** Carpida libera.
- Seringia.* Antherae rima dorsali utrinque dehiscentes. Ovaria 5-7 approximata. Styli 5-7 basi distincti superne cohaerentes. Folia alterna. Stipulae parvae deciduae. Pedicelli non articulati.

Tribus II. BÜTTNERIEAE.

Petala conspicua. Filamenta in tubum stamineum connata, sterilibus dilatatis petaloideis. Antherae didymae. Fructus capsularis loculicide sive septicide dehiscens.

Rulingia.

Petala 5 e basi lata marginibus inflexis concava in ligulam producta. Tubus stamineus urceolatus 10-partitus, laciniis 5 sterilibus cum petalis alternantibus petaloideis, totidem alternis fertilibus petalis oppositis. Antherae loculi longitudinaliter bivalves. Capsula loculicide dehiscens.

Commersonia.

Omnia *Rulingiae*, sed tubus stamineus urceolatus 20-partitus, laciniis 15 sterilibus elongatis ligulatis basi ternatim inter se cohaerentibus.

*Genus anomalum, Büttneriis affine.**Macarthuria.*

Calyx pentaphyllus sepalis aestivatione quincuncialibus. Petala 5 sepalorum longitudine. Filamenta 10 inferne in cupulam coalita superne libera omnia fertilia. Antherae subglobosae didymae longitudinaliter dehiscentes. Ovarium liberum. Styli 3-4. Capsula 3-4-ocularis loculicide dehiscens. Semina ascendente basi strophiolata.

Tribus I. **LASIOPETALEAE** Gay
in Mem. du Mus. d'hist. nat. T. 7. p. 438 sqq.

§ 1. **MONOCARPAE.** Carpodia in capsulam loculicide dehiscentem connata.

A. **THOMASIEAE:** Antherae rima laterali utrinque dehiscentes.

GUICHENOTIA. Gay l. c. p. 448. Endl. gen. No. 5323. Meisn. gen. 33. (26.)

Guichenotia ledifolia. Gay! l. c. pag. 449 tab. 20. DC! prodrom. T. 1. p. 489. Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 230.

Hab. in Novae Hollandiae ora occidentali, ad sinum Canum marinorum. (Leschenault, teste cl. Gay l. c.) In colliculis arenosis insulae Rottennest, d. 20. Aug. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1670!) In Swan River Colonia, Drummond! Collect. 2. No. 67! (v. s.)

Specimina Preissiana et Drummondiana cum descriptione accuratissima et icone optima supra allata, floris analysis egregie illustrante, omnino conveniunt, quare non habeo, quod addam. Etiam in nostris speciminibus fructus maturi non suppetunt.

THOMASIA Gay l. c. pag. 450. Endl. gen. No. 5324. Meisn. gen. 33 (26.)
LASIOPETALI spp. auctt.

Sectio I. **PENTANDRAE:** Filamentis 5 omnibus fertilibus.

§ 1. Capsulis carpophoro suffultis.

1. **Thomasia purpurea** Gay.

Th. petalis 5 glaberrimis, ovario glabro, stylo stamina superante.

Thomasia purpurea Gay! l. c. p. 452. No. 1. tab. 21. fig. 8—13. DC! prodr. T. 1. p. 489. No. 1.

Lasiopetalum purpureum Ait. hort. Kew. ed. 2. T. 2. p. 36. (ex cl. Gay.) Sims! in Bot. Mag. tom. 42. tab. 1755.

Thomasia rupestris Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 231. No. 3.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi maxime occidentali. (Ferd. Bauer!) Ad sinum regis Georgii III. (Leschenault, teste cl. Gay). In rupestribus umbrosis montis Elphinstone, distr. Plantagenet, d. 11. Octobr. 1840. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1648!) v. s.

Cel. Gay l. c. speciem accuratissime descripsit et floris analysis egregie delineavit. Figura in Bot. Mag. l. c. plantam bene refert, sed minus instructiva est.

Planta spontanea in herbariis raro occurrit, saepissime cum speciebus affinis confusa. In frigidariis ubique colitur.

2. *Thomasia macrocalyx* Steudel.

Th. pube stellata patente hispidula, racemis lateralibus simplicibus, petalis nullis, filamentis antheram subaequantibus *).

Thomasia macrocalyx Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 230. No. 1.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in arenosis sylvae ad fluvium Preston, distr. Wellington, d. 13. Decembr. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1657!) v. s.

Praecedente omnibus partibus grandior, floribus triplo majoribus ornata est.

Frutex sesquipedalis, teste cl. Preissio, ramosus, *caule* tereti, demum glabrato. *Rami* erecto-patentes, virescentes, pube stellata duplicis indolis hispiduli, scilicet inferiore brevissima, appressa, alba, superiore longiore, rigida, patente, subferruginea. *Folia* petiolata, *petiolo* 3-4-linearis, hispidulo, oblonga, integra, penninervia, margine levissime undulata, basi rotundata, cordata, apice obtusa, utrinque pilis stellatis, remotiusculis, flavescens conspersa, mollia, $\frac{1}{2}$ -1 $\frac{1}{2}$ pollices longa, 4-7 lin. lata. *Stipulae* foliaceae, maximae, *petiolo* foliorum plerumque duplo longiores, persistentes, sessiles, sive brevissime petiolatae, subdimidiatae, ovatae, obtusae, integrae, sive hinc lobo obtuso basilari auctae, basi valde inaequales, latere altero magis producto, ideoque profunde semicordatae, utrinque foliorum instar stellulis remotiusculis vestitae. *Racemi* laterales, oppositifolii, plerumque semipedales, erecto-patentes, 3-8-flori; *rhachi* tereti, eodem modo ut in ramis pube stellata duplicis indolis munita, basi longe nuda, apice florifera; *floribus* secundis, nutantibus, pedicellatis, magnis. *Pedicelli* 4 lin. longi, hispiduli, basi apiceque bracteati; *bractea basilari* solitaria sive geminata, persistente, foliacea, ovata, utrinque attenuata, brevissime pedicellata, nervo medio prominulo, 1 $\frac{1}{2}$ -3 lin. longa; *bractea hypocalycina* persistente, calycem subaequante, tripartita, reflexa, *laciniis* linearibus, basi attenuatis, et, ut bractea basilaris, utrinque hispidulis, intermedia lateralibus paullisper longiore. *Calyx* petaloideus, campanulatus, purpureo-violaceus, demum scarioso-membraceus, utrinque pilis stellatis conspersus, diametro semipollicari, sed expansus pollicem fere aequans, medio tenuis quinquefidus, *segmentis* ovatis, acutiusculis, erectis, conniventibus, nervo carinali valido, saturatius colorato ornatis, reticulato-venosis. *Petala* nulla. *Filamenta* 5, glabra, crassiuscula, atro-purpurea, omnia fertilia, basi paullisper dilatata et in anulum angustum connata, longitudine 1-1 $\frac{1}{4}$ linearum antherarum basin excedentia. *Antherae* biloculares, glabrae, concolores, oblongo-subtetragonae, filamento paullo supra medium insertae, 1 $\frac{1}{4}$ lin. longae, apice integrae, intus apertae, basi profunde emarginatae, subbifidae, sulco dorsali exaratae, et rima laterali utrinque sero dehiscentes. *Ovarium* subsessile, filamentis duplo brevius, ovoideum, 3-sulcatum, glabriusculum, granulosum, brunneum, 3-loculare; *loculis* 4-5-ovulatis. *Stylus* setaceus, gracillimus, glaberrimus, antheras paullo superans, 2 $\frac{1}{2}$ lin. longus, *stigmatibus* terminatus aequali, indiviso, truncato. *Capsula* carpophoro fere semilineari, ut in *Thomasia purpurea* stipitata, magnitudine fere pisi minoris, profunde 3-sulcata, pallescens, glabra, granuloso-punctata et plus minusve reticulato-venosa, 3-locularis. *Loculi*

*) Ubiqumque filamentorum mensuram indicavi, semper longitudinem relativam usque ad antherae basin intellexi, nunquam positivam usque ad locum insertionis, quoniam anthera filamento arcte accumbit, ideoque ejus longitudinem veram abscondit.

intus glaberrimi, nitidi. *Semina* in quovis loculo 2-3, in basi axis centralis dissepimentorum affixa, demum libera, collateralia, sive alterum altero paullo suprapositum, elliptica, utrinque obtusa, lineam fere longa, glabra, brunneo-cinerea, punctisque nigris conspersa, basi strophiolata. *Strophiolium* membranaceum, flavescens, cupuliforme, crenatum, varia forma, sed plerumque inaequale, hinc bifidum.

3. *Thomasia undulata* Steetz.

Th. pube stellata appressa cinerea asperula, racemis lateralibus terminalibusque saepe ramosis, petalis nullis, filamentis anthera multo brevioribus.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan River Colonia, ad flumen Vasse River, Drummond! (Collect. 1. No. 383! Collect. 2. No. 58!) v. s.

Proxima quidem speciei praecedenti, sed formas inter utramque speciem intermedias non vidi, et habitus omnino alius est. — Differentias observavi has:

Pubescentia in tota planta stellata quidem, sed brevissima, appressa est. *Folia* et *stipulae* quod ad formam et indumentum attinet, omnino eadem, sed multo crassiora, rigidiora, subrugulosa et asperula (nec mollia) sunt, eorumque margo multo magis undulatus, imo crispus est. *Racemi* laterales et terminales, plerumque ramosi, 3-6-flori, *floribus* duplo minoribus, multo magis hirsutis versus apicem onusti sunt. Praesertim vero differt a specie praecedente; *filamentis* brevissimis, antherarum basin vix longitudine lineae quadrantis excedentibus, quare antherae sessiles fere videntur. *Antherae* ipsae vix breviores sunt quam in praecedente, lineam scilicet metientes. *Ovarium* brevissime quidem, sed manifeste stipitatum, etenim, ut in praecedentibus speciebus, carpophorum non nisi capsula maturescente augetur, ita ut demum sine lentis etiam ope conspicuum sit. *Capsulam* non vidi. — Reliqua omnia ut in specie praecedente.

§ 2. Capsulis sessilibus.

4. *Thomasia cognata* Steudel.

Th. hispida, foliis petiolatis oblongis obtusis, floribus brevissime pedicellatis, petalis 5 dorso villosis, filamentis anthera ferruginea longioribus, ovario 5-loculari dense villosa, stylo stamina subaequante.

Thomasia cognata Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 232. No. 7.

Thomasia purpurea Endlicher! in Enum. plant. Hügel. p. 11. No. 35. (teste specimine authentico, non Gay.)

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, ad sinum regis Georgii III. Hügel! In arenoso-conchyliosis humidis vallis prope lacum insulae Rottennest, d. 19. August 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1660! (florigerum), et No. 1666! (fructiferum.) In Swan-River Colonia, Drummond! (Collect. 2. No. 68!) v. s.

Prima fronte *Thomasiam purpuream* simulat, a qua tamen facillime dignoscitur: ovario villosa et cum capsula sessili, 5-loculari, filamentis longioribus, et stylo crassiore brevioraque.

Frutex sesquipedalis, undique, praesertim in ramis novellis stellato-hispidus. *Caulis* lignosus, ramosus, teres, demum denudatus, glabratus, et cortice rimoso, griseo vel brunneo tectus. *Rami* erecto-patuli, pube rigidiuscula, stellata, (duplicis indolis), patente, flavescenti-olivacea hispida. *Folia* breviter, interdum brevissime petiolata, petiolo 1-2-lineari, hispido, cras-

siuscula, oblonga, integra, sed margine subrecurvo undulato-crispa, penninervia, longitudinaliter subplicata, ideoque nervo medio supra argute impresso, subtus valido et prominente, basi attenuata et saepe paullisper inaequalia, apice valde obtusa, utrinque et margine pilis stellatis, remotis, flavescentibus, in pagina inferiore praesertim secus nervos conspersa, 4-10 lin. longa, $1\frac{1}{2}$ -3 lin. lata. *Stipulae* foliaceae, petiolo foliorum multo longiores, persistentes, sessiles sive brevissime petiolatae, subdimidiatae, ovatae, obtusae, integrae, sive hinc lobo obtuso, basilari auctae, basi inaequales, latere altero magis producto, semicordatae, caeterum foliorum textura et indumento. *Racemi* laterales, oppositifolii, $1\frac{1}{2}$ -2-pollicares, erecto-patentes, 3-5-flori; *rhachi* terete, hispida, basi longe nuda, apice florifera; *floribus* secundis, approximatis, nutantibus, parvis, breviter pedicellatis. *Pedicelli* vix lineam longi, hispiduli, basi apiceque bracteati; *bractea basilari* solitaria, persistente, foliacea, sessili, ovata, sive obtuse triloba, apice acuta, nervo medio prominulo, $1\frac{1}{2}$ -3 lin. longa; *bractea hypocalycina* persistente, calyce paullo brevior, eique subappressa, tripartita, *laciniis* linearibus, acutis, facie glabriusculis, margine et dorso pilis stellatis conspersis, intermedia lateralibus paullisper longiore. *Calyx* petaloideus, campanulatus, quinquefidus, in sicco obscure coloratus, in vivo forsitan purpurascens, demum scarioso-membranaceus, caeterum omnino sic, ut in *Thomasia macrocalyx* segmenta calycis descripsimus, sed duplo minor, diametro scilicet 3-lineari. *Petala* 5, a cl. Steudelio quidem non observata, revera adsunt, sed ovario filamentisque arcte appressa, a tomento stellato, densissimo occultantur. Vidi *petala* minima, longitudine lineae trientis, obovato-cuneata, obtusissima, facie concava, glabriuscula, reticulato-venosa, margine et dorso convexo pilis stellatis, albis dense sericea. *Filamenta* 5, glabra, basi libera, filiformia, ferruginea, lineam fere longa, omnia fertilia. *Antherae* glabrae, concolores, oblongo-subtetragonae, biloculares, medio insertae, semilineam vix longae, sulco dorsali, longitudinali exaratae, apice obtusae, integrae, intus apertae, basi emarginatae, rima laterali utrinque, sed vix per totam longitudinem dehiscentes. *Ovarium* sessile, ovoideum, filamenta subaequans, pilis stellatis, albis dense sericeum, 5-loculare; *loculis* 2-ovulatis. *Stylus* brevis, vix lineam longus, supra antheras non eminens, crassiusculus, *stigmatate* terminatus aequali, indiviso. *Capsula* sessilis, sphaeroidea, diametro $1\frac{1}{2}$ -2-lineari, 5-sulcata, pilis stellatis, albis, sed multo laxius vestita, quam florendi tempore, 5-locularis; *loculis* intus glaberrimis, nitidis, plerumque 2-spermis, semine altero interdum abortiente. *Semina* $\frac{3}{4}$ lin. longa, ovato-elliptica, utrinque obtusa, collateralia, sive alterum altero paullo superpositum, adscendentia, glabra, laevia, sive subtilissime punctata, et insuper punctis majoribus, nigricantibus conspersa, basi strophiolata. *Stropholum* membranaceum, stramineum, cupuliforme, inaequale, hinc bilobum, ut plurimum vero breve.

Obs. 1. Cel. Gay l. c. *Thomasiae* generi ovarium 3-loculare tribuit. Sed hic est character minime constans. Cel. Gay ipse in *Thomasia purpurea* interdum ovarium 4-loculare observavit, (cf. l. c. p. 454), etiamsi ovarium 3-loculare saepius occurrit. Idem observavi in *Thomasia paniculata*, in qua ovaria 3-locularia et 4-locularia promiscue reperiuntur, et quidem in uno eodemque specimine. *Thomasia cognata* vero et *Thomasia rulingioides* ovario 5-loculari constanter instructa sunt, nec unquam ovarium sive capsulam 3-locularem in ullo specimine detexi. Minime vero propter hunc characterem species has e genere excluderem, quippe quae habitum generis peculiarem ita stricte prae se ferant, ut facillime cum *Thomasia purpurea* confundi possint, nisi examini accurato subjiciantur.

Obs. 2. No. 1640 et No. 1665 herbarii Preissiani sunt specimina sterilia *Thomasiae* alicujus, et fortasse imo ad *Thomasiam cognatam*, cujus habitu utuntur, pertinent. Quum vero nullum vel floris vel capsulae vestigium invenerim, certo definiri non possunt.

5. **Thomasia rulingioides** Steudel.

Th. hispida, foliis sessilibus oblongo-lanceolatis obtusis basi attenuatis, floribus brevissime pedicellatis, petalis 5 apice ciliatis, filamentis antheram atro-purpuream subaequantibus, ovario 5-loculari glabro, stylo stamina subaequante.

Thomasia rulingioides Steudel! in Lehm. Plant. Preiss.

T. 1. p. 232. No. 6.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in solo ferrugineo-limoso vallis prope Limekilln, distr. Perth, d. 19. Jun. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1663!) v. s.

Proxime ad speciem praecedentem et ad *Thomasiam purpuream* accedit, prima tamen fronte ab utraque *foliis sessilibus* distinguitur; egregie praeterea differt floris partibus.

Frutex pedalis et ultra, teste cl. Preissio. *Caulis et rami* omnino fere ut in praecedente, sed *rami* pubescentia stellata, fusca vestiti, innovationes stellulis albidis hispidae. *Folia* omnino sessilia, crassa, strigulosa, oblongo-lanceolata, obtusa, basi attenuata, subplicata, margine eroso-dentata, undulata, 6-10 lin. longa, 1-2 lin. lata, caeterum ut in praecedente pilis stellatis, remotis utrinque obsita, eademque nervatione instructa. *Stipulae* margine plerumque eroso-dentatae, caeterum ut in praecedente. *Racemi* oppositifolii, basi longiuscule, saepe sesquipollicis spatium nudi, apice plerumque 3-flori; *floribus* approximatis, breviter pedicellatis; *pedicelli et bractee* ut in praecedente. *Calyx* paullisper major, diametro $3\frac{1}{2}$ -lineari, laete purpurascens, caeterum a calyce *Thomasiae cognatae* non diversus. *Petala* 5. squamaeformia, minima, semilineam fere longa, obcordato-cuneata, ciliis stellatis, albidis margine conspersa, caeterum glabra, atro-purpurea, reticulato-venosa. *Filamenta* glabra, basi libera, planiuscula, atro-purpurea, $\frac{2}{3}$ lin. longa, omnia fertilia. *Antherae* concolores, subaequilongae, medio insertae, biloculares, loculis basi divergentibus, caeterum ut in specie praecedente. *Ovarium* sessile, sphaeroideum, minimum, atro-purpureum, granulosum, glabrum sive vernicosum, 5-loculare; *loculis* 2-3-ovulatis. *Stylus* crassiusculus, glaber, brevis, multo brevior quam in *Thomasia purpurea*, $\frac{3}{4}$ lin. longus, antheras non superans, *stigmatibus* terminatus truncato, subcapitato. *Capsulam* non vidi.

6. **Thomasia angustifolia** Steudel.

Th. tomentosa, foliis petiolatis oblongis, pedicellis flores paullo superantibus, petalis nullis, filamentis anthera pruinosa subbrevioribus, ovario 3-loculari dense sericeo, stylo stamina subaequante.

Thomasia angustifolia Steudel! in Lehm. Plant. Preiss.

T. 1. p. 232. No. 8.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in regionibus interioribus Swan-River Coloniae. d. S. Nov. 1840. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1634!) v. s.

Species distinctissima, sed non nisi ramus superior, digitalis speciminis unici suppetit.

Ramuli teretes, et ut tota planta pilis stellatis, subappressis, cinereis tomentosi. *Folia* in frustulo nostro breviter pedicellata, *pedicello* lineam longo, tomentoso, lineari-oblonga, integra, crassa, penninervia, nervis supra argute impressis, subtus prominulis, basi subcordata, apice obtusiuscula. margine recurvo subundulata, utrinque tomento stellato, denso, molli, subtus ferrugineo obsita, 4-5 lin. longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ lin. lata. (*Folia* in inferiore caulis parte, quam non vidi, verisimiliter majora erant.) *Stipulae* foliaceae, petiolo foliorum longiores, subsessiles, basi inaequales, semicordatae, ovatae, sive

basi obtuse trilobae, textura et indumento foliis simillimae. *Racemi* oppositifolii, sesquipollicares, erecto-patentes, 3-5-flori; *rhachi* terete, cinereo-tomentosa, basi longe nuda, apice florifera; *floribus* secundis, remotiusculis, subnutantibus, pedicellatis, parvis; *pedicellis* longiusculis, $2\frac{1}{2}$ -3 lin. longis, cinereo-tomentosis, basi apiceque bracteatis; *bractea basilari* persistente, solitaria, (in flore supremo subinde gemina,) minima, lineam vix longa, lineari, sessili, foliacea, acutiuscula, utrinque tomentosa; *bractea hypocalycina* persistente, tripartita; *laciniis* linearibus, subaequalibus, calyce paullo brevioribus, utrinque tomentosis, patentibus. *Calyx* omnino ut in praecedentibus, sed multo minor, diametro 2-2 $\frac{1}{2}$ -lineari. *Petala* nulla. *Filamenta* 5, atro-purpurea, planiuscula, basi paulisper dilatata sed vix connata, glabra, semilineam longa, omnia fertilia. *Antherae* $\frac{3}{4}$ lin. longae, glauco-pruinosa, loculis basi minus divergentibus, caeterum omnino ut in specie praecedente. *Ovarium* sessile, ovato-sphaeroideum, obsolete 3-sulcatum, antheris brevius, pilis stellatis, albis dense sericeum, 3-loculare; *loculis* 2-ovulatis. *Stylus* brevis, semilineam longus, antheras non superans, glaber, filiformis, *stigmatibus* truncato, indiviso coronatus. *Capsula* sessilis, sphaeroidea, profunde 3-sulcata, pilis stellatis, brevissimis, remotiusculis undique vestita, 3-locularis; *loculis* intus glaberrimis, nitentibus, plerumque 2-spermis, semine altero interdum abortiente. *Semina* parva, semilineam paullo excedentia, ovato-rotundata, collateralia, sive alterum altero paullo superpositum, adscendentia, nigro-fusca, pube levissima, alba, sparse puberula, basi strophiolata; *strophiolis* cupuliformi, stramineo, membranaceo, hinc bilobo, lobis paullo elongatis.

7. *Thomasia paniculata* Lindley.

Th. hispida, foliis petiolatis cordatis lanceolatis sive subhastatis, stipulis rotundatis, petalis 5 minutissimis, filamentis anthera brevioribus, ovario mucronato glanduloso-velutino, stylo glabro stamina superante.

Thomasia paniculata Lindley! Swan-River Bot. in Append. ad Bot. Reg. p. XVIII. No. 80.

Thomasia subhastata Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 232. No. 9 (ex parte).

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia, Drummond! Collect. 1. No. 379! Ibidem, Preiss! (Herb. Preiss. No. 1633!) v. s.

Cl. Lindley in diagnosi brevi, l. c. speciem ut *plantam apetalam* descripsit. At *petala* 5, filamentis opposita, minutissima quidem, revera adsunt, et remoto ovario facillime cognoscuntur.

Frutex elatus. *Truncus* ramosus, crassus, levissime striatus, *cortice* pallide ferrugineo, laevi, demum glabrato tectus. *Rami* undique divaricati, pilis stellatis rigidis, fuscis, nitentibus hispidi; *ramuli novelli* pilis hujusmodi confertissimis hispidissimi. *Folia* petiolata, *petiolo* terete, hispido, 3-6 lin. longo, elongato-lanceolata, versus apicem sensim angustata, acuta, basi rotundata, cordata, sive subhastata, lobis brevibus rotundatis, margine subrecurvo pilis stellatis conspersa, leviter repanda, pennis nervia, subplicata, ideoque nervo medio supra argute impresso, subtus valde prominente, utrinque stellulis rigidulis, remotis, in pagina inferiore praesertim in nervis primariis magis approximatis, exasperata, *inferiora* 2-3-pollicaria, basi $\frac{3}{4}$ pollices lata. *superiora* minora, pollicem vix attingentia, et basi 2 lin. lata. *Stipulae* foliaceae, brevissime petiolatae, varia forma, plerumque rotundatae, latissimae, subreniformes, semicordatae, valde inaequales, interdum lobo basilari, obtuso hinc auctae, petiolo foliorum breviores, et ut folia stellato-hispidae. *Racemi* oppositifolii, folio plerumque paullo longiores, patentissimi, 3-6-flori; *rhachi* terete, ramulorum instar hispidissima, $1\frac{1}{2}$ -2 $\frac{1}{2}$ -pollicari, medio tenuis circiter nuda, stricta, supra medium florifera, flexuosa;

floribus remotiusculis, pedicellatis: *pedicellis* 1-3 lin. longis, patentissimis, hispidis, basi apiceque bracteatis; *bractea basilari* solitaria, ut videtur decidua, minima, pedicello multo minore, anguste lineari, utrinque attenuata, facie glabra, dorso stellulis paucis conspersa; *bractea hypocalycina* persistente, dimidiam calycem subsuperante, tripartita, sub anthesi plerumque reflexa; *laciniis* linearibus, utrinque pilis stellatis densissime vestitis, (stellulis faciei multo minoribus, mollioribus, dorsi majoribus, rigidioribus, atropurpureis,) intermedia lateralibus paullo longiore. *Calyx* campanulatus, ut ex sicco videtur roseus, diametro 4-lineari, reticulato-venosus, demum membranaceo-scariosus; *segmentis* 5, ovatis, acutis, utrinque pilis stellatis mollibus conspersis, et insuper dorso, in nervo carinali, stellulis rigidis, atropurpureis basi medio tenuis munitis, et facie in eodem nervo, pilis mollibus, simplicibus vestitis. *Petala* 5, minutissima, longitudine lineae quadrantis, glaberrima, atro-purpurea, cuneata, apice truncata. *Filamenta* 5, basi vix atque ne vix quidem connata, atro-purpurea, longitudine semilineae antherarum basin excedentia, omnia fertilia. *Antherae* oblongo-tetragonae, atropurpureae vel glauco-pruinosae, supra medium insertae, biloculares, basi loculis approximatis emarginatae et longiuscule liberae, dorso sulco longitudinali exaratae, et utrinque rima laterali sero dehiscentes. *Ovarium* sessile, ovato-sphaeroideum, mucronatum, staminibus multo brevius, dense glanduloso-velutinum, glandulis in apice pilorum atro-purpureis, clavaeformibus, 3-4-sulcatum, 3- sive 4-loculare; *loculis* plerumque 4-ovulatis. *Stylus* glaber, cylindricus, gracilis, mucronulo velutino ovarii insidens, 1 $\frac{1}{4}$ lin. longus, antheras paullisper supereminens, *stigmatibus* aequali, truncato terminatus. *Capsulam* non vidi.

Obs. Vidi in unico specimine ovaria tria 4-locularia, promiscue cum 3-locularibus, quare, hanc abnormitatem non raro occurrere, suspicor.

8. **Thomasia grandiflora** Lindley.

Th. foliis petiolatis cordatis ovatis, petalis nullis, filamentis anthera quadruplo brevioribus, ovario glanduloso-velutino, stylo basi tomentoso supra medium glabro stamina superante.

Thomasia grandiflora Lindley! Swan-River Bot. in App. ad Bot. reg. p. XVIII. No. 84.

Thomasia cynopotamica Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. I. p. 231. No. 4.

Thomasia lucida Steudel! in Lehm. l. c. p. 231. No. 5.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan River Colonia, ad flumen Vasse-River, Drummond! Collect. 1. No. 375! et 384! Collect. 2. No. 70! In solo limoso-arenoso inter frutices planitiei prope villam cl. Yule, ad flumen Cygnorum, d. 15. Octobr. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1667!) et in arenosis distr. York, d. 22. Mart. 1839. (Herb. Preiss. No. 1645!) v. s.

Frutex 1-2-pedalis. *Caulis* crassus, glaber, cortice cinereo tectus, ab ima basi ramosus. *Rami* suberecti, teretes, graciles, plerumque simplices, vel versus apicem parce ramosi, inferne laeves, glabrati, nodis semicircularibus post foliorum lapsum praediti, superne pilis stellatis tomentosi, nunc hispiduli. *Folia* petiolata, *petiolo* hispidulo, plerumque 3-4-, interdum 6-lineari, ovata, basi rotundata, leviter cordata, apice sensim attenuata, obtusiuscula, integra, sive margine vix ac ne vix quidem repanda et denticulis callosis, non nisi lentis ope conspicuis, hinc inde instructa, penninervia, et more specierum praecedentium plicata, ideoque nervo medio supra argute impresso, subtus valde prominente, *adultae* subcoriacea, glaberrima, fere nitentia, *novella* margine et utrinque, praesertim in nervo medio, stellulis remotis, mox deciduis conspersa, caeterum varia forma et magnitudine; vidi pollicaria et imo majora, 2-4 lin. lata, semipollicaria latitudine 4-5 linearum,

et multo minora in uno eodemque specimine. *Stipulae* brevissime petiolatae sive subsessiles, dimidiatae, raro ovatae, integrae, plerumque lobo basilari, obtuso hinc auctae, apice obtusae, basi inaequales et semicordatae, foliorum instar glaberrimae, coriaceae, subnitentes, petiolo folii, quod fulciunt, plerumque paullo, interdum duplo fere longiores. *Racemi* pseudo-terminales *), erecti, stricti, 2-3-pollicares; *rhachi* pollicis spatium et ultra nuda, pilis stellatis brunneis hispidula, summo apice florifera; *floribus* paucissimis, 2-3, approximatis, pedicellatis, nutantibus, maximis; *pedicellis* 3-4 lin. longis, (raro longioribus), patentibus, hispidis, basi apiceque bracteatibus; *bractea basilari* solitaria, rarissime gemina, minima, ovata, sive anguste lineari, 1½-2½ lin. longa, utrinque stellulis plus minusve dense conspersa, et, ut videtur, valde caduca; *bractea hypocalycina* persistente, calyce paullo brevior, tripartita, *laciniis* plerumque reflexis, ovatis, utrinque attenuatis, acutiusculis, in utraque pagina pilis stellatis, cinereo-brunneis densissime tomentosus, intermedia lateralibus longiore latioreque. *Calyx* campanulatus, maximus, expansus pollicem aequans, in vivo, teste cl. Preissio, roseus, textura, ut videtur, multo succulentiore et crassiore, minus membranaceo-scariosa, quam in congeneribus caeteris, medio tenus in *segmenta* 5 ovata, acutiuscula, nervo valido carinali percursa, venoso-reticulata, utrinque pilis stellatis albidis, mollibus velutina, margine externo vero lineam lato, scarioso, undulato, extus glaberrimo, circumdata, — partitus. *Petala* nulla *). *Filamenta* 5, planiuscula, basi dilatata, approximata sed non connata, atro-purpurea, brevissima, non nisi semilineam antherae basin superantia, omnia fertilia. *Antherae* oblongae, subtetragonae, compressiusculae, atro-purpureae sive glauco-pruinosa, biloculares, loculis basi approximatis, utrinque subemarginatae, et filamentum jam ima basi adnatae, caeterum solito more medio insertae, sulco dorsali exaratae, utrinque rima laterali dehiscentes, 2 lin. longae. *Ovarium* sessile, subglobosum, muticum, antheris multo brevius, obsolete 3-sulcatum, plus minusve dense **) pilis, articulis roseis albisque alternis pulchre annulatis, glandula atro-purpurea, clavaeformi terminatis, glanduloso-velutinum, 3-loculare; *loculis* 6-8-ovulatis. *Stylus* cylindricus, gracilis, 2 lin. longus, stamina paullo excedens, basi paullo incrassata medio tenus pilis stellatis tomentosus, supra medium glaberrimus, *stigmatibus* aequali, truncato terminatus. *Capsulam* non vidi.

9. *Thomasia foliosa* Gay.

Th. foliis petiolatis cordatis late ovatis 5-7-lobis membranaceis, stipulis lineari-lanceolatis minutis, petalis nullis, filamentis antheram ferrugineam aequantibus, ovario dense sericeo. stylo stamina calycemque longe superante.

Thomasia foliosa Gay! l. c. p. 454. No. 2. tab. 22. DC!
prodr. T. 1. p. 489. No. 2.

Thomasia viridis Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1.
p. 234. No. 14.

*) *Racemi* eodem modo ut in *Thomasia undulata* terminales videntur, revera autem in utraque specie non terminales, sed ut in omnibus caeteris oppositifolii sunt. Anthesi peracta enim ex axilla folii supremi ramus novellus semper pullulat, quo adolescente racemus, ante anthesin terminalis, lateralis fit. Hinc racemum pseudo-terminalem nuncupavi. Idem observamus in *Stellaria glauca*, *Polygala depressa*, et multis aliis plantis.

**) In ima calycis basi, anthesi peracta, protuberantias crassiusculas, filamentis oppositas, ideoque *petalorum* rudimenta minima, quae non nisi lentis ope distingui possunt, observasse persuasum habeo, quorum nullum vestigium sub anthesi vidi.

***) In speciminibus ad flumen Vasse River lectis, et in No. 1645 herbarii Preissiani, *ovarium* non nisi ima basi pilis glandulosis obsitum est, versus apicem granulosum.

Hab. in Novae Hollandiae ora occidentali, maxime australi ad sinum Geographi (Leschenault!) In Swan-River Colonia, et ad flumen Vasse-River, Drummond! (Collect. 2. No. 64!) In limoso-arenosis subumbrosis prope villam cl. M'Dermot ad flumen Cygnorum, d. 29. Jun. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1630!) et in solo limoso ad St. George's Terrace, distr. Perth, d. 21. Jan. 1840. (Herb. Preiss. No. 1649! et 1653!) v. s.

Specimina Drummondiana et Preissiana sub No. 1649 villo densiore tecta sunt, quam caetera specimina, quae suppetunt, et specimen authenticum, quod in herbario Lehmanniano comparavi. Praeterea nulla linea differunt, et optime quadrant in descriptionem exactissimam, a cel. Gayo elaboratam, cui accedit figura optima. Nil igitur addam nisi descriptionem *capsulae et seminum*, quae cel. Gay non vidit.

Capsula matura sessilis, *stylo* persistente, elongato, gracillimo coronata, obovato-sphaeroidea, apice depressa, et latere visa, obcordata, basi paullulum attenuata, sed non stipitata, 3-costata, et sulcis 3 profundis, longitudinalibus exarata, pallide ferruginea et pilis stellatis, remotiusculis conspersa, 3-ocularis, lineam lata et longa. *Loculi* intus glaberrimi, nitidi, monospermi. *Semen* in quovis loculo solitarium, in basi axis centralis dissepimenti affixum, oblongum, utrinque, praesertim apice obtusum, $\frac{3}{4}$ lin. metiens, punctatum, glaberrimum, ferrugineum, basi strophiolatum; *strophiole* tenuissimo, membranaceo, cupuliformi, stramineo, inaequali, in lacinias 3-5 plus minusve elongatas, medium seminis plerumque superantes, diviso.

10. *Thomasia discolor* Steudel.

Th. foliis petiolatis cordatis late ovatis 5-7-lobis coriaceis, stipulis rotundatis magnis, floribus cymosis, petalis nullis, filamentis anthera pruinosa poris duobus apice dehiscente longioribus, ovario dense sericeo, stylo calyce brevior.

Thomasia discolor Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 233. No. 13.

Thomasia quercifolia Herb. Bauer! (non Gay).

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali. Ferd. Bauer! *) In rupibus umbrosis chasmatis clivuli Williamspoint, distr. Plantagenet, d. 30. Sept. 1840. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1658!) v. s.

Frutex pulcherrimus, teste cl. Preissio 4-pedalis. *Caulis* teres, crassus, tomento crispo, cinereo-fusco densissime tectus, plus minusve ramosus. *Rami et ramuli*, praesertim *novelli* eodem tomento, et pilis stellatis, obscure ferrugineis sive brunneis insuper vestiti, axillares, erecto-patentes, plerumque breves. *Folia* petiolata; *petiolo* semipollicari, crasso, dense tomentoso; *limbo* 1-2-pollicari et ultra, coriaceo, late ovato, basi plus minusve, interdum profunde cordato, apice acutiusculo, margine vix recurvo, obtuse 5-7-lobis, supra, (in foliis novellis), pilis stellatis, albidis, confertis molli, in adultis demum glabrato, (exceptis nervis primariis,) aspero, subtus tomento stellato, (in foliis novellis), fusco-brunneo, in adultis ferrugineo, dense obsito, penninervi, nervis primariis subtus prominentibus, in lorum apices abeuntibus; *lobis* inaequalibus, obtusis, oppositis, imis brevissimis, terminali paullo producto. *Stipulae* foliaceae, petiolatae; *petiolo* brevissimo; *limbo* latissimo, obtusissimo, subreniformi, 4-5 lin. lato, 3-4 lin. longo, interdum multo minore, et foliorum petiolo semper brevior, basi subcordato, et paullo inaequali, integro vel levissime repando, obsolete nervoso, caeterum

*) In herbario Bauermano Terra van Diemen ut patria plantae nostrae indicata est. Suspicio tamen, hanc patriae significationem falsam esse, quum in Terra van Diemen, quod sciam, nulla *Thomasiae* species haecenus detecta sit.

eodem indumento, quo folia tecta sunt, obducto. *Cymae* oppositifoliae, erecto-patentes, abbreviatae, florendi tempore vix pollicem excedentes, multiflorae; *rhachi* terete, dense tomentosa, medio tenuis nuda, indivisa, supra medium plerumque furcata; *floribus* utrinque 2-5, et insuper *flore* solitario in bifurcatione, pedicellatis; *pedicellis* tomentosis, ferrugineis, 2 lin. circiter longis, basi apiceque bracteatis; *bractea basilari* solitaria vel haud raro gemina, in medium pedicellum subinde producta, persistente, brevissima, lineam longa, filiformi, teretiuscula, undique stellulis albido-cinereis dense tomentosa; *bractea hypocalycina* persistente, tripartita, calycem dimidium aequante, *laciniis* linearibus, apice obtusiusculis, pilis stellatis, facie cinereis, dorso ferrugineis, dense tomentosus, demum reflexis. *Calyx* campanulatus, diametro circiter 5-lineari, in flore expanso 9-lineari, in segmenta 5, fere basin usque incisa, partitus; *segmentis* ovato-lanceolatis, acutis, nervo medio carinali, valido instructis, reticulato-venosis, laete roseis, facie glaberrimis, dorso stellulis albis, brevissime radiatis, remotiusculis conspersis, et in nervo carinali, stellulis rigidioribus, ferrugineis insuper praeditis, demum scarioso-membranaceis. *Petala* nulla. *Filamenta* 5, filiformia, basi libera, atro-purpurea, 1½ lin. fere longa. *Antherae* glauco-pruinosae, oblongae, sub-tetragonae, lineam vix aequantes, sulco dorsali exaratae, utrinque subemarginatae, basi longiuscule liberae, et medio insertae, latere interiore poris duobus apicalibus, in rimam lateralem, obsoletam decurrentibus, dehiscentes. *Ovarium* sessile, ovoideo-sphaericum, muticum, obsolete 3-sulcatum, pilis stellatis, stramineis dense tomentosum, 3-loculare; *loculis* 2-3-ovulatis. *Stylus* brevis, lineam longus, cylindricus, sive omnino glaber, sive basi stellulis paucis conspersus, *stigmatibus* aequali, truncato terminatus. *Capsula matura* (in specimine Bauermano) sessilis, magnitudine fere pisi sativi minoris, ovoidea, manifeste 3-sulcata, pilis stellatis, stramineis densissime obsita, 3-locularis: *loculis* intus puberulis, monospermis. *Semina* ad basin axis centralis dissepimentorum affixa, oblonga, utrinque obtusa, lineam paullo excedentia, laevia, subpuberula, fusca et punctis nigris creberrimis conspersa, strophiolata; *strophiole* basilari, brevi, stramineo, hinc integro vel crenato, illinc bifido.

Obs. Haec species revera fluctuat inter *Thomasiae* et *Lasiopetali* genera. Hinc inflorescentia cymosa, et antheris poris duobus apicalibus dehiscentibus, ad *Lasiopetali* genus accedit, illinc stipulis magnis foliaceis, petalorum defectu, calyce magno membranaceo petaloideo, et habitu ab eodem genere abhorret, et *Thomasiae* genus attingit. Sola quidem inter omnes congeneres, cujus inflorescentia non sit racemosa, sola, cujus antherae non rima laterali utrinque dehiscant, attamen multae sunt species, quarum antherae non tota longitudine lateraliter dehiscant, etiamsi rima laterali minus obsoleta instructae sint, quam antherae *Thomasiae discoloris*. Harum vero nonnullas cel. Gay ipse a genere suo non separavit, quippe quae habitu caeteris congeneribus arcte conjunctae sint. Itaque nostrae speciei locum servavi in eo genere, cujus habitum ita manifeste prae se fert, neque ullo modo consentirem, si quis eam in novum genus transferre vellet. E contrario species hae intermediae sive anomalae maximi momenti sunt ad continuandam seriem generum, et ad firmandam catenam rerum naturalium.

Sectio II. DECANDRAE: Filamentis 10. aeternis sterilibus.

II. *Thomasia solanacea* Gay.

Th. tomentosa, foliis petiolatis ovatis cordatis 7-11-lobis utrinque tomentosus, petalis 5.

Thomasia solanacea Gay! l. c. p. 456. No. 3. tab. 21. fig. 1—7. DC! prodr. T. I. p. 489. No. 3. Endlicher! in Enum. plant. Hüg. pag. 12. No. 37.

Lasiopetalum solanaceum Sims! in Bot. Mag. T. XXXVI. tab. 1486.

Lasiopetalum triphyllum Smith! in Rees Cyclop. T. 21. (1811.) (non Labill.)

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in sinu regis Georgii III, Riedlé, (teste cel. Gay) Hügel! v. s. et v. c.

Species pulcherrima, jam diu nota et in Europa culta, nec a cl. Preissio, nec, quod sciam, hactenus a cl. Drummondio collecta est.

Figura in Bot. Mag. plantam bene refert. E descriptione egregia cel. Gayi pauca haec excerpti: *Petala* minima. *Filamenta sterilia* fertilia (remota anthera) subaequantia, omnia basi manifestius connata, quam in plerisque congeneribus. *Ovarium* sessile, breviter mucronatum, dense stellato-tomentosum. *Stylus* brevis, semilineam longus, glaberrimus, mucronulo ovarii tomentoso insidens. — Omnia haecce optime demonstrat analysis floris, a cel. Gayo l. c. delineata.

12. *Thomasia triphylla* Gay.

Th. hispida, foliis petiolatis sinuato-angulatis utrinque pilis stellatis remotis conspersis, petalis nullis, ovario mucronato.

Thomasia triphylla Gay! l. c. p. 458. No. 4. DC! prodr. T. 1. p. 489. No. 4.

Lasiopetalum triphyllum Labillardière! Nov. Holl. T. 1. p. 63. tab. 88.

Thomasia foliosa Endl! in Enum. plant. Hüg. p. 12. No. 36. teste specimine authentico! (non Gay.)

Thomasia stipulacea Lindley! Swan-River Bot. in App. ad Bot. Reg. p. XVIII. No. 79. Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 234. No. 15.

Thomasia glabrata Steudel! l. c. p. 234. No. 16.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Terra van Leuwin, Labillardière. In Swan-River Colonia, ad Freemantle et Gardners Island, Hügel! Iisdem locis, Drummond! (Collect. 1. No. 382! Collect. 2. No. 66!) Ibidem, Preiss! (Herb. Preiss. No. 1635!) et in arenosis ad flumen Swan-River, inter Freemantle et Rockybay, d. 26. Decemb. 1838. (Herb. Preiss. No. 1639!) v. s.

Postquam descriptiones exactissimas cell. Gayi et Labillardieri ejusque iconem diligenter comparaveram, non amplius dubitavi, quin synonyma, quae supra attuli et quorum specimina authentica ipse examinavi, omnia huc pertineant.

Folia supra pilis stellatis, remotis hispida, subtus glaberrima, sed in nervis primariis pilis stellatis, fuscis, rigidis conspersa. *Filamenta* 5 sterilia brevissima, *fertilibus* alternis, sesquilinearibus multoties breviora, acuta, basi latiore cum caeteris brevissime connata. *Antherae* glauco-pruinosae, utrinque rima laterali per totam longitudinem dehiscentes. *Ovarium* sessile, stellato-tomentosum, longiuscule mucronatum. *Stylus* brevissimus, lineae trientis longitudine, ovarii mucrone longiore, lineam fere metiente, stellato-tomentoso, deciduo insidens, glaberrimus.

Habitu proxime ad *Thomasiam discolorum* accedit, facillime vero distinguitur jam primo intuitu: inflorescentia *racemosa*, (nec *cymosa*) et *antheris* utrinque rima laterali per totam longitudinem dehiscentibus, praeterea *filamentis* 10, alternis sterilibus et indumento foliorum.

13. **Thomasia quercifolia** Gay.

Th. hispida, foliis petiolatis 3-5-lobis subtus hispido-tomentosis, petalis nullis, ovario mutico.

Thomasia quercifolia Gay! l. c. p. 459. No. 5. DC! prodr. T. 1. p. 489. No. 5. et Herb. Bauer!

Lasiopetalum quercifolium. Ait. hort. Kew. ed. 2. T. 2. p. 36. Andr. Bot. Repos. tab. 459. (ex cel. Gay.) Sims! in Bot. Mag. T. 36. tab. 1485.

Thomasia hypoleuca Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 234. No. 17.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, Ferd. Bauer! In calcareis ad tergum montis Baldhead, distr. Plantagenet, d. 16. Octobr. 1840, Preiss! (Herb. Preiss. No. 1646!) v. s.

Descriptio exactissima cel. Gayi in specimina Preissiana optime quadrat. Figura in Bot. Mag. l. c. plantam bene refert.

Folia supra stellulis remotis hispida, subtus pilis stellatis, albidis dense tomentosa, et insuper stellulis rigidioribus, ferrugineis, remotiusculis conspersa, praesertim in nervis primariis. *Filamenta sterilia* 5 alterna, brevissima, acuta, basi latiori cum caeteris connata, a cl. Steudelio quidem non observata, revera adsunt. *Filamenta fertilia* semilineam longa, *antheras* rima laterali per totam longitudinem dehiscentes, subaequantia. *Ovarium* dense stellato-tomentosum, muticum. *Stylus* glaberrimus, $\frac{2}{3}$ lin. longus.

Quoad characteres simillima quidem *Thomasiae triphyllae*, sed praeter notas indicatas facillime distinguitur: habitu multo humiliore, et *foliis floribusque* duplo minoribus.

14. **Thomasia pauciflora** Lindley.

Th. hispida, foliis petiolatis lanceolatis sive subhastatis cordatis, stipulis semiovatis, floribus longiuscule pedicellatis, petalis 5 minimis, filamentis sterilibus acuminatis, fertilibus anthera longioribus, ovario mucronato velutino.

Thomasia pauciflora Lindley! Swan-River Bot. in App. ad Bot. Reg. p. XVIII. No. 81.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia, Drummond! (Collect. 1. No. 373! et 378! Collect. 2. No. 69!) v. s.

Intermedia inter *Thomasiam paniculatam* et *Thomasiam subhastatam*. A priore egregie differt: *filamentis sterilibus* quae etsi a cl. Lindleyo non observata, tamen, remoto ovario, bene conspicua sunt. In *Thomasia paniculata* omnino desunt. Etiam *petala* cl. Lindley in diagnosi sua brevi negat, quod non miror, quia observationem saepissime fugiunt, si in flore modo aperto quaeruntur. Caveas igitur, ne decipiaris. Si vero calycem capsuligerum diligenter examinas, *petala* facile reperies.

Tota planta multo gracilior est quam *Thomasia paniculata*, ejusque *rami* minus divaricati sunt. *Folia* et *flores* duplo fere minora. *Folia* plerumque 1-1½-pollicaria, basi 2-3, rarissime 4 lin. lata reperi, caeterum tum forma tum indumento omnino similia. Reliqua in nostra planta sic se praebent: *Stipulae* brevissime petiolatae, dimidiatae, semiovatae, obtusae, semicordatae et valde inaequales, integrae vel lobo basilari, rotundato, longe producto auctae, petiolum folii, quod fulciunt, aequantes vel imo superantes. *Racemi* oppositifolii, folio plerumque breviores, erecto-patuli, semper fere 3-flori; *rhachi* terete, hispida, rarissime pollicem superante, longiuscule nuda, nec unquam flexuosa; *floribus* in summo apice approximatis, pedi-

cellatis; *pedicellis* $1\frac{1}{2}$ -2 lin. interdum 3 lin. longis, patentibus, hispidis, basi apiceque bracteatis; *bractea basilari* solitaria, ut videtur decidua, minima, pedicello multo minore, anguste lineari, utrinque attenuata, facie glabra, dorso hispida; (interdum *bractea* accessoria, sive duae oppositae in pedicello supremo insuper observantur); *bractea hypocalycina* omnino ut in *Thomasia paniculata*, sed dorso pilis stellatis ferrugineis (nec atro-purpureis) hispida. *Calyx* multo profundius in segmenta 5 fissus, quam in *Thomasia paniculata*; *segmentis* lanceolatis, acutis, multo angustioribus, ut ex sicco videtur violaceis, nervo carinali instructis, reticulato-venosis, utrinque stellulis albidis hirsutis, et dorso insuper stellulis rigidioribus atro-purpureis, praesertim basi, margine et in nervis primariis conspersis. *Petala* 5, filamentis fertilibus opposita, ovata, acutiuscula, glabra, atro-purpurea, lineae non nisi trientem longa. *Filamenta* 10, planiuscula, basi latiore connata, atro-purpurea, inaequalia; *sterilia* alterna, breviora, tenuiora, sensim acuminata, semilineam fere longa; *fertilia* crassiora, $1\frac{1}{4}$ lin. metientia, ovario aequilongo arcte appressa. *Antherae* atro-purpureae, oblongo-lineares, teretiusculae, medio insertae, basi vix emarginatae, obtusae, apice paullisper attenuatae, sulco dorsali, longitudinali exaratae, $\frac{2}{3}$ lin. fere longae, utrinque rima laterali per totam longitudinem dehiscentes; *valvulis* effoetis divaricatis. *Ovarium* sessile, ovoideo-sphaericum, mucronatum, densissime velutinum, sed pilis glanduliferis omnino destitutum, argute 3-sulcatum, 3-loculare; *loculis* 3-5-ovulatis. *Stylus* brevis, vix semilinearis, cylindricus, glaberri- mus, ovarii mucrone aequilongo, dense velutino insidens, *stigmatibus* aequali, truncato terminatus. *Capsula* subsessilis, sphaeroidea, pilis stellatis, minimis velutina, sulcis 3 profundis exarata, 3-locularis; *loculis* intus glabris, 2-3-spermis. *Semina* ad basin axis centralis dissepimentorum affixa, collateralia, oblonga, utrinque obtusa, subtrigona, lateribus duobus, raphe junctis, applanatis, tertio convexo, levissime puberula, brunnea, punctata, basi strophiolata; *strophiole* brevi, stramineo, hinc in lacinias duas breves abeunte.

Obs. Variat: floribus paullo majoribus, (specimina Drummondiana, Collect. 2. No. 69.) Specimina haec praeterea nullo modo differunt.

15. *Thomasia subhastata* Steudel.

Th. hispida, foliis petiolatis lanceolatis sive subhastatis cordatis, stipulis semiovatis, floribus brevissime pedicellatis, petalis 5 minimis, filamentis sterilibus brevissimis acutis, fertilibus anthera longioribus, ovario mucronato velutino.

Thomasia subhastata Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 232. No. 9. (ex parte.)

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia. In scaturiginosis sylvae prope villam cl. Spencer, distr. Plantagenet, d. 28. Sept. 1810. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1647!) v. s.

Idem cl. Steudelio accidit, quod cl. Lindleyo in examinando speciem praecedentem, quum nec *petala* nec *filamenta sterilia* observaret, qui error pari modo subtilitate harum floris partium excusandus est. Caeterum proxima est *Thomasiae pauciflorae*, et diu dubius haesi, annon esset mera ejus varietas. Quum vero characteres enumeratos in omnibus speciminibus, a me diligenter examinatis, constanter repererim, non amplius haesitavi, eam ut propriam speciem recipere, praesertim quum negari non possit, habitu peculiari jam primo intuitu distinctam esse.

* No. 1633 herbarii Preissiani, quem cl. Steudel huc refert, est *Thomasia paniculata* Lindl! — No. 1640 ejusdem herbarii est specimen sterile, quod non certo definiiri potest, ut opinor, frustulum *Thomasiae cognatae* Steudel. Cf. quae dixi in Obs. 2. de descriptioni hujus speciei annexa.

Caulis et *rami* graciles, omnino ut in praecedente. *Forma foliorum* et *stipularum* eorumque indumentum etiam non differunt, plerumque vero minora et graciliora sunt. *Folia* raro pollicis longitudinem aequant, rarissime superant, latitudine 2-2½ linearum, sic ut lineari-lanceolata dici possint; nunquam hastato-triloba inveni, saepissime basin versus utrinque paullo dilatata et subhastata sunt. *Racemi* oppositifolii, brevissimi, semipollicem vix ac ne vix quidem excedentes; *rhachi* hispida, basi medio tenus nuda, summo apice 3-flora, rarissime 4-5-flora; *floribus* majusculis, brevissime pedicellatis; *pedicellis* ½-1 lin. longis, (in floribus terminalibus interdum bilinearibus), hispidis, basi apiceque bracteatis; *bractea basilari* lineam longa, ovata, dorso stellulis conspersa, facie glaberrima, valde caduca, saepius forsitan omnino deficiente; *bractea hypocalycina* persistente, tripartita, demum reflexa, dimidium calycem subsuperante; *laciniis* linearibus obtusiusculis, utrinque pilis stellatis, rigidis, atro-fuscis sive olivaceis densissime hispidis, intermedia lateralibus paullo longiore et latiore. *Calyx* ut in praecedente, sed major, *segmentis* duplo fere latioribus, paulloque longioribus. *Petala* minima, vix quadrantem lineae longa, ovata, acutiuscula, atro-purpurea sive violacea, glabra, filamentis fertilibus opposita, sed non nisi remoto ovario remotisque calycis segmentis, armato oculo conspicua. *Filamenta* 10, planiuscula, atro-purpurea, basi latiora, valde inaequalia; *sterilia* alterna, ovata, acutiuscula, brevissima, petalis similia, eorumque longitudine lineae quadrantis; *fertilia* ut in praecedente, sive paullo longiora, sesquilineam interdum excedentia. *Antherae* omnino non differunt. *Ovarium* idem, sed pilis glanduliferis hinc inde ornatum, multo quidem rarioribus quam in ovario *Thomasiae paniculatae*, plerumque roseum. *Stylus* et *stigma* ut in praecedente. *Capsula matura* non suppetit.

16. *Thomasia? montana* Steudel.

Th. tomentosa, foliis petiolatis ovatis subcordatis, petalis 5, filamentis omnibus basi in cupulam ovarium superantem connatis.

Thomasia montana Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 230. No. 2.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia. In lapidosis cacuminis montis Bakewell, distr. York, d. 5. Sept. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1661!) v. s.

Species distinctissima, quodammodo anomala in genere et fortasse digna, quae novi generis typum exhibeat, fructu incognito vero neutiquam adhuc separanda, praesertim quum habitu caeteris congeneribus annectatur, exempli gratia *Thomasiae macrocalyx* et *undulatae*, a quibus praeter characteres essentielles, jam primo intuitu dignoscitur: stipulis multo minoribus petiolisque longioribus, ratione habita foliorum minorum.

Frutex 3-pedalis, teste cl. Preissio. *Caulis* teres, cortice brunneo, demum glabrato tectus, ramosus. *Rami* suberecti, cinerascens, pilis stellatis tomentosi, *ramuli novelli* pilis stellatis, patentibus, olivaceo-ferrugineis vestiti, hispiduli. *Folia* petiolata, *petiolo* tomentoso, plerumque 4 lin. longo, saepe patentissimo, ovata, integra, secundum longitudinem plicata, penninervia, nervis supra argute impressis, subtus validis, basi leviter cordata, apice obtusa, margine repanda et undulata, mollia, utrinque pilis stellatis, remotis hirsuta, subtus pallidiora, plerumque pollicaria, sive plus minusve minora, 4-7 lin. lata, *limbo* demum saepe reflexo. *Stipulae* petiolo folii quod fulciunt, minores, plerumque arrectae et ramis appressae, brevissime petiolatae vel subsessiles, ovatae, obtusae, integrae, sive lobo basilari, obtuso hinc auctae, basi valde inaequales et profunde semicordatae, supra pilis stellatis paucis hirsutiusculae, subtus in nervis stellulis paucissimis conspersae, sive glabriusculae, 2-3 lin. longae, 2-2½ lin. latae. *Racemi* oppositi-

folii, folia longe superantes, $1\frac{1}{2}$ -3-pollicares, erecto-patentes, 4-8-flori; *rhachi* terete, hispido-tomentosa, cinerea, ultra medium nuda, apice florifera; *floribus* secundis, approximatis, nutantibus, pedicellatis; *pedicellis* brevibus, $1\frac{1}{2}$ - $2\frac{1}{2}$ lin. longis, hispido-tomentosis, basi et apice bracteatis; *bractea basilari* solitaria, sessili, herbacea, lanceolata sive ovata, utrinque pilis stellatis hispidula, $1\frac{1}{2}$ - $2\frac{1}{2}$ lin. longa, et, ut videtur, valde decidua; *bractea hypocalycina* persistente, calycem fere aequante, cito reflexa, tripartita; *laciniis* linearibus, obtusis sive subspathulatis, basi attenuatis, utrinque pilis stellatis tomentosis. *Calyx* petaloideus, campanulatus, in sicco cinerascens sive ferrugineus, teste cl. Preissio, roseus, medio tenuis in segmenta 5 partitus, expansus diametro 8 linearum; *segmentis* ovatis, obtusiusculis, nervo medio carinali, valido instructis, utrinque pilis stellatis simplicibusque tomentosus, versus apices subvelutinis, anthesi peracta scarioso-membranaceis, reticulato-venosis. *Petala* 5, squamulaeformia, subcuneata, latissima, apice truncata, basi vix attenuata, obscure violacea, margine ciliata et utrinque stellulis albis hinc inde conspersa, caeterum glabriuscula, venoso-reticulata, $\frac{2}{3}$ lin. lata, $\frac{1}{3}$ lin. longa, cupula staminea duplo breviora. *Filamenta* 10, crassiuscula, inferne in cupulam cartilagineam, altitudine $\frac{3}{4}$ linearum, omnia connata, superne libera, in sicco purpurea, vernicosa, subaequilonga; *sterilia* 5, cupulam longitudine semilineae supereminentia, basi latiora, apice acuta, plerumque antheris, arcte conniventibus, introversus flexa et abscondita; *fertilia* totidem, sterilibus alterna iisque similia, antheris tota obiecta et occultata. *Antherae* ovato-oblongae, apice integrae, obtusae, basi loculis divaricatis profunde emarginatae, dorso sulco longitudinali exaratae, atro-purpureae, leviter granulosae, vernicosae sive subglutinosae, supra medium insertae, arcte conniventes, utrinque rima laterali dehiscentes^{*)}. *Ovarium* cupula staminea immersum et ab ea omnino occultatum, sessile, ovoideo-pyramidatum, atro-purpureum, parvum, apice acutatum, granulatum, glabrum sive subglutinosum, sulcis 3 longitudinalibus, profundis exaratum, ut videtur 3-loculare; *loculis* 8-10-ovulatis. *Stylus* cylindricus, glaber sive subglutinosus, basi paullisper incrassata in ovarii acumen abiens, sulcis longitudinalibus 3, obsolete exaratus, ideoque fortasse demum in stylos 3 solutus, gracilis, $1\frac{1}{2}$ lin. longus, antheras paullisper supereminens, et *stigmatibus* aequali, indiviso, truncato terminatus. *Fructum* non vidi.

Obs. Valde doleo, me fructum non vidisse. Certo enim non constat, an ovarium sit 3-loculare, monogynum. Mihi enim, ovarium examinanti, ovaria 3 unilocularia, (ut in *Seringiae* genere ovaria 5), sub anthesi tam arcte connata videbantur, ut ovarium unicum simularent, quam suspicionem confirmatam puto examinatione styli, qui basi incrassatus, longitudinaliter sulcatus, in ovarii acumen abit, et demum forsitan in stylos 3 dividitur. Dubitatio vero, utrum ovaria 3 sejuncta adsint, an ovarium unicum 3-loculare, non nisi fructus examinatione tolli potest. — Planta igitur tamdiu locum teneat in nostro genere, quamdiu fructus incognitus est; quod si conjectura me non fefellit, fructus multiplex hanc stirpem in novum genus transferre cogit.

Species vix nisi nomine nota:

Thomasia diffusa Don. Gener. Hist. of Dichlamyd. Plants. London 1831. T. 1. p. 527. No. 6.

„Leaves 3-lobed, stems diffuse, petals wanting? Native of New-Holland. Flowers white.“ Don l. c.

^{*)} Primo intuitu antherae versus medium cupulae margini immediate adnatae, quasi sessiles videntur; quum enim filamenta sua obtegant et sterilia introversus flectant, horum nil conspicuum est. Antheris vero remotis cupula staminea coronam apice 10-dentatam simulat, et filamenta omnia subaequalia, ita ut supra descripsimus, manifestat.

Species verisimiliter e genere excludenda:

Thomasia salvifolia Hook. mss.

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali, ad Moreton Bay. (Vidi specimina duo alabastrigera in herbario palatino Vindobonensi!)

Folia omnino exstipulata sunt, quare certissime *Thomasiae* species non est.

In *caule* crasso, cortice rimoso, fusco, glabrato tecto, video *ramulos* plurimos tomentosos, *folia* breviter petiolata, lineari-lanceolata, integra, apice obtusiuscula, basi attenuata, subcordata, margine recurva, utrinque stellato-tomentosa, tomento subtus paullo densiore, canescentia, 1½-3 pollices longa, 2-4 lin. lata. *Alabastria* nimis juvenilia sunt, quam ut genus, ad quod planta pertineat, certo erui possit. *Antherae* didymae mihi videbantur, quare forsan *Rulingiae* sive *Commersoniae* species est.

RHYNCHOSTEMON Steetz.

Thomasiae spp. Lindley.

Inflorescentia oppositifolia, racemosa. *Bractea hypocalycina* demum a calyce paullisper remota, 3-partita. *Calyx* corollinus, 5-partitus, persistens. *Corolla* nulla. *Stamina* 5, hypogyna, calycis laciniis alterna; *filamenta* brevissima, basi libera, omnia fertilia; *antherae* complanato-compressae, lineari-lanceolatae, in rostrum subaequilongum attenuatae, infra medium insertae, supra ovarium conniventes, biloculares; *loculis* rima laterali dehiscentibus. *Ovarium* 3-loculare; *ovula* in loculis gemina, collateralia, ex anguli centralis basi adscendentia, anatropa. *Styli* 3, elongati, antheras superantes, setacei, glabri, sub anthesi arcte coaliti, et stylum simplicissimum simulantes, post anthesin a basi soluti, versus apicem diu cohaerentes; *stigma* terminale, subcapitatum, truncatum, simplex. *Capsula* 3-locularis, loculicide 3-valvis; *valvis* medio septiferis, styli rudimento persistente superatis. *Semina* in loculis gemina, sive abortu solitaria, collateralia, e basi erecta, oblonga, *strophio* umbilicali, cupulaeformi, hinc breviter bifido aucta. *Embryo* ignotus: (seminibus maturis non suppetentibus). — Suffrutices Novae Hollandiae australi-occidentalis; *foliis* alternis, cordatis, petiolatis, exstipulatis, integris sive hastato-trilobis, pube stellata obsitis, *racemis* oppositifoliis, *bracteis* filiformibus, *hypocalycina* demum a basi calycis remota.

Genus intermedium inter *Thomasiam* et *Corethrostylidem*; a *Thomasia* distinguitur: *foliis* exstipulatis, *bractea* calyci non appressa, *antheris* complanato-compressis, rostratis, praesertim vero: *stylis* 3, sub anthesi quidem arcte coalitis, demum a basi solutis. A *Corethrostylide* differt: inflorescentia racemosa, *antheris* rostratis, rima laterali dehiscentibus et *stylis* 3, non barbatis.

Nomen composui e vocibus: ῥύγχος, rostrum, et στήμων, stamen, ut antheras rostratas, in caeteris generibus non occurrentes, significarem.

1. **Rhynchosstemon glutinosus** Steetz.

Rh. hispidulus, foliis petiolatis cordatis inferioribus paucis late ovatis superioribus hastato-trilobis, pedunculis calycibusque glutinosis.

Thomasia glutinosa Lindley! Swan-River Bot. in Append. ad Bot. Reg. pag. XVIII. No. 82. Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. I. p. 235. No. 19.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia, ad flumen Vasse River, Drummond! Collect. 1. No. 385! Collect. 2. No. 71! In lapidosis ad radices montis prope cataractam, ad ostium fluminis Cygnorum, d. 26. Jul. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1632! specimen sterile), et in solo limoso-calculoso inter frutices densos ad radices jugi montium Darling's range, distr. Perth, d. 2. Novembr. 1839. (Herb. Preiss. No. 1668! specimina florifera.) v. s.

Frutex 2-3-pedalis. *Caulis* teres, cinereo-fuscus, pilis stellatis hispidulus, demum glabrescens sive asperulus, simplex et versus apicem divisus, sive jam inferiore parte ramosus. *Rami* erecto-patuli, stellulis ferrugineis densius hispidi. *Folia* petiolata, *petiolo* 4-7-lineari, terete, hispido, subcoriacea, subplicata, penninervia, nervis supra impressis, subtus prominulis, margine subincurva, in pagina superiore stellulis remotis, parvis hinc inde conspersa, vel mox glabrata, in pagina inferiore stellato-tomentosa et stellulis majoribus, rigidioribus, ferrugineis, praesertim in nervis insuper vestita, utrinque reticulato-venosa; *inferiora* paucissima, vel interdum omnino desiderata, late ovata, integra, basi profunde cordata, angulis basilaribus rotundatis, apice obtusa, subpollicaria, basi 8-10 lin. lata; *superiora* basi levius cordata, hastato-triloba, lobis basilaribus oppositis, latis, obtusis, patentibus, sub angulo recto in lobum terminalem, multo angustiore, valde elongatum, sensim attenuatum, obtusiusculum abeuntibus, 1-2-pollicaria, parte basilari 8-12 lin. lata, lobo terminali 3-4 lin. lato. *Stipulae* omnino desiderantur, et folia minima, quae in nonnullis speciminibus pro stipulis habere posses, non sunt stipulae, sed folia novella ex innovationibus omnino axillaribus erumpentia. *Racemi* oppositifolii, laterales, et, ut in *Thomasia grandiflora* pseudo-terminales, demum vero omnes laterales, folium multo superantes, 3-6-pollicares, erecti, multiflori; *rhachi* terete, medio tenus nuda, stellato-hispida, ferruginea, supra medium glutinosa, stellulis hinc inde conspersa, graciliore, florifera; *floribus* secundis, nutantibus, pedicellatis; *pedicellis* patentibus, 3-4 lin. longis, filiformibus, glutinosis, basi apiceque bracteatis; *bractea basilari* solitaria, pedicellum subaequante, anguste lineari, obtusiuscula, dorso stellulis glutinosis dense hispida, facie glabriuscula, demum decidua; *bractea hypocalycina* persistente, 3-partita, in alabastro calyci approximata, sub anthesi demum, lineae circiter spatium ab eo remota, patente sive reflexa; *laciniis* anguste linearibus, basi attenuatis, apice acutiusculis, glutinosis et dorso stellulis sparsis interdum munitis, 3-3½ lin. longis, intermedia lateralibus plerumque paullo longiore. *Calyx* campanulatus, petaloideus, expansus diametro 8-10-lineari, facie glabriusculus sive puberulus, pallide roseus, dorso glutinosus, laete purpureus, basi interdum pilis paucis, stellatis, longissimis conspersus, ultra medium 5-partitus; segmentis ovatis, conduplicatis, valde acutis, semper, ut ex sicco videtur, conniventibus, carina longitudinali, valida, qualem in omnibus *Thomasiae* speciebus observavimus, omnino destitutis, reticulato-venosis et basi macula atro-purpurea notatis. *Petala* nulla. *Filamenta* 5, brevissima, semilineam vix longa, planiuscula, basi paullisper dilatata, libera, uninervia, straminea, omnia fertilia. *Antherae* lineari-lanceolatae, complanato-compressae, glaberrimae, dorso atro-purpureae, facie pallidiores, in rostrum flavescens, gracillimum, subaequilongum, obtusiusculum, sensim attenuatae, infra medium insertae, biloculares, erectae et supra ovarium arcte conniventes, cum rostro 2½-2¾ lin. longae, basi ¾ lin. latae, utrinque rima laterali dehiscentes;

loculis connectivo latiusculo, crassiusculo conjunctis, ima basi secretis, truncato-rotundatis. *Ovarium* sessile, ovoideo-sphaeroideum, pilis stellatis, sericeis, longiusculis, densissime villosum, 3-gynum, 3-loculare; *loculis* 2-ovulatis. *Styli* 3, florendi tempore arcte coaliti, et *stylum* unicum, cylindricum, setaceum, glaberrimum, sive basi sparse pilosum, $2\frac{1}{4}$ - $2\frac{1}{2}$ lin. longum, antheras supereminentem, *stigmatibus* subcapitato, truncato, simplici terminatum, simulantibus, post anthesin a basi conspicue soluti, versus apicem diu cohaerentes. *Capsula* sessilis, sphaeroidea, sulcis 3 profundis, longitudinalibus exarata, viridi-flavescens, pilis stellatis, sparsis hirsuta, 3-locularis; *loculis* utrinque loculicide dehiscens, stylo rudimento persistente auctis, intus glabris, nitentibus, dispermis. *Semina* fere matura ad basin axis centralis dissepimentorum affixa, collateralia, adscendentia, oblonga, utrinque obtusa, glaberrima, nitida, subtilissime punctata, brunnea, basi strophiolata; *strophio* carnosum, parvo, stramineo, sursum breviter bifido.

2. *Rhynchosyris canescens* Steetz.

Rh. incano-tomentosus, foliis petiolatis cordatis inferioribus late ovatis summis paucis subhastatis, pedunculis calycibusque incano-tomentosis.

Thomasia canescens Lindley! Swan-River Bot. in Append. ad Bot. Reg. p. XVIII. No. 83.

Thomasia aemula Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 233. No. 11.

Thomasia lasiopetaloides Steudel! l. c. p. 233. No. 12.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia, Drummond! Collect. 1. No. 381! Collect. 2. No. 62! Ibidem Preiss! (Herb. Preiss. No. 1641! et No. 1636!) v. s.

Forsan nil nisi varietas praecedentis, ut jam cl. Lindley l. c. suspicatus est. Habitu vero bene distingui potest, et formae intermediae inter utramque speciem obviae mihi non fuerunt.

Tota planta multo gracilior et humilior est quam *Rhynchosyris glutinosus*, rarissime pedem excedit. Tomentum in omnibus partibus multo mollius, brevius, incano-tomentosum, nec hispidum. *Folia* petiolata, petiolo 3-4-lineari, incano-tomentoso, subcoriacea, penninervia, subplicata, nervis supra argute impressis, subtus prominulis, margine subrecurva, in pagina superiore stellulis remotis hinc inde conspersa, vel mox glabrata, in pagina inferiore dense stellato-tomentosa, mollissima, incano-cinerea, stellulis ferrugineis, rigidioribus omnino destituta, utrinque reticulato-venosa; *inferiora* et fere omnia late ovata, obtusa, basi profunde cordata, sublobata, lobis rotundatis, 4-9 lin. longa, basi 3-7 lin. lata; *pauca superiora* subhastata vel subtriloba, lobo terminali sub angulo obtuso, (nunquam recto) producto, vix caeteris foliis longiora, sed paullo angustiora. *Racemi* pauciflori, breviores, vix 2-pollicares, et cum *pedicellis* et *bracteis* incano-tomentosi, nec hispidi, nec glutinosi, tomento vero viscidulo; caeterum ut in praecedente. *Flores* in apice racemi 2-5, multo minores. *Calyx* dorso pilis stellatis, longissimis, viscidulis, intricatis villosis-canescens, facie puberulus, pallide violaceus, expansus diametro semipollicari. Reliqua omnia ut in praecedente, sed capsulam non vidi.

LEUCOTHAMNUS Lindley, Swan-River Bot.
in App. ad Bot. Reg. p. XIX. No. 86. Endl.
gen. No. 5324¹. Meisn. gen. pag. 344.

Leucothamnus montanus Lindley! l. c.

Thomasia macrocarpa Steudel! in Lehm. Plant. Preiss.
T. 1. p. 235. No. 18. (An etiam Hügel mss? in Endl. Nov.
stirp. Dec. 1. p. 32. No. 40. (1839.)

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia,
Drummond! Collect. I. No. 380! (specimina florifera). Inter fragmenta rupium ad
jugum montium Darling's range, haud procul a cataracta ad ostium fluminis Cygno-
rum, d. 9. Aug. 1839, Preiss! (Herb. Preiss. No. 1654! specimina fructifera.)
v. s.

Specimen authenticum *Thomasiae macrocarpae*, in horto Hügeliiano
cultum, non vidi, et quum descriptio cl. Endlicheri l. c. cum nostris speci-
minibus spontaneis non omnino conveniat, quippe quae non habeant *folia*
trinervia, sed penninervia, nec *calycem expansum diametro semipollicari*,
sed diametro pollicari, equidem suspicor, plantam Hügelianam et Preissianam
sive Drummondianam esse species diversas, praesertim quum „*ovarîi fundo*
stamineo semiimmersi“ mentio non facta sit. Qua causa commotus de-
scriptionem nostrae plantae fusiolem elaboravi.

Frutex 2-3-pedalis, teste cl. Preissio, tomento densissimo, stellato velu-
tinus. *Truncus* teres, canescens, sive demum glabrescens, fusco-brunneus,
ramosus. *Rami*, praesertim *novelli*, tomento stellato duplici, cujus superius
ferrugineum, tomentoso-hispidi, teretes. *Folia* petiolata, (*petiolo* pollicari
vel paullo brevior, tomentoso, erecto-patenti,) subcoriacea, late rotundato-
ovata, (specimina Drummondiana), sive late ovata, (specimina Preis-
siana), basi profunde cordata, apice obtusa, irregulariter angulato-den-
tata, margine crispa sive leviter undulata, penninervia, nervis subtus promi-
nulis, supra tomento stellato hirta, subtus densissime stellato-velutina, cine-
rea, (specimina Drummondiana), sive subflavescentia, (specimina Preissiana),
1-3-pollicaria, basi $\frac{1}{2}$ -1 $\frac{1}{2}$ pollices lata, *limbo* plerumque reflexo. *Stipulae*
sessiles, dimidiato-ovatae, obtusae, basi valde inaequales, profunde semicor-
datae, latere exteriori prope basin subincisae, erectae, cauli appressae, 2-5
lin. longae, 2-5 lin. circiter latae, indumento foliorum vestitae. *Racemi* op-
positifolii, folio longiores, 2-3-pollicares; *rhachi* dense tomentosa, basi longe
nuda, apice 2-5-flora; *floribus* secundis, nutantibus, magnis, brevissime pedi-
cellatis; *pedicellis* vix lineam longis, densissime velutinis, basi apiceque
bracteatis; *bractea basilari* ovata sive lineari, utrinque attenuata, 2-4 lin.
longa, facie glabriuscula, dorso dense velutina; *bractea hypocalycina* caly-
cem dimidium subsuperante, eique appressa, demum raro reflexa, 3-partita;
laciniis late ovatis, acutis, subaequalibus, uninerviis, 4 lin. circiter longis,
3 lin. latis, facie glabriusculis, dorso dense stellato-tomentosis, incanis, (spe-
cimina Drummondiana), sive utrinque incano-tomentosis, (specimina Preis-
siana). *Calyx* campanulatus, petaloideus, maximus, expansus diametrum
pollicare interdum superans, membranaceus, pallide violaceus, ultra medium
profunde 5-partitus; *laciniis* ovatis, acutis, medio tenus carina media, longi-
tudinali, atro-purpurea, supra medium evanescente sive divisa instructis, re-
ticulato-venosis, utrinque, praesertim in basi dorsi stellulis elongatis, albis,
versus apicem rarioribus, molliter tomentosis. *Petala* nulla. *Filamenta* 10,
valde inaequalia, ima basi anguste connata, (quod ovario remoto optime
conspicitur, nec, ut cl. Lindley descripsit, libera); *sterilia* alterna, membra-
nacea, plana, basi valde dilatata, ferruginea, uninervia, nervo discolore,

sensim acuminata, utrinque glabra, sive stellulis hinc inde conspersa, 2 lin. circiter longa; *fertilia* planiuscula, paullo crassiora, pari modo basi dilatata, multo breviora, basin antherae lineam vix superantia, facie glabriuscula, dorso, praesertim in ejus basi pilis stellulisque albis dense hirsuta. *Antherae* pruinosae, ovatae, basi subcordatae, apice obtusae, compressiusculae, sulco dorsali, longitudinali exaratae, medio insertae, lineam fere longae, utrinque rima laterali per totam longitudinem mature, (incipiente scilicet anthesi,) dehiscentes; *valvulis* effoetis divergentibus. *Ovarium* sessile, antheris brevius, ovato-sphaeroideum, mucronatum, calyci annuloque stamineo semiimmersum, pilis stellatis, albis, sericeis densissime villosum, 3-loculare; *ovula* in cuique loculo 2, erecta, collateralia. *Stylus* cylindricus, setaceus, glaberrimus, 2 lineas fere longus, antheras paullo superans, *stigmatibus* simplici, subcapitato, truncato terminatus. *Capsula* pisi sativi magnitudine, depressoglobosa, apice mucronata, pilis stellatis, stramineis dense tomentosa, obsolete 3-sulcata, stylo diu persistente superata, 3-locularis; *loculis* intus glaberrimis, nitidis, utrinque loculicide dehiscentibus. *Semina* oblonga, utrinque obtusa, $1\frac{1}{3}$ lin. longa, ad basin axis centralis dissepimentorum affixa, collateralia, nigra, puberula, basi strophiolata; *strophio* capuliformi, membranaceo, stramineo, basi fuscescente, hinc sursum breviter bifido; *raphe* obsoleta propter pubescentiam, attamen conspicua.

B. LASIOPETALEAE VERAЕ: Antherae poro apicis intus utrinque dehiscentes.

LASIOPETALUM Smith, in Transact. of Linn. Soc. T. 4. p. 216. Gay l. c. p. 445 sqq. Endl. gen. No. 5325. Meisn. gen. 33. (26.)

Sectio I: Segmentis calycinis utrinque tomentosis.

1. **Lasiopetalum ferrugineum** Smith.

L. foliis lineari-lanceolatis elongatis basi aequalatis sive angustatis subcordatis, calycis segmentis extus stellato-tomentosis fuscis, ovario albido-tomentoso mucronato.

Lasiopetalum ferrugineum Smith, in Andr. Bot. Rep. tab. 208 (teste cel. Gay) Ventenat! Malm. tab. 59 (optime!) Sims! in Bot. Mag. T. 42. tab. 1766. Gay! l. c. p. 446. No. 1. tab. 18 (optime!) DC! prodr. T. 1. p. 489. No. 1.

Sieber herb. Nov. Holl. No. 572!

Hab. in Novae Hollandiae ora occidentali, Leschenault! - Ad isthmum Peronis, et sinum canum marinorum, Gandichaud. Sieber! Ad sinum regis Georgii III., Hügel! (v. s.)

Folia breviter petiolata, coriacea, lineari-lanceolata, elongata, basi aequalata sive paullo angustata, attenuata sive obsolete cordata, integerrima sive leviter undulato-repanda, sive dentato-angulata, (in speciminibus cultis), supra glaberrima, subtus pilis stellatis, albis dense tomentosa, stellulis ferrugineis insuper conspersa, saepe 3-4-pollicaria, medio 3-5 lin. lata. *Flores adulti* clausi diametro 4-lineari. *Calyx* extus unicolor, pilis stellatis, fusco-brunneis dense tomentosus, intus stellulis albis vestitus. *Ovarium* manifeste mucronatum; *mucrone* stylum brevissimum, glaberrimum aequante, dense tomentoso.

2. *Lasiopetalum Sieberi* Steetz.

L. foliis ovato-lanceolatis sive ovatis cordatis basi latioribus, calycis segmentis extus stellato-tomentosis dorso ferrugineis margine virescentibus, ovario albido-tomentoso sive glabriusculo mutico.

Sieber herb. Nov. Holl. No. 635! Supplem.

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali, Sieber! Botany Bay, Hügel! (v. s.)

Proxima quidem speciei praecedenti, attamen facillima distincta, et certissime species diversa!

Folia semper ovato-lanceolata sive ovata, basi latiora et manifeste cordata. Praeterea plerumque multo breviora sunt, 1-2-pollicaria, (specimina Hügeliana), 2½-pollicaria interdum, (specimina Sieberiana), basi 5-8 lin. lata, versus apicem sensim sensimque attenuata, obtusiuscula, caeterum eadem textura, eodemque indumento vestita, ac in praecedente. *Calycis* segmenta extus bicoloria, dorso ferruginea, marginibus virescentia, intus densius tomentosa. *Flores* minores sunt, diametro 3-lineari. *Ovarium* omnino muticum est, *stylo* breviori coronatum, sive albo-tomentosum, sive in speciminibus Sieberianis alabastrigeris, glabriusculum, vel lepidotum; demum verisimiliter pari modo tomentosum est. Reliqua ut in praecedente.

Hujus speciei varietas peculiaris occurrit:

var. β) **subtrilobum** Steetz: foliis basi subhastato-trilobis.

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali; specimen alabastrigerum leg. cl. Hügel! (V. s. in herbario palatino Vindobonensi).

Folia elongata, basi valde dilatata, subhastato-triloba; lobis basilaribus oppositis, abbreviatis, terminali valde producto, dentato-repando, subtus tomento stellato, laete ferrugineo dense tomentosa, 3-4-pollicaria, basi sesquipollicem lata. *Ovarium* in alabastris glabrum, muticum, omnino ut in speciminibus Sieberianis. Certissime nil est nisi varietas!

3. *Lasiopetalum rubiginosum* Cunningh.

L. foliis deltoideo-ovatis cordatis, cymis paucifloris, calycis segmentis extus stellato-tomentosis fusco-brunneis, ovario tomentoso sordide albo mutico.

Lasiopetalum rubiginosum Cunningh! in Field's Voy.; cf. *Linnaea* T. 2. p. 137.

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali, in montibus coeruleis, Kings Table Land, Cunningham! (V. s. in herbario palatino Vindobonensi.)

Species intermedia inter *Lasiopetalum ferrugineum* et *Sieberi*, ab utraque vero facillime distinguitur: floribus duplo minoribus.

Folia eadem fere forma ac in *Lasiopetalo Sieberi*, deltoideo-ovata, sed minora ½-1-pollicaria, rarissime 1¼ pollices longa, 3-7 lin. lata, tomento densissimo, intricato, velutino, in novellis laete ferrugineo sive rubiginoso, in adultis albo-cinereo, subtus vestita. *Cymae* 4-6-florae, floribus minimis, nonnisi paullo majoribus quam in *Lasiopetalo parvifloro*, diametro vix 2-lineari. *Calycis* segmenta sesquilineam longa, extus unicoloria, tomento stellato, brevissimo, fusco-brunneo, intus stellulis albis tomentosa. *Ovarium* muticum, pilis stellatis, sordide albis sive fuscescentibus tomentosum, *stylo* glaberrimo, brevissimo coronatum. Reliqua omnia ut in praecedente.

Sectio II: Segmentis calycinis intus glabriusculis.

4. **Lasiopetalum parviflorum** Rudge.

L. foliis lineari-lanceolatis supra glaberrimis subtus velutinis, cymis breviter pedunculatis erectiusculis multifloris, calycis segmentis extus stellato-pubescentibus acutis.

Lasiopetalum parviflorum Rudge! in Transact. of Linn. Soc. T. 10. p. 297. tab. 19. fig. 2. Gay! l. c. p. 447. No. 2. tab. 19 (optime!) DC! prodr. T. 1. p. 489. No. 2.

Guichenotia ledifolia Herb. Bauer! (non Gay.)

Sieber herb. Nov. Holl. No. 546!

Hab. in Novae Hollandiae orientali, Leschenault, Ferd. Bauer! Sieber! prope Argyle, Botany Bay etc. Hügel! (v. s.)

Species, ut videtur, in ora orientali vulgatissima, quae ex figura optima cel. Gayi l. c. bene cognoscitur.

Folia coriacea, lineari-lanceolata, obtusa, $1\frac{1}{2}$ -3-pollicaria, 2, 3 sive 4 lin. lata, supra glaberrima, laete nitentia, subtus pilis stellatis, brevissimis, albis, ferrugineis intermixtis, dense velutina, nervo medio supra argute impresso, subtus valde prominente. In speciminibus Sieberianis foliis normalibus *folia* nonnulla hastato-triloba, *lobis* basilaribus oppositis, brevissimis, patentibus, intermedio valde elongato, intermixta vidi. *Flores* minimi omnium congenerum, diametro $1\frac{1}{4}$ - $1\frac{1}{2}$ -lineari.

5. **Lasiopetalum Baueri** Steetz.

L. foliis lineari-lanceolatis utrinque velutinis, cymis longe pedunculatis deflexis paucifloris, calycis segmentis extus stellato-pubescentibus acuminatis, intus interdum puberulis.

Hab. in Nova Hollandia, Ferd. Bauer! (V. s. in herbario palatino Vindobonensi.)

Species distinctissima, cujus locum natalem proprium cl. Bauer non indicavit. Praeter characteres indicatos a *Lasiopetalo parvifloro* facillime dignoscitur: *floribus* triplo majoribus et *segmentis calycinis* multo acutioribus.

Frutex, ut videtur, elatus. *Caulis* teres, tomento brevissimo incano-velutinus, demum glabratus, ramosus. *Rami* erecto-patuli, densius velutini, stellulis ferrugineis insuper conspersi, sub foliorum insertione complanati. *Folia* alterna, breviter petiolata, coriacea, *petiolo* patenti-recurvato, ferrugineo-tomentoso, 1-2 lin. longo, et cum limbo folii deflexo, lineari-lanceolata, elongata, basi obsolete cordata, apice obtusa, margine recurva, penninervia, nervo medio supra argute impresso, subtus valde prominente, nervis lateralibus obsolete, in pagina superiore tomento brevissimo incano-velutina, demum glabrescentia, punctata, in pagina inferiore tomento multo densiore tecta, stellulis ferrugineis, praesertim in nervo medio, insuper ornata, $1\frac{1}{2}$ - $2\frac{1}{2}$ pollices longa, 1-3 lin. lata. *Stipulae* nullae. *Cymae* oppositifoliae, longe pedunculatae, biradiatae, 2-6-florae; *pedunculo* 6-9 lin. longo, gracili, incano-tomentoso, deflexo; *radiis* abbreviatis, altero interdum abortiente, basi *bractea* solitaria, filiformi, incana, 2 lin. fere longa, decidua stipatis; *floribus* approximatis, breviter pedicellatis; *pedicellis* lineam paullo superantibus, basi apiceque bracteatis; *bractea basilaris* solitaria, pedicellum subaequante, basi apiceque bracteata; *bractea hypocalycina* persistente, calyce plus duplo brevior, profunde 3-partita; *laciniis* ovato-linearibus, acutis, utrinque dense tomentosus, demum reflexis, intermedia lateralibus paullo longiore. *Calyx* campanulatus, subcoriaceus, profunde et fere usque ad basin 5-partitus, facie

glaber, sive stellulis paucissimis in medio puberulus, dorso stellulis confertioribus, incanis pubescens; *segmentis* ovatis, acuminatis, 3 lin. longis, margine reflexis. *Petala* 5, obovato-cuneata, subtruncata, plana, glaberrima, brevissima, squamaeformia, atro-purpurea. *Filamenta* 5, basi libera, brevia, filiformia, omnia fertilia. *Antherae* ovoideo-oblongae, filamento paullo longiores, $\frac{3}{4}$ lin. metientes, planiusculae, paullisper supra medium insertae, sulco dorsali exaratae, basi obtusae, emarginatae, atro-purpureae, summo apice subangustato truncatae, albo-marginatae et poris duobus subapicalibus dehiscentes, *loculis* connectivo latiusculo conjunctis. *Ovarium* ovoideo-sphaeroideum, apice subdepressum, muticum, sulcis 3 longitudinalibus exaratum, pilis stellatis, albis densissime tomentosum, 3-loculare; *loculis* 2-ovulatis. *Stylus* cylindricus, crassiusculus, semilineam subsuperans, glaber, longitudinaliter sulcatus, et, ut videtur, post anthesin in *stylos* 3 a basi solutus, *stigmatibus* aequali, truncato terminatus. *Capsula* depresso-globosa, ferruginea, profunde 3-sulcata, stellulis remotiusculis, albidis conspersa, 3-locularis; *loculis* styli defracti rudimento coronatis, intus puberulis, et, ut videtur, dispermis. *Semina matura* non suppetunt, sed in multis *loculis* apertis basi *semina abortiva*, corrugata, minima, ovulis vix majora, conspiciuntur.

Obs. Species anomala quidem propter *stylum* post anthesin in *stylos* 3 divisum, quam ob rem sensu stricto trigyna est, ut in *Rhynchosomonis* genere observavimus. Attamen omnibus partibus habitum *Lasiopetali* generis tam clare exhibet, ut neutiquam separanda sit.

6. *Lasiopetalum indutum* Steudel.

L. foliis ovato-oblongis sive oblongo-linearibus supra demum glaberrimis subtus dense velutinis, calycis segmentis extus intricato-floccosis niveis acuminatis, petalis cucullatis, antheris versus apicem rima laterali utrinque dehiscentibus.

Lasiopetalum indutum Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. I. p. 235. No. I.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia. In confragosis inter frutices collium Konkoberuphills, distr. Kent, d. 19. Nov. 1840. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1655!) (v. s.)

Etiam haec est species anomala, divergit enim a congeneribus: *petalis* cucullatis, *stylo* multoties longiore, et praesertim *antheris* versus apicem rima laterali utrinque dehiscentibus, ovarium longe superantibus; attamen a *Lasiopetali* genere, cujus habitu gaudet, non separanda, iisdem de causis, quibus commotus sum, ut *Thomasiam discolorum* non novum genus facerem.

Suffrutex humilis, $\frac{1}{2}$ -1 $\frac{1}{2}$ -pedalis, simplex sive parce ramosus. *Radix* palmaris, gracilis, simpliciuscula, perpendiculariter descendens. *Caulis* plerumque basi divisus, gracilis, inferiore parte demum glabratus, purpurascens, versus apicem tomento floccoso, griseo dense vestitus. *Folia* crassa, coriacea, petiolata, *petiolo* erecto-patente, versus apicem recurvato, et cum limbo folii deflexo, griseo, tomentoso. 2-5 lin. longo: *limbo* ovato-oblongo, sive oblongo-lineari, basi leviter cordato, apice obtuso, margine integro, plano, sive vix recurvo, penninervio, nervis omnibus supra argute impressis, subtus, praeter nervum medium, paullo prominulum, obsolete, in pagina superiore levissime floccoso, sed, tomento mox evanescente, mox glaberrimo, laete viridi, subnitido, in pagina inferiore tomento floccoso, densissimo, griseo vestito, magnitudine et forma vario, $\frac{1}{2}$ -1 $\frac{1}{2}$ pollices longo, 1 $\frac{1}{2}$ -5 lin. lato. *Stipulae* nullae. *Cymae* oppositifoliae, folium plerumque superantes, 1-2-pollicares, basi longe nudaе, griseo-tomentosae, versus medium in *radios* 2-3 divisae, floriferae, cinereo-floccosae. *Flores* nutantes, breviter pedicellati, approximati, 6-10 in quavis cyma; *pedicellis* 1-1 $\frac{1}{2}$ -linearibus, basi apiceque bracteatis; *bractea basilari* anguste lineari, pedicello plerumque paullo brevior; *bractea hypocalyrina* persistente, 3-partita; *laciniis* inaequali-

bus, filiformibus, intermedia calycem subaequante, lateralibus duplo fere longiore, omnibus tomento floccoso, niveo totis involutis, sive calyci appressis, sive deflexis. *Calyx* profunde et fere usque ad basin 5-partitus; *segmentis* conniventibus, lanceolatis, acuminatis, $2\frac{1}{2}$ lin. circiter longis, 3-5-nerviis, facie fusco-ferrugineis, glabris, sive stellulis albis, remotiusculis hinc inde conspersis, dorso stellulis elongatis, intricatis, niveis, dense floccoso-villosis. *Petala* 5, minima, squamaeformia, obscure ferruginea, glabra, obovata, cucullata, filamentis subaequilongis opposita. *Filamenta* 5, basi libera, planiuscula, ferruginea, antherae basin lineae quadrantem vix supereminens, basi paullisper dilatata, omnia fertilia. *Antherae* oblongae, atro-purpureae, nitidissimae, versus apicem attenuatum pulchre niveae, obtusiusculae, basi emarginatae, sulco dorsali et suturis lateralibus, longitudinalibus utrinque exaratae, paullo supra medium insertae, lineam vix ac ne vix quidem superantes, et sub apice rima brevi, laterali utrinque debiscentes. *Ovarium* sessile, antheris brevius, ovoideo-sphaeroideum, acutum, 3-sulcatum, dense sericeo-tomentosum, 3-loculare; *loculis* 2-ovulatis. *Stylus* setaceus, glaber, lineam fere longus, antheras paullo superans, indivisus, *stigmatibus* aequali, truncato terminatus. *Capsula* depresso-globosa, ferruginea, stellulis albis, remotiusculis conspersa, antheras supereminens, 3-sulcata, 3-locularis, 3-valvis; *loculis* monospermis, intus glabris, nitidis; *valvis* medio septiferis. *Semina* matura oblonga, utrinque obtusa, lineam metientia, atro-purpurea, albo-pubescentia, *hilo* strophiolato ad basin axis centralis dissepimentorum affixa; *strophiole* stramineo, parvo, hinc sursum breviter bifido.

7. *Lasiopetalum dasyphyllum* Sieber.

L. foliis ovato-lanceolatis acutis, cymis multifloris, ovario tomentoso ferrugineo mutico 4-loculari.

Lasiopetalum dasyphyllum Sieber! herb. Nov. Holl. No. 240!

Lasiopetalum nutans Hooker mss! in herb. palatino Vindobonensi.

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali, Sieber! In sylvis umbrosis Novae Walesiae, (teste specimine a cl. Hooker misso, in herbario palatino Vindobonensi.) (v. s.)

Frutex, ut videtur, elatus, tomento stellato, laete ferrugineo-fusco undique tectus. *Caulis* crassus, teres, sub foliorum insertionem complanatus, dense tomentosus, ramosus. *Folia* coriacea, petiolata; *petiolo* semipollice sive majore sive paullo minore, tomentoso, ferrugineo; *limbo* ovato-lanceolato, acuto vel acuminato, basi rotundato et leviter cordato, margine integro sive levissime repando, plano vel vix recurvo, penninervio, supra glabro vel asperulo, (in foliis novellis leviter floccoso), punctato, nervis impressis, subtus pilis stellatis duplicis indolis, inferioribus pallide lutescentibus, superioribus, praesertim in nervis prominulis, rigidioribus, ferrugineis dense tomentoso, 2-5-pollicari, basi $\frac{1}{2}$ - $1\frac{1}{2}$ pollices lato. *Stipulae* nullae. *Cymae* oppositifoliae, folio multoties breviores, *pedunculo* circiter semipollicari, nudo, ferrugineo-tomentoso insidentes, plerumque 3-radiatae, 8-16-florae; *radiis* brevibus, racemosis, basi *bractea* solitaria, filiformi, utrinque cinereo-tomentosa, 4 lin. longa stipatis. *Alabastra* subglobosa, subsessilia, 5-costata, tomento obscure ferrugineo, stellato, denso tecta. *Flores* congesti, brevissime pedicellati; *pedicello* 1-2-lineari, tomentoso, ferrugineo, *bractea basilari* solitaria, pedicellum subsuperante, cinereo-tomentosa stipato; *bractea hypocalycina* dimidium calycem aequante, 3-partita; *laciniis* anguste linearibus, facie cinereo-, dorso ferrugineo-tomentosis, intermedia lateralibus paullo longiore et latiore. *Calyx* usque ad basin fere 5-partitus; *segmentis* lanceolatis, acutatis, erectiusculis, utrinque laete ferrugineis, 7-9-nerviis, nervo medio validiore, facie glaberrimis, dorso stellato-tomentosis, $3\frac{1}{2}$ -4 lin. longis, $1\frac{1}{2}$ -2 lin. latis. *Petala* 5, atro-purpurea sive ferruginea, obovata, obtusa, sub concava, basi attenuata, glaberrima, squamaeformia, $\frac{1}{3}$ lin. vix longa

Filamenta libera, setacea, glabra, atro-purpurea, lineam longa. *Antherae* ovoideo-oblongae, atro-purpureae, $\frac{3}{4}$ lin. longae, sulco dorsali, longitudinali, et utrinque sutura laterali exaratae, supra medium insertae, utrinque obtusae, subtruncatae, basi emarginatae, et apice albo-marginato poris duobus dehiscentes. *Ovarium* globosum, muticum, antheras subsuperans, pilis stellatis, ferrugineis dense tomentosum, semper 4-loculare; *loculis* biovulatis. *Stylus* setaceus, glaberrimus, indivisus, brevissimus, in tomento stellato ovarii totus fere absconditus, *stigmatibus* aequali, acutiusculo terminatus. *Capsula* depresso-globosa, stylo persistente coronata, stellulis ferrugineis densissime tomentosa, 4-locularis; *loculis* intus glaberrimis, nitidis, monospermis. *Semina* oblonga, utrinque obtusa, lineam fere metientia, nigra, levissime puberula, ad basin axis centralis dissepimentorum affixa, *hilo* strophiolato; *strophiole* subferrugineo, cupuliformi, crenato, hinc laciniis sursum spectantibus, longiusculis bifido.

Obs. 1. Propter *ovarium* 4-loculare haec species et sequens in genere anomaliae sunt. Numerus vero ovarii loculorum, ut jam in *Thomasiae* genere vidimus, minime characterem genericum constantem exhibet. Praeterea utraque species nulla linea a characteribus *Lasiopetali* generis divergit.

Obs. 2. In alabastris speciminis Sieberiani *petala* vidi nonnulla, apicem versus stellulis rigidis conspersa. Occurrunt vero cum *petalis* glaberrimis promiscue.

8. *Lasiopetalum Gunnii* Steetz.

L. foliis ovato-oblongis obtusiusculis, cymis paucifloris, ovario tomentoso purpurascente mucronato 4-loculari, mucronulo albo-tomentoso.

Lasiopetalum dasyphyllum Sieber var. β) Hooker filius! in Hooker Journ. of Botany T. 2. p. 414. No. 2, β).

Hab. in insula van Diemen, inter colles Rocky Cape et Table Cape. Baxter, Gunn! (Herb. Gunn. No. 551! Anno 1837.) (V. s. specimina authentica Gunniana in herbario regio Berolinensi, et palatino Vindobonensi.)

Proxima quidem *Lasiopetalo dasyphylo*, sed minime ejus varietas, et certissime species bene distincta! Praeter *ovarium* mucronatum enim facillime dignoscitur notis his:

Tomentum *caulis*, *ramorum*, *petiolorum*, *cymarum* et *florum* multo brevius, nec laete ferrugineum, sed magis rubro-fuscum est. *Folia* plerumque minora sunt, 1-1 $\frac{1}{2}$ -pollicaria, (et raro 2 $\frac{1}{2}$ pollices excedunt,) basi magis angustata, apiceque multo obtusiora, quam contra in *Lasiopetalo dasyphylo* basi latiore rotundata, sensim angustata, acuta vel imo acuminata sint. Tomentum in pagina inferiore *foliorum adultorum* non est ferrugineum, sed argenteo-niveum, rarissime in nervis stellulis paucis fuscis conspersa. *Folia novella* aliter se habent, scilicet in pagina superiore stellulis minimis, albis hirsuta, et insuper stellulis ferrugineis, majoribus, rigidioribus, mox deciduis vestita, demum vero omnino glabrata; in pagina inferiore eodem tomento argenteo ut in adultis tecta, et stellulis approximatis, rubro-fuscis pulcherrime punctata, sive prima juventute omnino rubro-fusca. *Cymae* pauciflorae, raro *floribus* plus 6-8 onustae, multo brevius pedunculatae: *pedunculo* 2-4 lin. longo; *radiis* multo brevioribus. Differentias praecipuas invenimus in *flore*. Tomentum in dorso *calycis* multo laxius breviusque, quare oculis non armatis lepidotum simulat. *Petala* late ovata, apice acutiuscula sunt. *Ovarium* eadem quidem forma, sed stellulis purpurascens, non ferrugineis, dense tomentosum, manifeste mucronatum est; *mucronulo* brevi, stylum aequante, semilineam vix metiente, stellulis niveis dense tomentoso. *Stylus* mucronulo ovarii insidens et cum eo deciduus, setaceus, glaber, *stigmatibus* truncato terminatus est. *Capsula* 4-locularis, *semina* et omnia reliqua ut in praecedente.

Species mihi ignota:

Lasiopetalum discolor *Hooker.*

L. foliis breviter petiolatis cordatis ovatis obtusissimis supra pubescentibus subtus albo-tomentosis, ramis petiolis calycibusque ferrugineo-tomentosis, cymis parvis capitatis.

Lasiopetalum discolor Hooker in Comp. ad Bot. Mag. p. 276, et in Journ. of Botany. T. 2. p. 414. No. 1.

Hab. in insula van Diemen. Gunn. No. 551.

Plantam non vidi; *Lasiopetalo Gunnii* proxima videtur, sed teste cl. Hooker fil. l. c. valde diversa ab eo, quocum cl. Gunn eam commutavit, sub eodem numero utramque plantam mittens.

CORETHROSTYLIS Endlicher, in Nov. Stirp. Decad. Mus. Vindob. p. 1. No. 1. Endl. gen. No. 5326. Meisn. gen. p. 344.

1. **Corethrostylis bracteata** *Endl.*

C. foliis coriaceis late ovatis cordatis acutis supra opacis asperulis subtus pube stellata ferruginea molliter tomentosis, cyma folio opposito multo longiore, bracteis ovatis a calyce remotis coloratis, ovario pilis glanduliferis sordide albis tomentoso, stylo barbato nonnisi ima basi nudo.

Corethrostylis bracteata Endl! l. c. Lindley! Bot. Reg. New Series Anno 1844. tab. 47. (figura et descriptio optima!)

Corethrostylis coriacea Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 236. No. 2.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia. Drummond! Collect. 1. No. 386! Collect. 2. No. 65! Ibidem Preiss! (Herb. Preiss. No. 1637!) v. s. et v. cult.

2. **Corethrostylis membranacea** *Steudel.*

C. foliis membranaceis late ovatis cordatis obtusiusculis utrinque laete viridibus asperulis, cyma folio opposito longiore, bracteis ovatis a calyce remotis coloratis, ovario pilis eglandulosis niveis dense sericeo, stylo barbato ima basi summoque apice nudo.

Corethrostylis membranacea Steudel! in Lehm. Plant. Preiss.

T. 1. p. 236. No. 1.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in arenosis colliculosis sylvae ad portum Leschenault, distr. Wellington d. 13. Decembr. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1656!) v. s.

Species bene distincta, a praecedente, cujus habitum prae se fert. dignoscitur notis his:

Tota planta gracilior est. *Caulis* inferne plerumque glaber sive asperulus, purpurascens, nec dense tomentosus. *Ramuli* et *petioli* tenuiores, tomento stellato, ferrugineo minus dense tecti. *Folia* textura tenuiore, mem-

branacea nec coriacea, eadem fere forma, sed multo minus acuminata, imo saepe obtusiuscula, paullo minora, utrinque laete viridia, rugosa, venoso-reticulata, glabra sed pilis stellatis, remotis, praesertim in nervis asperula, nec subtus pube stellata, ferruginea molliter tomentosa, margine leviter recurva. *Cymae*, ut in illa, oppositifoliae et biradiatae; *radiis* racemosis, cum *flore* solitario, pedicellato in bifurcatione, sed minus elongatis, *floribus* paucioribus onustis, magis divaricatis et flexuosis. *Calycis segmenta* acuta quidem, sed minus acuminata sunt, quam in praecedente. *Macula* atropurpurea, qua *segmenta calycis* utriusque speciei in basi faciei ornata sunt, alia in illa, alia in nostra. In *Corethrostylide bracteata* versus medium truncata et circumscripta est, in nostra specie sensim in colorem roseum apicis segmenti transit. *Ovarium* pilis niveis, eglandulosis dense sericeum, nec pilis glanduliferis, sordide albis tomentosum, caeterum omnino ut in praecedente. *Stylus* ima basi et in summo apice nudus, caeterum ut in illa, juxta totam longitudinem pilorum candidorum fasciculis, dependentim stipatis, barbatus. *Capsula* pilis stellatis, brevibus dense pubescens est, nec ut in praecedente pilis brevibus, simplicibus, glanduliferis, remotiusculis conspersa, caeterum non differt. *Semina* in loculis solitaria, fortasse paullo magis puberula. *Stropholi* lacinae longiores, saepe totius seminis longitudinem fere aequant, sed interdum etiam abbreviatis vidi. Reliqua omnia ut in praecedente.

3. *Corethrostylis cordifolia* Steetz.

C. foliis coriaceis late ovatis cordatis versus apicem angustatis obtusiusculis supra opacis asperulis subtus cano-tomentosis, cyma folio opposito brevior, bracteis filiformibus calyci approximatis concoloribus, ovario pilis eglandulosis niveis dense sericeo, stylo nonnisi medio barbato.

Lasiopetalum cordifolium Endlicher! in Enum. plant. Hügel. pag. 10. No. 33. Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 235. No. 2.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, ad sinum regis Georgii III. Hügel! In rupestribus ad tergum montis Melville, distr. Plantagenet, d. 5. Octobr. 1840. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1659!) (V. s. specimen authenticum in herb. palatino Vindobonensi et plurima specimina Preissiana.)

Jam in eo eram, ut hanc plantam, intermediam inter *Lasiopetalum* et *Corethrostylidem*, in novum genus redigerem. Recedit enim a *Lasiopetali* genere: *petalorum* defectu et *stylo* medio barbato, et a *Corethrostylidis* genere: *calyce* subcoriaceo non marcescente, et *bractea* calyci appressa, partita. Attamen quum plantam examini diligentiori subjecissem, summam analogiam observavi in *styli*, *ovarii*, *filamentorum* et *antherarum* structura nostrae plantae atque *Corethrostylidis* specierum, quae insuper *foliis* eadem forma instructae sunt, ita ut separatio generis novi mihi videretur nimis artificialis, quum nonnisi in calycis textura et bractearum situ funderetur. Altera parte, ponderatis characteribus singulis, a *Lasiopetali* genere eam remove coactus eram, ad quod praeter inflorescentiae habitum vix ac ne vix quidem accedit. Itaque in *Corethrostylidis* genere planta nostra tandiu locum teneat, quamdiu characteres ex organis sexualibus desumpti majoris sunt momenti, quam qui ex integumento florali recipiuntur.

Planta e descriptione, quam cel. Endlicher l. c. accuratius elaboravit, satis superque cognosci potest, quare nil addo nisi pauca haec:

Capsula et *semina* adhuc ignota sunt, specimina Preissiana enim omnia florigera sunt sicuti Hügeliana. — *Bracteam hypocalycinam* non semper 3-partitam observavi, qualem cl. Endlicher descripsit. Saepissime occurrit indivisa, saepe bipartita, *lacinia* altera paullo longiore, rarissime *bracteam* 3-partitam *Lasiopetalorum* more, vidi.

SAROTES Lindley, Swan-River Bot. in Append.
ad Bot. Reg. p. XIX. No. 85. Endl. gen. No. 5327¹.

Meisn. gen. p. 344.

1. **Sarotes ledifolia** Lindley.

S. stipulis foliiformibus folio paullo brevioribus, bracteis ovatis, petalis basi lata sessilibus, antheris breviter rostratis.

Sarotes ledifolia Lindley! l. c. Arnott in Hooker Journal of Botany T. 2. p. 381. tab. 16! (optime!)

Thomasia pumila Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 233. No. 10.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia, Drummond! Collect. 1. No. 376! et 377! Collect. 2. No. 60! Ibidem Preiss! (Herb. Preiss. No. 1643! frustulum quidem, sed certissime huc pertinens!) v. s.

Fruticulus humilis, 1-2-pedalis. *Radix* tenuis, flexuosa, perpendiculariter descendens, fibris divaricatis, tenuissimis parce ramosa. *Caulis* erectus, jam ab ima basi ramosus, cortice rimoso, griseo vel brunneo tectus, teres, demum glabratus. *Rami ramulique* erecto-patuli, tomento stellato, cinereo sive subferrugineo hispiduli. *Folia* subsessilia vel brevissime pedicellata, approximata, coriacea, linearia, basi breviter attenuata, apice obtusa, margine arcte revoluta, uninervia, supra leviter pubescentia, mox glabrata, asperula, granulosa sive interdum reticulata, nervo argute impresso, subtus pilis stellatis simplicibusque molliter cano-tomentosa, nervo valde prominulo, ferrugineo, 5-10 lin. longa, $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ lin. lata. *Stipulae* foliis omnino simillimae, sed semper paullo minores, 4-7 lin. longae, ab auctoribus nonnullis pro foliis habitae, quare plantae plerumque *folia* ternatim verticillata tribuuntur. *Racemi* oppositifolii, stipulis oppositis alterni, ita ut cum folio et stipulis verticillum quaternarium forment; *rhachi* tomento stellato, subferrugineo hispidula, basi spatium $\frac{1}{2}$ -1 pollicis nuda, pedunculiformi, apice pauciflora; *floribus* 3-4, ut videtur secundis, nutantibus, approximatis, pedicellatis: *pedicellis* tomentosus, 2-4 lin. longis, bracteatis; *bracteis* 2-4 ovatis, acutiusculis, plerumque paullo distantibus et a calyce remotis, facie sparse, dorso densius pubescentibus. *Calyx* campanulatus, membranaceus, coerulescens, utrinque pilis stellatis, remotiusculis puberulus, sive intus basi lepidotus, in fructu marcescens, profunde 5-fidus; *segmentis* ovatis, obtusiusculis, usque ad basin fere fissis, reticulato-venosis, nervis 3 validioribus, ima basi parallelis, versus apicem divergentibus, praeditis, 5-7 lin. longis, 3-4 $\frac{1}{2}$ lin. latis. *Petala* 5, minima, semilineam vix longa et lata, squamaeformia, obovata, basi subattenuata, apice truncata, cucullata, 3-nervia, glabra, atro-purpurea sive brunnea. *Filamenta* 5, planiuscula, basi subdilata, libera, atro-purpurea, semilineam longa, omnia fertilia. *Antherae* ovato-oblongae, atro-purpureae, medio insertae, basi rotundatae, subintegrae, apice in rostrum breve, album, apice bilobum attenuatae, lineam longae, sulco dorsali, longitudinali exaratae, latere interno poris duobus, a summo apice remotis, debiscentes. *Ovarium* parvum, diametro semilineari, globosum, papillosum, brunneum, 5-loculare; *loculis* dispermis; *ovulis* superpositis. *Stylus* 1 $\frac{1}{2}$ lin. fere longus, ima basi pilis paucis, apice glanduliferis conspersus, medio tenuis fere glaber, supra medium usque ad summum apicem pilis stellatis, albis scopaeformis, *stigmate* truncato, subcapitato terminatus. *Capsula submatura* basi attenuata, et carpophoro brevissimo, crassiusculo stipitata, obovata, diametro sesquilineari, papillosa et versus apicem pilis apice glanduliferis, bre-

vibus vestita, 5-sulcata, 5-locularis; *loculis* intus brunneis, glabris, dispermis. *Semina submatura* oblonga, atro-purpurea, subpuberula, utrinque obtusa, basi affixa et strophiolata; *strophio* umbilicali, cupuliformi, stramineo, in lacinias 4-6 inaequales, medium seminis superantes, vel paullo minores fisso.

Variat:

β) **latifolia Steetz**: foliis latioribus, floribusque paullo majoribus.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, cum priore, Drummond! Collect. 2. No. 59! (v. s.)

Folia interdum 2-2½ lin. lata, et minus arcte revoluta, ita ut pagina inferior bene conspicua sit. *Flores* pulcherrimi, majores. Caeterum non differt a forma primaria.

2. **Sarotes micrantha Steetz.**

S. stipulis folio multo brevioribus, bracteis filiformibus, petalis basi brevissime unguiculatis, antheris erostribus.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia, cum praecedente, Drummond! Collect. 2. No. 63! (v. s. specimen unicum in herb. palatino Vindobonensi.)

Certissime species distincta! Differt enim a praecedente notis his:

Tota planta gracilior est. *Folia* minora raro lin. 4 excedunt, caeterum a foliis speciei antecedentis non differunt, nisi, quod pubescentia in pagina superiore fortasse paullo diutius persistit. *Stipulae* brevissimae sunt, lineam fere longae. *Racemi* ut in specie altera, apice pauciflori; *floribus* duplo vel triplo minoribus, longius pedicellatis; *pedicellis* 3-4 lin. longis, *bracteis* paucis, filiformibus, utrinque stellato-tomentosis stipatis. *Calycis segmenta* vix 3 lin. longa, apice paullo acutiora, caeterum non diversa. *Petala* basi valde angustata, et in unguem manifestum, brevem quidem, attenuata, quare paullo longiora sunt, quam in *Sarotide ledifolia*, apice vix cucullata, sed saepe subinvoluta. *Antherae* multo minores, semilineam longae, medio insertae, atro-purpureae, basi emarginatae, loculis obtusis, divergentibus, apice omnino erostris, brevissime bilobae, et latere interno poris duobus, revera apicalibus, albo-marginatis dehiscentes. *Ovarium* ut in praecedente, sed pilis albis, brevibus, apice glanduliferis conspersum. *Capsulam* non vidi. Reliqua omnia ut in *Sarotide ledifolia*.

Obs. Quod *folia* in hujus generis speciebus revera stipulata sunt, nec ternatim verticillata, extra omne dubium positum videtur, quamquam *stipulae* foliis simillimae sunt. Semper enim foliis breviores, nunquam racemo oppositas observavi, sed, ut in caeteris *Lasiopetaleis*, racemo oppositifolio alternas.

C. **KERAUDRENIAE**: Antherae rima dorsali utrinque dehiscentes. Ovarium simplex. Styli plures basi distincti superne cohaerentes.

KERAUDRENIA Gay l. c. p. 461. Endl. gen. No. 5327. Meisn. gen. 33. (26.)

1. **Keraudrenia hermanniaefolia** Gay.

K. foliis ovato-ellipticis supra hispidis subtus villosito-tomentosis margine crispato-sinuatis apice obtusissimis, calycibus utrinque hispido-pubescentibus, filamentis basi liberis, ovario muricato.

Keraudrenia hermanniaefolia Gay! l. c. pag. 462. tab. 23.
DC! prodr. T. 1. p. 490. No. 1.

Hab. in Novae Hollandiae ora occidentali, ad Peronis isthmum, lat. austral. 26°, longitud. orient. 112°, Gaudichaud (teste cel. Gay l. c.)

Hanc speciem non vidi, nec eam novi nisi e descriptione accurata et icone exacta, supra allata. *Folia* ejus in toto genere maxima videntur, pollicem interdum longa, et 6-8 lin. lata.

2. *Keraudrenia microphylla* Steetz.

K. foliis obovato-oblongis supra glabris subtus cano-tomentosis margine crispato-sinuatis apice obtusis, calycibus intus glabris, extus stellato-hirsutis, filamentis basi connatis, ovario muricato.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia, Drummond! Collect. 2. No. 61! (ex parte) v. s.

A praecedente, cui proxima, bene tamen distingui posse videtur.

Tota planta rigida, ramosissima. *Rami* teretes, stricti, erecto-patentes, virgati, cortice purpurascente, rugoso, glabro tecti, *novellis* versus apicem pube stellata, brevi, appressa vestitis. *Folia* alterna, petiolata, *petiolo* brevissimo, $\frac{1}{2}$ -1 lin. longo, multo minora quam in praecedente, ovato-oblonga, obtusa, margine crispato-sinuata, penninervia, supra opaca, glabra, nervis impressis, subtus pilis stellatis incano-tomentosa, *novellis* stellulis ferrugineis in super punctatis, omnia nervis prominentibus inscripta, 1-4 lin. longa, 1-2 lin. lata. *Stipulae* omnino ut in *Keraudreniae hermanniaefoliae* icone, lineari-lanceolatae, acutae, basi paullo latiores, stellulis adspersae, subferrugineo-membranaceae, cito caducae. *Corymbi* oppositifolii, subterminales; *floribus* 6-8, longe pedicellatis; *pedicellis* incano-tomentosis, 5-6 lin. longis, medio circiter articulatis, et, ut videtur, omnino ebracteatis. *Calyx* petaloideus membranaceus, lilacinus, intus glaber, extus stellulis albis hirsutus, venosus, *bractea hypocalycina* omnino destitutus, ultra medium 5-partitus; *segmentis* ovatis, acutis, nervis longitudinalibus validioribus, basi parallelis, versus medium divergentibus notatis. *Filamenta* omnino ut in praecedente, plana, conniventia, facie glabriuscula, dorso dense hirsuta, non tamen libera, sed ima basi revera connata, lineam metientia. *Antherae* ut in genere, nigrae, semilineam fere longae, rima dorsali, longitudinali utrinque dehiscentes. *Ovarium* ferrugineum, levissime muricatum, minimum, ovoideum, 2- vel 4-loculare. *Styli* 3 sive 4, setacei, gracillimi, glabri, antheras longe superantes, basi distincti, supra medium cohaerentes. *Stigma* terminale, truncatum, minimum. *Capsulam* non vidi.

Obs. Jam cl. Gay l. c. p. 463 monuit: *Semel vidi filamentum sextum sterile, reliquis paullo brevius.* Equidem numerum *filamentorum* et *loculorum ovarii* multo magis inconstantem reperi, et in hac et in sequentibus speciebus. Vidi in uno eodemque specimine *florem* alium *filamentis* 5, omnibus fertilibus praeditum, alios *filamentis* 6, 7, 8, 9 vel 10 instructos, quorum alterna *sterilia*, fertilibus paullo breviora observavi. Summa vero monstruositas mihi obvia erat in flore unico hujus speciei, *filamentis* scilicet 8, omnibus fertilibus instructo, quorum 4, *antheris* omnino normalibus, 4 alterna vero, *antheris* duplo minoribus, sed, solito more, rima dorsali longitudinali utrinque dehiscentibus onusta sunt. — Eodem modo *ovaria* 3-locularia, 3-gyna, et *ovaria* 4-locularia, 4-gyna, in uno eodemque specimine promiscue occurrentia reperi.

3. *Keraudrenia integrifolia* Steudel.

K. foliis obovato-oblongis supra glabris venosis subtus cano-tomentosis margine integris apice obtusis, calycibus intus

glabris extus stellato-hirsutis, filamentis basi connatis, ovario apice hirsuto vel dense sericeo.

Keraudrenia (?) *integrifolia* Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 236. No. 1.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia, ad flumen Vasse-River, Drummond! Collect. 2. No. 61! (ex parte, cum praecedente commixta), et in solo limoso-arenoso sylvae prope planitiem Lewis-plain, ad flumen Cygnorum, d. 14. Octobr. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1651!) v. s.

Bonam, ut videtur, speciem exhibet, etsi praecedenti proxima est. Distinguitur enim notis his:

Tota planta minus stricta est quam praecedens. *Rami* flexuosi, inordinatim dispositi habitum ei potius *Keraudreniae hermanniaefoliae* tribuunt. *Folia* margine integra, et nervis impressis supra valde venosa, glabra, subtus pube stellata incana, dense tomentosa, nervis elevatis reticulata, et stellulis ferrugineis insuper ornata, plerumque majora sunt quam in *Keraudrenia microphylla*, 4-6 lin. longa, 2-3 lin. lata; *petiolo* lineari vel imo longiore. *Corymbi*, *calyx*, *pedicelli* omnino ut in priore. *Filamenta* eadem. *Antherae* plerumque flavae, caeterum non diversae. Etiam in hac specie *filamenta sterilia accessoria* non raro occurrunt. *Ovarium* apice hirsutum, (specimina Preissiana), sive albo-sericeum, (specimen Drummondianum), 3- vel 4-loculare. Caeterum omnia reliqua ut in praecedente. *Capsula* non suppetit.

4. *Keraudrenia velutina* Steetz.

K. foliis oblongis supra velutinis subaveniis subtus cano-tomentosis margine integris apice obtusis, calycibus intus glabris extus stellato-hirsutis, filamentis basi connatis, ovario summo apice hirsuto.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali; inter flumen Swan-River et sinum regis Georgii III. specimina pauca leg. cl. Roë! (V. s. in herbario palatino Vindobonensi.)

Rami rubro-purpurei, glabrati, *novelli* pilis stellatis, appressis, laete ferrugineis tomentosi. *Folia* oblonga, obtusa, integra, petiolata, *petiolo* 2-2½- lineari, supra dense velutina, sive demum glabrata, semper vero textura multo crassiora quam in praecedentibus, subavenia, i. e. nervo solummodo medio impresso, caeteris obsoletis, subtus pube stellata, incana dense tomentosa, et nervis omnibus prominulis reticulata, 10-12 lin. longa, 2½-3 lin. lata. *Flores* paullo majores sunt quam in praecedentibus. *Calycis segmenta* multo acutiora, fere acuminata, lilacina sive laete rosea. *Filamenta* semper 10, omnia in annulum basi connata, facie glabra, dorso pubescentia; *sterilia* 5, alterna, acuta, *fertilibus* paullo breviora. *Antherae* pulchre pruinosae. Reliqua omnia ut in *Keraudrenia integrifolia*. *Capsula* in speciminibus desideratur.

Obs. 1. In hac specie quidem *filamenta* 10 constanter reperiuntur, quod signum tamen in diagnosin non recepi, quoniam fallax est, *filamentis* 10 etiam in caeteris speciebus, quamquam raro occurrentibus.

Obs. 2. Observavi unicum florem tetramerum, monstrosum, i. e. *calycem* 4-partitum, *filamentis* 8, *sterilibus* 4 alternis praeditum.

1. PLEIOCARPAE: *Carpidia liberae*.

SERINGIA Gay *) l. c. p. 442. Endl. gen. No. 5322. Meisn. gen. 33. (26.) **GAYA** Spreng. syst. veg. T. 1. p. 971 (non Kunth, non DC.)
LASIOPETALI sp. auctt.

1. **Seringia platyphylla** Gay.

S. foliis late ovatis acuminatis irregulariter grosse dentatis supra glabriusculis subtus ferrugineo-tomentosis, petalis nullis, filamentis subaequalibus ovaria vix aequantibus.

Seringia platyphylla Gay! l. c. pag. 443. tab. 16 et 17. (optime!) DC! prodr. T. 1. p. 448. No. 1.

Lasiopetalum arborescens Ait. hort. Kew. ed. 2. T. 2. p. 36. (ex cel. Gay.)

Gaya platyphylla Spreng! syst. veg. T. 1. p. 971.

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali, ad portum Macquarie, latit. austr. 31° 20', longit. oriental. 152° 7'. Fraser, (teste cel. Gay.) In Nova Walesia, Argyle, Ferd. Bauer! Hügel! (v. s. in herb. palatino Vindobonensi.)

Nil habeo novi, quod descriptioni, a cel. Gayo accuratissime elaboratae, addam.

2. **Seringia lanceolata** Steetz.

S. foliis oblongo-lanceolatis obtusiusculis subintegerrimis supra glabris subtus cano-tomentosis, petalis nullis, filamentis inaequalibus ovaria superantibus.

Lasiopetalum parviflorum herb. Bauer! (non Rudge.)

Hab. in Nova Hollandia. Ferd. Bauer! (v. s. in herb. palatino Vindobonensi.)

Specimina, sive potius ramuli duo tantum adsunt in herbario ditissimo supra laudato, quorum alterum sterile, alterum alabastrigerum flore non nisi unico evoluto adornatum est, cujus examinatio omnem dubitationem, utrum planta revera huc pertineat, satis superque sustulit. — Cl. Bauer locum proprium, ubi stirpem in Nova Hollandia detexit, non significavit.

Rami inferne teretes, glabrati, versus apicem tomento stellato, ferrugineo, denso obducti, et sub insertione foliorum paullisper complanati. *Folia* alterna, breviter petiolata; *petiolo* 2-3 lin. longo, stellulis ferrugineis, ramorum instar, dense tomentoso; *limbo* oblongo-lanceolato, basi obtuso et obsolete cordato, versus apicem sensim angustato, obtusiusculo, mucronulato, margine subintegerrimo vel levissime subrepando-denticulato, penninervio, supra opaco, glabro, (etiam in foliis novellis), nervis impressis reticulato, subtus incano et dense stellato-tomentoso, subhispidulo, stellulis ferrugineis in nervis prominentibus consperso, reticulato-rugoso, 2-3½-pollicari, medio

*) Cel. Gayum, qui ab hoc genere seriem *Lasiopetalearum* incepit, non secutus sum, sed post *Keraudreniam*, cui propter *antheras* rima dorsali utrinque dehiscentes proximum est, genus nostrum collocavi.

6-8 lin. lato, basi nonnisi paullulum angustiore. *Stipulae* anguste lineares, acuminatae, facie glabriusculae, dorso dense incano-tomentosae, 3 lin. circiter longae, deciduae. *Cymae* in specimine non satis evolutae, oppositifoliae videntur; *pedunculis pedicellisque* nondum adultis, ferrugineo-tomentosis alabastrigeris; *bracteis* vagis, simplicibus, linearibus, concoloribus, deciduis; *flore* unico duplo majore quam in *Seringia platyphylla*, diametro 4-5-lineari, plane evoluta. *Calyx* petaloideus, fere usque ad basin 5-partitus, lurido-purpurascens; *segmentis* introflexis, late ovatis, abrupte acutis, 3-5-nerviis, reticulato-venosis, facie pilis simpliusculis stellatisque, dorso pilis stellatis densius hirsutis, 3 lin. longis, 2 $\frac{1}{4}$ lin. latis. *Petala* nulla. *Filamenta* 10, supra ovaria conniventia, ima basi, ut videtur, connata, inaequalia; *sterilibus* alternis, $\frac{3}{4}$ lin. longis, applanatis, glabriusculis, basi dilatatis, sensim attenuatis, acutis; *fertilibus* longioribus, lineam excedentibus, dorso convexiusculis et dense pubescentibus, rubentibus, basi dilatatis, versus apicem attenuatis, ovaria longe superantibus. *Antherae* supra medium insertae, lineares, biloculares, loculis utrinque obtusis, basi divergentibus ideoque profunde emarginatae, loculis apice approximatis vix emarginatae, lutescentes, semilineam longae, sulco dorsali exaratae, et rima dorsali utrinque dehiscentes, *polline* flavo foetae. *Ovaria* arcte conniventia, ovarium unicum simulantia, dense tomentosa; praeterea nil observavi, quoniam florem unicum destruere nolui. *Styli* in flore unico 5, basi, jam anthesi incipiente, manifeste distincti, supra medium arcte cohaerentes, torti, antheras paullo superantes, basi pilis raris conspersi, versus apicem glabriusculi. *Stigma* terminale, subcapitatum. *Fructum* non vidi, sed *carpella* comminuta, et *semina matura*, oblonga, utrinque obtusa, nigra, glabra, grosse punctata, 1 $\frac{1}{2}$ lin. longa, basi *strophio* parvo, inaequali, hinc elongato, crenulato aucta juxta specimen sterile in herbario palatino Vindobonensi asservantur, quae, ut opinor, ad plantam nostram pertinent.

3. *Seringia corollata* Steetz.

S. foliis oblongo-lanceolatis acutiusculis integerrimis sive obsolete denticulatis supra velutinis subtus albido-tomentosis, petalis 5 squamaeformibus.

Büttneria pannosa herb. Bauer! (non DC.)

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali, intra tropicum, Ferd. Bauer! (V. s. in herbario palatino Vindobonensi.)

Proxime accedit ad speciem praecedentem, cujus varietatem primo intuitu habere possis, quare nequam a genere separanda est, etiamsi anomala, *petalis* manifestis praedita. Specimina, quae ante oculos habeo, pleraque alabastrigera sunt, sed e floribus paucis evolutis genus nostrum statim dignovi.

Caulis et *rami* omnino ut in praecedente, sed versus apicem stellulis saturatius ferrugineis tomentosi. *Folia* alterna, brevissime petiolata, *petiolo* vix sesquilineari, tomentoso, oblongo-lanceolata, basi obtusa et obsolete cordata, versus apicem sensim attenuata, acutiuscula, margine integerrima sive obsolete crispato-denticulata, vix recurva, penninervia, supra opaca, molliter velutina, nervis impressis inscripta, subtus albida, tomento denso, stellato, mollissimo obducta, nervis prominulis notata, utrinque reticulato-rugosa, 1 $\frac{1}{2}$ -2 pollices longa, medio et versus basin vix angustatam 5-8 lin. lata. *Stipulae* ut in praecedente, sed paullo minores, 1 $\frac{1}{2}$ -2 lin. circiter longae. *Inflorescentiae* indolem minus distinguere potui, quoniam specimina completa non suppetunt. Video *alabastra* sive paucos flores evolutos in *pedunculis* oppositifoliis, tomentosis, 3-3 $\frac{1}{2}$ lin. longis, *bractea* una alterave simplici, minima, lineari, tomentosa munitis, solitarios sive 2-3, paullo minores quam in praecedente, majores quam in *Seringia platyphylla*. *Calycis* *segmenta* paullo obtusiora et densius hirsuta, imo incana sunt, caeterum

omnino ut in praecedente. *Petala* 5, minima, squamaeformia, obovata, atropurpurea, filamentis fertilibus opposita, manifeste adsunt, sed in speciminibus nostris, siccando valde compressis, saepissime abscondita, difficillima inventu sunt. *Filamenta* 10, omnia paullo breviora sunt quam in praecedente, *sterilia* 5 alterna, setacea, paullo angustiora; caeterum non differunt. *Ovaria* dense sericeo-villosa, *styli* 5, et omnia reliqua ut in *Seringia lanceolata*. *Fructus* non suppetit.

Tribus II. BÜTTNERIEAE DC.

prodr. T I. p. 484. BÜTTNERIACEAE verae
Kunth.

RULINGIA RBr. in Sims. Bot. Mag. T. 48.
tab. 2191. (1821.) Endl. gen. No. 5328. Meisn.
gen. p. 32. (26.)

BÜTTNERIAE *) spp. Gay in Mem. du Mus.
d'hist. nat. T. 10. p. 200 sqq. tab. 12 et 13.
(1823.) DC. prodr. T. 1. p. 486 (ex parte.)

Sectio I. EURULINGIA: petalis basi cucullatis, patentibus.

1. *Rulingia pannosa* RBr.

R. foliis dentato-serratis acuminatis supra pilosis scabriusculis subtus molliter hispidulis pallidioribus, inferioribus ovatis basi cordatis 3-5-lobis, superioribus ovato-lanceolatis basi obtusis, petalorum ligula obtusa calyce breviora, capsulae setis elongatis sparse pilosis vel glabriusculis.

Rulingia pannosa RBr! in Bot. Mag. tab. 2191.

*) *Büttneria* Loefling est genus omnino diversum, cujus species Americam meridionalem et australem, nec non Indiam orientalem incolunt, in Nova Hollandia tamen haecenus omnino desideratae. Cel. R. Brown specierum Australasiacarum diversitatem egregie intelligens, primus eas anno 1821 separavit et in novum genus redegit, cui nomen *Rulingiae* imposuit. Ab hoc *Büttneriae* genus, praeter habitum omnino diversum, differt: *petalis* unguiculatis apice concavo-cucullatis, cuculli apice inflexo tubo stamineo adhaerente superne in ligulam producto, *staminum urceolo* brevi, laciniis sterilibus 5-10; praesertim vero: *capsulae loculis* septicide dehiscentibus et elastice dissilientibus, *seminibus* ovatis trigonis estrophiolatis, et *embryone* exalbuminoso. In *Rulingia* contra observamus: *Petala* e basi lata marginibus inflexis concava in ligulam producta omnino libera, nec tubo stamineo adhaerentia, *tubum stamineum* majorem, laciniis sterilibus petaloideis patentibus, *capsulae loculos* loculicide dehiscentes, *semina* elliptica sive ovoidea strophiolata et *embryonem* in axi albuminis situm.

Non omnes tamen species *Rulingiae* generis solummodo in Nova Hollandia nascuntur, vidi enim in herbario palatino Vindobonensi speciem, in sylvis montosis regionis interioris insulae Madagascar a cl. Bojer lectum et sub nomine: *Seringiae velutinae* Boj. missum. *Floris* structura omnino eadem est ac specierum Australasiacarum, et certissime vera *Rulingiae* species est, nisi fortasse *fructu*, quem non vidi. discrepat. Etiam habitus non diversus est.

Büttneria dasyphylla Gay! l. c. p. 200. tab. 12 (optime!)
DC! prodr. T. 1. p. 486. No. 1 et 2.

Büttneria inodora Gay! ined.

Commersonia dasyphylla Andr. Bot. rep. tab. 603. (ex cel.
Gay l. c.) et hortulan.

Lasiopetalum tomentosum Cels. (ex cel. Gay l. c.)

Commersonia Fraseri Sieber! herb. Nov. Holl. No. 217!
(non Gay).

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali, ad Port-Jackson, Botany Bay etc.
Ferd. Bauer! Sieber! Hügel! et alii. (v. s.)

Cel. Gay l. c. descriptionem accuratissimam, icone optima illustratam
publicavit. Etiam figura in Bot. Magaz. l. c. plantam bene refert.

2. *Rulingia rugosa* Steetz.

R. foliis oblongo-lanceolatis acutis basi obtusis crenulatis
supra molliter hirsutis subtus incanis dense villosis reticulato-
venosis, petalorum ligula obtusa calyce brevior, capsulae setis
elongatis rigide pilosis.

Büttneria pannosa DC? Hooker! mss. in herb. palat.
Vindobon.

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali, in regionibus interioribus Novae Wa-
lesiae. (V. s. in herb. palatino Vindobonensi, specimina fructifera.)

Speciei praecedenti quidem proxima, attamen certissime distincta spe-
cies!

Caulis et *rami* ut in praecedente, cujus habitum tota planta prae se
fert. *Folia* alterna, breviter petiolata, *petiolo* 1-1½-lineari, dense tomen-
toso, crassa, oblongo-lanceolata, basi rotundato-obtusa, versus apicem sen-
sim angustata, acuta, sed non acuminata ut in praecedente, margine sub-
regulariter crenulata, levissime recurva, penninervia, supra opaca, stellulis
2-4-radiatis molliter hirsuta, nervis impressis reticulato-rugosa. subtus incana
et pilis simplicibus stellisque molliter villosa, nervis valde prominulis
reticulata, 1-2-pollicaria, medio 3-7 lin. lata, versus basin vix angustiora.
Stipulae anguste lineares, acuminatae, pilis longis hirsutae, 2-3 lin. longae,
deciduae. *Cymae fructiferae*, (plantam florigeram non vidi,) pedunculatae,
oppositifoliae, capsulis 2-5 onustae; *pedunculo* rigido, patente sive erecto-
patente, nudo, stellulis patulis hirsuto, 4-8 lin. longo; *pedicellis* inaequali-
bus, 1-5 lin. longis, hirsutis, bracteatis; *bracteis* vagis, parvis, linearibus,
hirsutis, deciduis, hinc inde residuis. *Calyx* et *petala* in basi capsulae
persistencia, marcida omnino fere ut in specie praecedente, sed *calycis*
segmenta longiora et apice obtusiora videntur. (An etiam sic sub anthesi?)
Filamenta, *antheras* et *ovarium* non vidi. *Styli* brevissimi, emarcti,
inter setas capsulae absconditi, sive omnino delapsi. *Capsula* sphaeroidea,
undique echinata, supputatis setis diametro fere semipollicari, 5-locularis;
setis adultis 2 lin. longis, crassis, sed minus rigidis quam in specie praee-
dente, fuscis, dense pilosis; *pilis* rigidis, rectis, inaequalibus, albidis, angulo
recto patentibus, subfasciculatim dispositis, inferioribus eglandulosis, supe-
rioribus saepe glandula clavata terminatis, terminalibus radiatim expansis.
Pericarpium membrana ut in *Rulingia pannosa* duplex, utraque eadem
structura ac in illa. *Loculi* loculicide dehiscentes, intus glaberrimi, nitidi.
Semina fere matura in quovis loculo 3-4, ad axin centram dissepimenti,
funiculis umbilicalibus ellipticis, planiusculis, purpurascens affixa, col-
lateralia et utrinque 2 superposita, adscendentia, oblonga, laevia, fusca,
lineam circiter longa, levissime rugulosa, basi strophiolata; *strophio* parvo,

stramineo, cupuliformi, subintegro; *raphe* discolore, rubicunda; *hilo* minimo, punctiformi.

Obs. *Folia* hujus speciei foliis *Seringiae corollatae* mirum in modum simillima sunt, sed margine manifestius crenulato, et indumento laxiore dignosci possunt.

3. **Rulingia hermanniaefolia** Steetz.

R. foliis lanceolatis utrinque attenuatis obtusiusculis remote serratis supra hispido-scabris subtus cano-tomentosis reticulato-venosis, petalorum ligula obtusa calyce brevior.

Büttneria hermanniaefolia Gay! l. c. p. 204. tab. 13. DC!
prodr. T. 1. p. 486. No. 3.

Commersonia hermanniaefolia Gay, in Kunth Nov. gen. et spec. T. 5. p. 311 in nota, (teste cel. auctore ipso.)

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali, ad Port-Jackson, Riedlé! (V. s. in herbario Lehmanniano specimen authenticum florigerum.)

Species rara videtur, quum unicum solummodo specimen viderim. A praecedente facillime distinguitur: *foliis* utrinque attenuatis, remote serratis supra hispido-scabris. *Capsula* adhuc ignota est.

4. **Rulingia oblongifolia** Steetz.

R. foliis lineari-lanceolatis utrinque attenuatis obtusis repando-denticulatis margine recurvis supra glaberrimis subtus cano-tomentosis, cymae pedunculo folium subaequante, petalorum ligula obtusiuscula segmentis calycinis acutiusculis brevior, capsulae setis brevissimis glabriusculis pilo stellato terminatis.

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali, ad Port-Jackson, A. Cunningham! (V. s. fructiferam.)

Ad speciem praecedentem proxime accedit, quare saepius in herbariis sub illius nomine asservatam reperi, attamen jam obiter inspecta facillime distinguitur: *foliis* plus duplo minoribus, margine repandis, (nec serratis), supra glaberrimis. Specimina, quae suppetunt, omnia sic se habent:

Tota planta multo gracilior videtur, caeterum *caulis* et *rami* a praecedente non differunt, nisi fortasse tomento paullo laxiore. *Folia* alterna, brevissime petiolata, *petiolo* vix semilineari, crassa, lineari-lanceolata, utrinque attenuata, obtusa, margine leviter repando-denticulata, recurva, penninervia, supra opaca, glaberrima, nervis impressis inscripta, subtus incano-tomentosa, nervis prominulis reticulato-rugosa, plerumque 1-5 lin. longa, medio 1½-3 lin. lata, rarissime lineas 8 aequantia, latitudine 3-lineari. *Stipulae* anguste lineares, acutae, lineam circiter longae, facie glabrae, dorso pilis longis hirsutae, deciduae. *Cymae fructiferae* oppositifoliae, pedunculatae, capsulis 2-5 onustae; *pedunculo* 4 lin. circiter longo, cum *pedicellis* inaequalibus 1½-3 lin. longis, rigidis, pilis stellatis tomentoso; *bracteis* in *pedicellis*, ut videtur, vagis, deciduis. *Calyx* et *petala* in nostris speciminibus in basi capsulae residua, marcida, a specie praecedente differre non videntur. *Filamenta*, *antheras ovariumque* non vidi. *Styli* 5, breves quidem, sed setis capsulae paullo longiores, setacei, acuti. *Capsula* sphaeroidea, minima, vix pisi sativi magnitudine, diametro 2-lineari, 5-locularis, *setis* brevissimis, ¼ lin. circiter longis, crassis, obtusis, atro-purpureis, glabris, pilo stellato albido terminatis undique tecta; *pericarpium* structura omnino ut in caeteris speciebus, e membrana duplici, sponte continua, sed arte facile separanda, constans; *loculi* intus glaberrimi, nitidi, loculicide utrinque dehiscentes. *Semina matura* in quovis loculo bina, collateralia, sive abortu

interdum solitaria, ad basin axis centralis dissepimenti utrinque *funiculo umbilicali* brevi affixa, oblonga, utrinque obtusa, glabra, levissime rugulosa, fusca, basi strophiolata; *strophio*lo minimo, cupuliformi, subintegro, stramineo; *raphe* vix discolore.

5 **Rulingia cistifolia** A. Cunningham.

R. foliis lineari-lanceolatis utrinque attenuatis obtusis repando-denticulatis margine recurvis supra pilosis scabriusculis subtus pallidis molliter villosis, cymae pedunculo folium longe superante, petalorum ligula obtusiuscula segmentis calycinis obtusis brevioribus, capsulae setis brevissimis rigide pilosis.

Rulingia cistifolia A. Cunningham! mss. in herb. reg. Berolin. et herb. palat. Vindob.

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali. In Nova Walesia, ad flumen Hunters-River leg. A. Cunningham! (V. s. in herb. regio Berolinensi, et palatino Vindobonensi).

A praecedente, cui similis, praeter characteres in diagnosi significatos primo intuitu dignoscitur: *capsula* plus duplo majore.

Suffrutex prostratus. *Caules* teretes, cortice fusco tecti, plerumque demum glabrati, nec nisi apice pubescentes. *Ramuli novelli* pilis stellatis patentibus villosi. *Folia* eadem fere forma et magnitudine atque in *Rulingia oblongifolia* descripsimus, plerumque 4 lin. longa, semipollicem nunquam excedentia, sed supra pilis stellatis, remotiusculis scabriuscula, subtus tomento laxiore molliter villosa, pallidiora quidem sed minus incana. *Stipulae* ut in praecedente. *Cymae* longe pedunculatae, versus apicem ramulorum oppositifoliae, 1-3-florae; *pedunculo* erecto-patente, gracili, nudo, 3-8 lin. longo, et cum *pedicellis* brevibus, inaequalibus, 1-2½ lin. longis, pube simplici et stellata, patente, canescente, hispidulo; *bracteis* parvis, paucis, vagis, ad basin vel versus medium pedicellorum, interdum oppositis, ovatis, acutis, nervosis, 1-1½ lin. longis, ½ lin. latis, utrinque, praesertim dorso hirsutis. *Flores* in sicco fulvi videntur, expansi diametro 3-lineari. *Calyx* patens, utrinque pubescens, fere usque ad basin 5-partitus; *segmentis* planis, ovatis, valde obtusis, et quidem obtusioribus quam in ulla alia specie, venosis et nervo medio validiore instructis. *Petala* 5, distincta, segmentis calycinis alterna, iisdem breviora, basi dilatata, obovato-cuneata, marginibus introflexis filamenta fertilia cum anthera amplectentia, venosa, 3-nervia, glabra, abrupte in ligulam multoties angustiore, patentem, semilineam longam, angustissime linearem, obtusiusculam, uninerviam, dorso glabriusculam, facie puberulam desinentia. *Filamenta* 10, basi in tubum connata, alterna sterilia; *sterilia* calyce et petalis paullo breviora, petaloidea, plana, lanceolata, acuta, apice stellatim expansa, dorso et in apice faciei dense hirsuta, basi medio tenuis paginae superioris glaberrima; *fertilia* petalis opposita, setacea, erecta, filamentis sterilibus multoties breviora, in sicco nigricantia. *Antherae* minutae, filamentorum longitudinem lineae trientis aequantes, didymae, ovoideae, apice obtusae, biloculares, loculis basi valde divergentibus, ideoque profunde emarginatae, nigricantes et rima laterali, longitudinali, extrorsum utrinque dehiscentes. *Ovarium* sphaeroideum, setis brevibus albidis densissime onustum, pentagynum, 5-loculare; *loculis* 3-ovulatis. *Styli* 5, brevissimi, setas ovarii paullo supereminentes, sub anthesi arcte coaliti, glabri, post anthesin distincti; *stigmatibus* capitato, terminali. *Capsula matura* sphaeroidea, diametro 4-lineari, *setis* brevissimis, semilineam longis, crassis, obtusis, atro-purpureis, pilis patentibus, rigidiusculis, albidis densissime obsitis, piloque stellato ejusmodi terminatis undique echinata, 5-ocularis; *loculis* intus glabris; *pericarpium* membrana ut in praecedentibus duplici. *Semina* e capsula unica, aperta, quae suppetit, jam elapsa sunt, ideoque mihi ignota.

6. **Rulingia grandiflora** Endlicher.

R. foliis inaequaliter crenato-dentatis obtusis supra velutinis subtus cano-tomentosis, inferioribus late ovatis basi cordatis trilobis, superioribus ovato-ellipticis. petalorum ligula obtusa trinervia calyce brevior, capsulae setis brevibus rigide pilosis.

Rulingia grandiflora Endlicher! in Enum. plant. Hügel, p. 12. No. 38.

Commersonia cinerea Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 238. No. 3.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, ad sinum regis Georgii III. Hügel! (specimen subdesloratum, capsulis immaturis). In Australasia, (sine indicatione accuratiore.) Roë! (specimina alabastrigera, paucis floribus evolutis). In planitie promontorii Cape Riche, den 2^o. Novembr. 1840. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1664! specimina fructifera). v. s.

Specimina omnium trium peregrinatorum clarissimorum, quae ante oculos habeo, certissime huc pertinent, quamquam obiter comparata, diversae plantae esse videntur. Specimen unicum Hügelianum est planta semestris, e semine nata, foliis inferioribus trilobis, superioribus ellipticis, atque floribus, anthesi peracta, capsulas immaturas gerentibus instructa. Specimina Roëana, alabastrigera, foliis inferioribus destituta, non nisi folia superiora semipollicaria-sesquipollicaria, 4-12 lin. lata, elliptica sive ovata retinuerant. Specimina Preissiana fructifera ramulis foliisque novellis, parvis, 2-10 lin. longis, 1-1 lin. latis, nuperrime pullulatis praedita sunt, capsulis anni praeteriti adhuc residuis; omnia vero indiciis hisce inter se conveniunt:

Forma foliorum relativa in omnibus eadem est, scilicet ovato-elliptica, exceptis foliis inferioribus, quae late ovata vel subrotunda, basi cordata, triloba et multo longius petiolata sunt, (petiolo 8-10-lineari), quae vero, ut in *Rulingia pannosa* *) non nisi in planta semestri, e semine nata occurrere videntur. Omnia eodem modo margine plana et crenato-dentata sunt. Indumentum foliorum in omnibus speciminibus idem. Folia enim in pagina superiore pilis stellatis, brevibus, approximatis velutina, cano-viridia, in pagina inferiore pilis stellatis, albidis, paullo longioribus densius vestita, incano-tomentosa, fere albida sunt. Nervatio eadem, penninervia, nervis lateralibus remotiusculis, supra impressis, subtus prominulis. Praesertim vero floris partes in omnibus speciminibus optime congruunt; (calyx et petala emarcida sub capsulis speciminum Preissianorum, ut in toto genere, residua sunt). Flores paullo majores sunt quam in *Rulingia pannosa*, a qua praeterea differentias observavi hasce: Calycis segmenta facie densius villosa, imo sericea sunt, pilis plerisque simplicibus. Petalorum ligula paullo latior, obtusior et conspicue trinervia est, (nec uninervia). Filamenta sterilia facie glabriuscula sunt, (nec utrinque villosiuscula). Capsula matura magna, diametro 5-lineari, capsulae *Rulingiae rugosae* haud dissimilis, sed setis multo brevioribus, vix lineam longis, crassis, obtusis, undique echinata est. Caeterum setae eodem modo atque illius pilis rigidis, albidis, patentibus, sed omnibus fere eglandulosis, fasciculatim dispositis obsitae sunt, et apice pilo stellato ejusmodi terminatae. Semina in loculis intus glabris, nitidis gemina, collateralia, sive abortu solitaria, magna, sesquilineam excedentia, oblonga, utrinque obtusa, aterrimum, nitida, punctata, basi strophiolata; strophiole cupuliformi, carnosulo, lutescente, subintegro, vel lateribus utrinque exciso.

*) Conferantur observationes, quas cl. Gay in plantam vivam instituit, et quas egregie exposuit in Mem. du Mus. d'hist. nat. 1823. T. 10. p. 201.

7. **Rulingia parviflora** Endlicher.

R. foliis inaequaliter inciso-crenatis obtusis supra glabriusculis subtus canescentibus hirsutis, inferioribus late ovatis trilobis, superioribus obovato-oblongis, petalorum ligula angustissima uninervia calycem subaequante, capsulae setis brevissimis glabriusculis pilo stellato terminatis.

Rulingia parviflora Endlicher! in Enum. plant. Hügel p. 12. No. 39.

Rulingia corylifolia Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 237. No. 1. (non Graham).

Lasiopetalum dumosum et prostratum } Hortulan?
Thomasia dumosa et prostrata }

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, ad sinum regis Georgii III., Hügel! In rupestribus summitatis clivuli ad Princess Royal Harbour, d. 30. Sept. 1840. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1650!) v. s.

Comparato specimine authentico Hügeliano cum plurimis Preissianis, quin utraque planta ad unam eandemque speciem pertineat, non amplius dubito. Specimen Hügelianum, a cl. Endlichero descriptum, admodum macrum, in loco sterili, ut opinor, natum, *foliis inferioribus* trilobis omnino caret; specimina vero Preissiana valida, in solo fertilissimo nata et laete viguisse videntur. *Foliorum superiorum et juvenilium* forma in utraque planta eadem. *Flores* non linea inter se differunt.

Teste cl. Preissio est frutex, ramis secundis, prostratis. *Folia* supra viridia, plerumque versus marginem pilis raris, simplicibus, sive 2-3-radiatis conspersa, caeterum glabriuscula, subtus pallidiora, canescentia, pilis stellatis dense hirsuta, *inferiora* late ovata, valde obtusa, triloba, *superiora* obovato-oblonga, integra, crenata, lobis crenisque omnium inaequalibus, obtusis, magnitudine varia; vidi in speciminibus Preissianis *folia* 2 lin. longa, lineam lata, et alia pollicem excedentia, 8 lin. lata. *Cymae pedunculi* folio opposito multo breviores. *Petala* calycem subaequantia, in *ligulam* producta sunt uninerviam, angustissimam quidem, sed summo apice ut in praecedentibus obtusiusculam, etiamsi oculo non armato acutissima videtur. *Capsula* fere matura flore emarcido persistente stipata, parva, diametro 2-lineari, *setis* crassis, rigidis, obtusis, brevissimis, glabris sed pilo stellato, albido terminatis undique echinata sive potius tuberculata, 5-locularis, capsulae *Rulingiae oblongifoliae* haud dissimilis. *Styli* 5, demum distincti, persistentes, setacei, apice valde attenuati, setis capsulae duplo longiores. *Semina* (submatura) in quovis loculo 2, collateralia, erecta, nigrescentia, *strophio* basilari, stramineo, inaequali, hinc producto, subintegro aucta.

Obs. Colitur in nostris frigidariis *Rulingiae* species, quae apud hortulanos versatur sub nominibus: *Lasiopetali dumosi et prostrati*, atque *Thomasiae dumosae et prostratae*, et quam cum signo dubitationis huc retuli. — Utrum sit species diversa, an sola varietas *Rulingiae parviflorae*, cultura mutata, certo adhuc dijudicare non audeo, sed observationibus serius instituendis relinquo, si modo contigerit, etiam *Rulingiam parvifloram* e seminibus educere. Planta culta a spontanea differt: *foliis*, et eorum *lobis crenisque* acutioribus, quare potius inciso-serrata dici possunt, supra omnino glaberrimis, subtus tomento brevioris, densioris, fere incano vestitis, *calycis segmentis* paullo obtusioribus et *petalorum ligula* obtusioris, latiore et brevioris, calycem non nisi dimidium aequante. *Capsula* omnino non differt.

8. **Rulingia malvaefolia** Steetz.

R. foliis late ovatis 3-7-lobis inaequaliter crenatis acutiusculis supra sparse pilosis subtus molliter hirsutis, inferiori-

bus basi cordatis, petalorum ligula angustissima subtrinervia calycem aequante, capsulae setis elongatis sparse pilosis.

Commersonia cygnorum Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 237. No. 2.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in Swan-River Colonia, Drummond! Collect. 1. No. 374! Collect. 2. No. 72! Ad ostium fluminis Swan-River, mense Januar. 1840. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1642!) v. s.

Species distinctissima! Suffrutex, ut videtur, elatus. *Caulis* ramosus, crassitie pennae corvinae, teres, inferne purpurascens, hirsutus, superne cum *ramis novellis* pilis stellatis, patentibus, flavescens dense villosus. *Folia* alterna, 3-5-plinervia, supra stellulis remotiusculis sparse pilosa, nervis impressis inscripta, subtus pilis stellatis densius obsita et molliter hirsuta, vix pallidiora, nervis elevatis notata; *inferiora* longe petiolata; *petiolo* terete, villosa, 5-7 lin. longo; *limbo* late ovato, acutiusculo, basi cordato, 5-7-loba, 1½-2-pollicari, basi saepe sesquipollicem lato; *lobis* obtusis, inaequaliter et acutiuscule crenatis; *superiora* brevissime petiolata; *petiolo* 1-1½-lineari; *limbo* ovato, acuto, basi attenuato sive obtuso, plerumque 3-loba, rarissime integro, pollicari sive paullo minore, 4-8 lin. lato. *Stipulae* lineari-lanceolatae, acuminatae, 2-3 lin. longae, facie glabrae, dorso et margine stellulis albidis, rigidis, elongatis, sparsis munitae, deciduae. *Cymae* oppositifoliae, 6-12-florae, longe pedunculatae, saepe apice nutantes; *pedunculo* nudo, 7-10 lin. longo et cum *pedicellis* brevibus, inaequalibus, ½-3 lin. longis, bracteatis dense villosa: *bracteis* vagis, stipulis supra descriptis simillimis, deciduis, pedicello hinc inde insidentibus; *floribus* quam in specie praecedente plus duplo majoribus, expansis fere semipollicaribus. *Calyx* petaloideus, basi tenuis fere 7-partitus; *segmentis* membranaceis, lanceolatis, acutis, 5-7-plinerviis, nervo medio validiore, reliquis versus apicem anastomosantibus et nervis lateralibus, obliquis conjunctis, facie glabriusculis sive puberulis, dorso, praesertim versus basin, pilis stellatis, albidis, hirsutis, 2-3 lin. longis, 1-1½ lin. latis, et, ut in sicco videtur, erecto-patentibus. *Petala* 5, distincta, segmentis calycinis alterna, utrinque glaberrima, calycem aequantia vel imo subsuperantia, basi valde dilatata, ovata, cucullata, marginibus introflexis filamenta fertilia cum anthera amplectentia, nervis 5-7 parallelis inscripta, et sensim in ligulam angustissimam, apice acutiusculam, 2½ lin. longam, trinerviam angustata, nervis in ligula medio tenuis manifestis, supra medium ligulae, plerumque convolutae, obsoletis. *Filamenta* 10, basi in tubum conata, alterna sterilia; *sterilia* calyce petalisque paullo breviora, petaloidea, plana, lanceolata, acuminata, uninervia, apice stellatim expansa, facie glabriuscula, dorso plus minusve pubescentia: *fertilia* petalis opposita, setacea, erecta, filamentis sterilibus multoties breviora, antheras subaequantia, pallida. *Antherae* didymae, biloculares, late ovoideae, minutissimae, ¼ lin. circiter metientes, utrinque emarginatae, medio nigrae, lateribus fusciscentes, utrinque rima laterali, longitudinali dehiscentes. *Ovarium* sphaeroideum, minimum, tuberculatum, glabriusculum, pentagynum, 5-loculare; *loculis* 6-ovulatis. *Styli* 5, brevissimi, ⅓ lin. metientes, sub anthesi arcte cohaerentes, stylum unicum metientes, glabri, apice *stigmatibus* capitato terminati, post anthesin distincti. *Capsula matura* armis non supputatis diametro 4-lineari, 5-locularis, depresso-globosa, glabriuscula vel parce pilosa, *setis* elongatis, 1½ lin. longis, remotiusculis, crassis, rigidis, basi paullo latioribus, pilis patentibus, apice glanduliferis, debilibus hinc inde conspersis, et apice truncato pilo rigidulo, albido, stellato, pauciradiato terminatis undique echinata, *stylis* distinctis, inter setas multo longiores absconditis coronata, capsulae *Rulingiac pannosae* quodammodo similis: *pericarpium* membrana duplici ut in caeteris speciebus; *loculis* intus glaberrimis, nitidis, 3-4-spermis. *Semina* submatura collateralia, 3 utrinque superposita, ad axin centram dissepimenti *funiculis umbilicalibus* planiusculis, ferrugineis affixa, adscendentia, oblonga, utrinque obtusa, atro-purpurea, levissime rugulosa, lineam circiter longa, basi stro-

phiolata; *strophio* minutissimo, cupuliformi, subintegro, stramineo; *raphe* discolore, paullo pallidior; *hilo* punctiformi.

Sectio II. SACCOFHORA: petalis basi saccatis, erectis.

9. **Rulingia corylifolia** Graham.

R. foliis late ovato-deltaideis subcordatis basi lobatis inaequaliter inciso-serratis supra hispidiusculis subtus hirsutotomentosis, capsulae setis brevissimis pilo stellato terminatis.

Rulingia corylifolia Graham! in Hooker Bot. Mag. New Series T. 6. tab. 3182 optime! (non Steudel in Vol. I hujus operis).

Commersonia Preissii Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 237. No. 1.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali. In solo turfoso-arenoso umbroso, ad marginem paludis inter montes Elphinstone et Melville, distr. Plantagenet. d. 21. Octobr. 1840. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1652!) v. s. et v. c.

Descriptio accuratissima cl. Grahami l. c. cui annexa est figura elegantissima, totius floris analysis egregie exhibens, omnia dubia sustulerunt, an planta Preissiana revera huc pertineat. Nil igitur addidi nisi fructus descriptionem, qui tunc cl. Grahamo ignotus erat.

Capsula matura diametro 2½-3-lineari, *setis* brevissimis, rigidis, obtusis, pilosis, pilo rigido, albido terminatis undique obsita, (quare potius tuberculata quam echinata dici potest,) et praeterea stellulis albidis, rigidis tota vestita. 5-ocularis, *stylis* 5, setaceis, basi latioribus et stellato-pilosis, sensim attenuatis et supra medium glabris, recurvatis, lineam longis, setas multo superantibus, et *stigmatibus* capitato terminatis, coronata. *Pericarpium* membrana ut in omnibus congeneribus duplex. *Loculi* intus glabri, non nisi basi cohaerentes, supra medium demum revera liberi. *Semina* fere matura in quovis loculo plerumque 2, collateralia, ad basin axis centralis dissepimenti affixa, oblonga, utrinque obtusa, brunnea, rugulosa, nitidula, lineam longa. basi strophiolata, et *funiculo umbilicali* planiusculo, concolore, ultra strophiolium sito, diu persistente hinc aucta; *strophio* cupuliformi, subintegro. minimo, stramineo; *raphe* concolore.

Obs. 1. *Filamenta fertilia* hujus speciei multo longiora sunt quam congenerum, longitudinem *antherarum* plus duplo superantia.

Obs. 2. *Styli* jam in alabastro manifeste distincti, arcte quidem accumbentes, non nisi summo apice stigmatibus cohaerent, quam observationem in icone allata, sub fig. 8 egregie illustratam reperimus.

Obs. 3. Semel in loculo unico *semina* 4, bina utrinque superposita, collateralia observavi, quare suspicor, *ovula* interdum plus quam duo, quae cl. Graham l. c. observavit, in *ovariorum loculis* occurrere.

COMMERSONIA Forst. Charact. gen. (1776)

pag. 43. Gay l. c. pag. 205 sqq. Endl. gen.

No. 5329. Meisn. gen. pag. 32. (26.)

1. **Commersonia Gaudichaudii** Gay.

C. foliis ovato-ellipticis basi valde inaequalibus apice obtusissimis margine inaequaliter crenatis crispis supra stellato-

hispidis subtus griseo-tomentosis, filamentis sterilibus exterioribus cum proximo fertili basi connatis.

Commersonia Gaudichaudii Gay! l. c. p. 213. tab. 14. DC! prodr. T. 1. p. 486. No. 3.

Lasiopetalum geranioides Hooker mss? in herb. palat. Vindobonensi.

Hab. in Novae Hollandiae ora occidentali, ad Peronis isthmum, Gaudichaud (ex cl. Gay), et in Dirk Hartog's Island. (V. s. specimen sterile in herb. palatino Vindobonensi.)

Specimen sterile in herbario supra allato, ditissimo, quod misit cl. Hooker s. n. *Lasiopetali geranioides*, optime convenit cum descriptione et figura a cl. Gay l. c. publicata, quare minime dubito, quin huc pertineat. Forma *foliorum* enim valde singularis est, qualem vix in alia planta reperiamus. Quum vero nec *flores* nec *fructus* viderim, synonymum non nisi cum signo dubitationis huc trahere possum.

2. *Commersonia Fraseri* Gay.

C. foliis ovatis basi subaequalibus apice acutis margine inaequaliter inciso-dentatis sive denticulatis supra glabriusculis subtus incanis molliter tomentosis, filamentis sterilibus exterioribus cum proximo intermedio sterili connatis.

Commersonia Fraseri Gay! l. c. p. 215. tab. 15. optime! (non Sieber herb. Nov. Holl. No. 217.)

Büttneria australis Sieber! herb. Nov. Holl. No. 270!

Büttneria ribesifolia Zahlbr. mss! in herb. palat. Vindob.

Hab. in Novae Hollandiae ora orientali, in Nova Walesia, Fraser (ex cl. Gay) Ferd. Bauer! Sieber! Hügel! (v. s.)

A cl. Gayo distinctae sunt varietates duae hae:

α) var. **macrophylla**: foliis magnis ovatis basi aequalibus margine inaequaliter inciso-dentatis.

Folia 4-5-pollicaria, 3-4 pollices lata, basi interdum etiam subinaequalia, *petiolo* ½-1-pollicari. — Huc pertinent specimina Baueriana et Sieberiana.

β) var. **microphylla**: foliis parvis ovato-oblongis basi subinaequalibus margine denticulato-crenulatis.

Folia 2-2½ pollicaria, 8-12 lin. lata, *petiolo* 2-4-lineari. *Flores* paululum minores. — Huc pertinet specimen Hügelianum in herb. palat. Vindobon.

Descriptioni accuratissimae cl. Gayi, icone optima illustratae non habeo, quod addam.

Genus anomalum Büttnerieis affine.

MACARTHURIA Hügel mss. Endlicher in Enum. plant. Hügel p. 11. Endl. gen. No. 6889.

Meisn. gen. pag. 344.

1. *Macarthuria australis* Hüg. mss.

M. ramis fertilibus elongatis subaphyllis cymas paucifloras remotiusculas secus totam longitudinem gerentibus.

Macarthuria australis Hüg. mss! Endlicher in Enum. plant. Hügel l. c. No. 34. Hooker! Icon. plant. T. 5 sive T. 1 (New Series) tab. 408. Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 229. No. 1.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali. Ad sinum regis Georgii III., Hügel. In Swan-River Colonia, Drummond, (ex cl. Hooker). In arenosis inter frutes circa oppidulum Perth, d. 17. Jan. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1671!) v. s.

Specimen authenticum Hügelianum et specimina Drummondiana quidem non vidi, nihilominus tamen, comparata icone cl. Hookeri et descriptione fusiore cl. Endlicheri, vix ac ne vix quidem dubito, quin specimina Preissiana revera huc pertineant, etiamsi observatio mea quoad numerum filamentorum paullulum divergit.

Flores enim semper *octandros* vidi, i. e. *filamenta* 8 in cupulam ipsis aequilongam eodem modo connata, ut in figura 2 iconis Hookerianae delineatum est. *Stamina* 10 nec in ullo flore, nec in ullo alabastro, quorum plus quam 20 secui, observavi. Hinc quidem oritur flos valde irregularis! — *Aestivatio calycis* enim est quincuncialis (sive vulgo imbricata), et quidem hoc modo: *petala bina* approximata, *sepalis binis internis* alterna, *sepalis binis externis* opposita sunt, et *petalum quintum* solitarium, *sepalo quinto* hinc tegente, illinc tecto, oppositum est. *Stamina* 8, et *styli* 3, in ovario 3-loculari asymmetriam absolutam reddunt.

Fructum unicum maturum, cl. Endlichero ignotum, sic observavi:

Capsula calycem paullisper superans obovata, basi paullisper attenuata, in fundo poro rotundo perforata, demum libera et tuberculo brevi, latitudine pori, appendicula membranacea, scariosa, lacera, (an residua stropholi?) aucto imposita, obsolete trigona, glaberrima, levissime punctata, nitidula, 3-locularis. *Loculi* intus glabri, lucidi, utrinque loculicide dehiscentes, *dissepimentis* demum obsoletis. *Pericarpium* membrana duplex, sed arte vix separanda, interiore tenuiore. *Semina* in quovis loculo solitaria, basi ad tuberculum, capsulae porum perforans, mediante *funiculo umbilicali* planiusculo, umbrino affixa, subglobosa, aterrima, nitidissima, laevissima, diametro fere lineari, basi strophiolata; *strophio* cupuliformi, semine dimidio paullo brevior, stramineo, margine obliquo, crenulato; *hilo* punctiformi, paullo supra basin sublaterali; *raphe* brevi; *integumento proprio* crustaceo, tenui, intus subtilissime punctato, a nucleo facillime separando. Sectionem *nuclei albuminosi* infeliciter et fortasse sinistre institui, quare situm *embryonis*, *cotyledonum* et *radiculae* non rite observavi, quod eo magis doleo, quo magis locus plantae nostrae in systemate naturali adhuc valde dubius est. Ad repetendum tentamen semina matura mihi deerant, suppetente non nisi unica capsula matura.

2 *Macarthuria foliosa* Preiss. mss.

M. pedunculo radicali ramis sterilibus apice abortientibus multoties brevior apice cymis multifloris approximatis confertis terminato, foliis inferioribus linearibus superioribus angustissimis bracteaeformibus.

Macarthuria foliosa Preiss. mss! Steudel! in Lehm. Plant. Preiss. T. 1. p. 230. No. 2.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in arenosis sylvae prope Bull's creek, distr. Perth, d. 18. Novembr. 1841. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1672!) v. s.

Species distinctissima! Suffrutex humilis. *Radix* crassa, diametro 3-4-lineari, lignosa, perennis, *caulem sterilem* paullo supra basin in ramos paucos simplicissimos, vel apice ramulum unum alterumve emittentes, divi-

sum pullulans. *Rami* glabri, tenues, $\frac{1}{2}$ -1-pedales, erecti, virgati, obsolete angulati, epidermide glauco-virente, subtilissime corrugata vestiti, versus apicem sensim attenuati, abortientes, parce foliati. *Folia* alterna, carnosula, glabra, sessilia, glauca; *inferiora* infra ramificationem caulis sterilis et in pedunculo sita, approximata, linearia, basi attenuata, apice obtusa, mucronulata, uninervia, 8-10 lin. longa, lineam lata; *superiora* bracteaeformia, subulata, remotissima, subdecurrentia, 1-2 lin. longa; *summa* apices ramorum abortientes terminantia, 3-4 aggregata. *Pedunculus* omnino radicalis, ramorum crassitie, iisque multo brevius, 1-2-pollicaris, basi medio tenus foliis alternis, linearibus, ut supra descripsimus, obsitus, versus apicem cymis approximatis, confertis, glomerulum quasi formantibus terminatus. *Cymae* axillares, subsessiles, secundae, basi foliolis paucis, ovatis, obtusis, planis, parvis consitae, ut plurimum dichotomae, multiflorae. *Pedicelli* glabri, 2-3 $\frac{1}{2}$ lin. longi, nudi, basi bracteati, uniflori. *Bracteolae* basilares, glabrae, minimae, lineam vix metientes, ovatae, subplicatae sive naviculares, acutae, dorso virescentes, margine scariosae, plerumque oppositae. *Flores* omnino fere ut in praecedente, sive fortasse paullulum minores. *Sepala* paullo acutiora. *Staminum cupula* ampla, octandra ut in specie praecedente, sed *filamentis* duplo brevior, nec, ut in illa, aequilonga. *Reliquae floris partes* omnino ut in *Macarthuria australi*. *Capsulam* non vidi.

Obs. Cl. Endlicher in Enum. plant. Hügel. l. c. *Macarthuriae* genus ordini *Büttneriacearum* adscribit, ubi locum inter *Seringiam* et *Thomasiam* ei designat. In tribu *Lasiopetalearum* vero infeliciter collocatum mihi videtur, propter *antherarum* constructionem valde diversam. Omnes *Lasiopetaleae* enim gaudent *antheris* contiguis, quae in *Macarthuria* subglobosodidymae reperiuntur. Hac nota et *filamentis* omnibus connatis propius quidem ad *Büttnerias* accedit, sed etiam huic tribui vix affine dici potest. Egrege enim abhorret a toto ordine *Büttneriacearum*; *Calycis laciniis aestivatione quincuncialibus*, quae in omnibus *Büttneriaceis* aestivatione *valvatae* sunt. Multo aequius mihi igitur visum est, quod cl. Endlicher in Genera plantarum *Macarthuriae* genus inter plantas dubiae sedis recepit.

Genus ex ordine Büttneriacearum excludendum:

FLEISCHERIA Steudel in Lehm. Plant. Preiss.
T. 1. p. 236.

A d d e n d a .

Postquam pagellas hasce prelo jam subjeceram, ad manus mihi venerunt: *Acta societatis doctissimae Moscoviensis, anni 1846 et 1847, ** in quibus vir celeberrimus doctissimusque Turczaninow, indefessus regionum Baicalensium atque Dahuriae perlustrator, novum constituit genus e tribu *Lasiopetalearum*, et plures novas nuncupavit species generum jam notorum ex ordine *Büttneriacearum* in Nova Hollandia indigenas. Valde doleo, quod hasce symbolas non ante vidi, quam synopsis meam omnino absolvissem.

* Bulletin de la société Impériale des naturalistes de Moscou. Tom. XIX. Année 1846. No. 4. p. 498 sqq. et Tom. XX. Année 1847. No. 1. n. 174.

neque quidquam prius habui, quam ut omnia, quae cl. Turczaninow ante me publici juris fecerat, et quae in cl. Walpersii *Repertorio Botanices systematicae* adhuc desiderantur, ad calcem dissertationis meae subjungerem, praesertim quum species hae, (etiamsi plantas ipsas non vidi), ab omnibus, quae a me enumeratae sunt, revera diversae videantur, quatenus ex solis descriptionibus sine comparatione speciminum authenticorum certo judicare licet. Itaque nil mutavi, nil excerpti, sed descriptiones omnino, ut cl. Turczaninow eas elaboravit, sine ulla interpretatione hic transtuli.

E tribu Lasiopetalearum.

Guichenotia macrantha Turczan.

G. pedunculis 1-2-floris, bracteis tribus alternis a flore remotiusculis, capsulis intus glabriusculis.

Hab. in Nova Hollandia, in Swan River Colonia, Drummond. Collect. No. 103*).

Frutex *G. ledifoliae* tenuior, magis ramosus, in omnibus partibus tomento brevior et minus copioso tectus, *foliis* fere duplo longioribus, pauciflorus, sed *floribus* magnis, illos *G. ledifoliae* multoties superantibus. Convenit cum illo *foliis* ternatis, linearibus, margine revolutis, *staminum* numero, *antherarum* forma et dehiscencia, *stylo*, *capsulis* trilocularibus, numero *seminum*, eorumque forma et *strophiola*, evidenterque ad hoc genus pertinet. (Turczaninow l. c. Tom. XIX. No. 4. pag. 500.)

Thomasia triloba Turczan.

Th. caule ramoso glabro, ramis novellis stellato-hispidis, foliis viridibus trilobis, lobo medio longiore, supra tomento stellato raro adpersis subtus fere glabris, stipulis semiovatis obtusis, pedunculis terminalibus et lateralibus gracilibus 2-4-floris folia multoties superantibus, calyce (roseo) hinc inde fasciculis pilorum tecto, filamentis sterilibus petalisque nullis, ovario tomentoso.

Hab. in Nova Hollandia, in Swan-River Colonia, Drummond. Collect. No. 106.

Th. glabratae Steud. (a me non visae) videtur affinis, at differt *foliis* semper trilobis, nec 5-7-lobis. De longitudine *pedunculorum* plantae suae nihil dicit celeb. auctor, in nostra 2-pollicares et ultra. *Calyces* amoene rosei. *Bracteae* lingulatae colore magis intenso et densius stellato-tomentosae. (Turczaninow l. c. Tom. XIX. No. 4. p. 500.)

Thomasia rugosa Turczan.

Th. caule ramoso ramisque stellato-tomentosis, foliis alternis ovatis subcordatis obtusis inciso-lobatis supra viridibus rugosissimis punctis elevatis scabris subtus tomento stellato flavido ad nervos rufescente tectis, pedunculis folia aequantibus aut parum excedentibus 2-floris, petalis nullis, staminibus sterilibus lineari-oblongis, ovario dense tomentoso.

Hab. in Nova Hollandia, in Swan-River Colonia, Drummond. Collect. No. 105.

Pedicelli brevissimi. *Bracteae* oblongae, apice vix dilatatae, cum *calyce* coerulescente pilis stellatis satis dense tectae. *Antherae* magnae,

* Nescio, utrum numeri indicati ad collectionem primam herbarii Drummondiani pertineant, an ad collectionem alteram, vel fortasse ad tertiam quandam; quum enim herbarium Drummondianum totum perlustrare mihi non contigerit, plantae sub numeris hisce editae in conspectum meum non venerunt.

cordatae, *filamenta* superantes; *stamina sterilia* longitudine *filamentorum fertilium*. (Turczaninow l. c. Tom. XIX. No. 4. p. 501.)

Corethrostylis parviflora Turczan.

C. foliis cordatis inciso-lobatis supra pilis stellatis subtus pube molli pilisque stellatis vestitis, racemis axillaribus compositis folio subbrevioribus, laciniis calycinis lineari-oblongis acutis dense albo-tomentosis pilis stellatis majoribus mixtis, antheris sessilibus.

Hab. in Nova Hollandia occidentali, prope Gorge of Murray leg. cl. Gilbert. Collect. ejus No. 83.

Species inter *Lasiopetaleas* insignis floribus minutis, a congeneribus foliis inciso-lobatis distinctissima. Pili stellati radiis longiusculis rufis, non solum folia et calycem, sed etiam caulem, petiolos et pedunculos dense tegunt. Racemi congesti, floribus tamen manifeste etiamsi brevissime pedicellatis. Bracteolae in medio pedicelli simplices minutae. Lacinae calycinae intus basi macula nigra notatae. Ovarium et stylus generis. (Turczaninow l. c. Tom. XX. No. 1. p. 174.)

DITOMOSTROPHE Turczaninow.

Calyx 5-partitus, basi *bracteola* 3-partita cinctus, laciniis multinerviis. *Petala* 5 rhombea, mucronulata, parva. *Stamina* 5 petalis opposita, antheris oblongis, poris duobus oblongis apice dehiscens. *Ovaria* 5 in unicum connata, ovulis 2 in singulo. *Stylus* filiformis, basi parum incrassatus, puberulus, caeterum glaberrimus, stigmatibus minuto terminatus. *Capsulae* 5, angulis centralibus connatae, lateribus liberae, dorso ad medium longitudinaliter dehiscens. *Semina* 2 adscendentia, angulo interno affixa, oblongo-reniformia, ad basin sinus *strophiola* bipartita cincta, ope *rhapsis* cum *chalaza*, in altera extremitate sinus sita juncta.

Ditomostrophe angustifolia Turczan.

Hab. in Nova Hollandia, in Swan-River Colonia, Drummond. Collect. No. 102.

Frutex gracilis ramosus, ramisque teretes, cortice fuscescente obducti, versus basin glabri, ad apicem tomentosi. Folia alterna, linearia, apice callosa, margine revoluta, supra punctis elevatis scabra, subtus tomento albedo stellato, squamulis rufescentibus intermixto, tecta. Stipulae semihastatae consistentia foliorum, acutiusculae. Pedunculi oppositifolii, solitarii, 1-2-flori, squamuloso-tomentosi. Flores majusculi, straminei in sicco. Calyx vesiculosus, ad medium 5-partitus; lacinae 9-11-nerviae, reticulato-venosaeque. Petala basi attenuata, atro-coerulescentia, parva, tamen majora, quam in plerisque hujus tribus. Stamina sinibus calycis breviora. Antherae filamentis longiores, coerulescentes. Fructus stellato-tomentosus. Semina in loculis plerumque 2, rarius solitaria, altero imperfecte evoluto aut omnino deficiente. Strophiola peltatim affixa, in lacinas lineares duas, basi sua longiores divisa, unde nomen.

Genus *Sarotidi* ut videtur affine, stylo non scopaeformi et forsitan dehiscens antherarum diversum. (Turczaninow l. c. Tom. XIX. No. 4. p. 498, 499.)

E tribu Büttneriearum.

Commersonia crispa Turczan.

C. foliis alternis oblongo-ovalibus inciso-lobatis undulato-crispis margine revolutis utrinque stellato-tomentosis, stipulis cuneatis in lacinias filiformes palmatim divisis, pedunculis ad apicem caulis oppositifoliis lateralibusve petiolum aequantibus 1-2-floris, petalorum appendice late obovata obtusa, stylis basi distinctis apice concretis.

Hab. in Nova Hollandia, in Swan-River Colonia, Drummond. Collect. No. 110.

Fruticulus parum ramosus aut simplex, cortice fusco vestitus, basi glaber, caeterum uti tota planta tomentosus. *Folia* parva, pollice breviora et semipollicarem latitudinem non attingentia. *Calycis lacinae* ellipticae, obtusae, glabriusculae, albae, *tubus* purpurascens, tomentosus. *Petala* basi lata insidentia, marginibus involutis cucullata, in appendicem obovatam desinentia, alba. *Filamenta* brevia, *antherae* didymae, rima transversali lata dehiscentes. *Capsulae* setis mollibus plumosis dense obtectae. (Turczaninow l. c. Tom. XIX. No. 4. p. 501, 502.)

Commersonia pulchella Turczan.

C. foliis alternis ovatis inciso-lobatis integrisque obtusis margine revolutis utrinque dense stellato-tomentosis, stipulis linearibus indivisis, pedunculis oppositifoliis 4-8-floris corymbosis folia aequantibus, appendice petalorum late ovata, stylis basi distinctis apice concretis.

Hab. in Nova Hollandia, in Swan-River Colonia, Drummond. Collect. No. 111.

Fruticulus semipedalis, praecedente gracilior magisque ramosus. *Caulis* basi glaber, versus apicem cum *petiolis tuboque calycino* tomento stellato, rufo obductus. *Folia* minuta, 3-4 lin. longa, 1½ lin. lata, viridia, saepe ad margines et in costa dorsali rufo-tomentosa. *Calyces* albi, tubo basi rufo-tomentoso, ad apicem et in limbo fere glabri. *Petala* alba, maculis duabus violaceis notata, cum appendicibus calyce parum breviora, *appendicibus* latioribus quam in praecedente. *Capsula* ignota.

Hae duae species forma appendicis insignes, *foliis* parvis et toto habitu a *Commersonia* inter plantas *Cumingianas Munillenses* sub No. 105 distributas et *Zoll. coll. Javan.* No. 143 et ad *Com. echinatum* DC. spectante, longe aliena, sectionem particularem constituere merentur. In hac *appendices* lineares, multo angustiores et longiores quam in nostris. (*Commersoniae Preissianae**) mihi ignotae sunt, et in descriptione earum de forma *appendicum* nihil dicitur. (Turczaninow l. c. Tom. XIX. No. 4. p. 502 et 503.)

* Cl. Preiss. nullam *Commersoniae* generis speciem attulit! Omnes species tres, quae cl. Steudel huic generi substituit, in *Rulingiae* genus revocare coactus eram. — *Jochen Steetz.*

Genus novum

a cl. Steudelio s. n. *Fleischeriae* inter Böttneriaceas recensitum
in ordinem Malvacearum redegit et denuo exposuit

JOACHIM STEETZ.

FLEISCHERIA Steudel Lehm. Plant. Preiss.
T. 1. p. 236.

Character generis emendatus:

Calyx monophyllus, petaloideus, patens sive subrotatus, ebracteatus, profunde 5-fidus; *laciniis* aestivatione valvatis. *Corollae* petala 5, hypogyna, obovata, unguiculata, calyce breviora, erecta, basi coalita, tubo stamineo adnata et cum illo demum decidua, aestivatione convolutiva. *Stamina* 10-15; *filamentis* in tubum basi dilatatum, columnaeformem, petalis paullo breviorum coadunatis, apice filiformibus, liberis; *antheris* unilocularibus, reniformibus, bivalvibus. *Ovaria* 5, sessilia, ovato-trigona, in orbem circa styli basin congesta, arcte coalita, sub tubo stamineo abscondita, uniovulata. *Stylus* 1, supra tubum stamineum 5-fidus; *ramis* filiformibus, reflexis, apice stigmatiferis; *stigmatibus* 5, capituliformibus. *Carpella* 5, mutica sed in rostrum brevissimum attenuata, circa columnam centralem. persistentem, basi in membranam minimam, integram, circularem expansam, disposita, arcte conniventia, sed demum sponte solubilia, apice intus aperta, monosperma. *Semen* (immaturum) suspensum, triangulare, angulis obtusis. *Embryo* ignotus, (seminibus maturis non suppetentibus). — Frutex in Nova Hollandia habitans, pube stellata incana totus vestitus, *caule* ramoso, *foliis* petiolatis, stipulatis, ovato-oblongis, integris, *stipulis* lateralibus, geminis, minutis, deciduis, *floribus* axillaribus, pedunculatis, subsolitariis, *pedunculis* infra apicem articulatis, ebracteatis.

Genus proximum *Lawrenziae* Hooker*), nec diversum nisi: *calyce* ebracteato, patente, subrotato, *petalis* unguiculatis,

*) Cf. Hooker Icon. plant. T. 3. tab. 261 et 262, et T. 5. tab. 417.

stigmatibus capituliformibus et habitu. Altera parte ad *Sidae* genus, utut jam est, ita proxime accedit, ut sine ulla haesitatione ei adjunxissem, nisi genus illud vastissimum, diversissimas plantas, praesertim quoad fructus indolem, ut opinor, amplectens, jamdiu dignum fuisset, quod in plura genera divideretur, idem, quod jam prius cl. Kunth, et post eum cl. Candolleus proposuerunt. — Caeterum nostra planta, ab omnibus *Sidae* speciebus, imo Novo-Hollandicis, quae mihi saltem notae sunt, egregie differt: *calyce* petaloideo, patente, (qui in caeteris cupuliformis reperitur), et *petalis* calyce brevioribus.

Fleischeria pubens Steudel l. c. p. 237. No. 1.

Hab. in Novae Hollandiae ora australi-occidentali, in umbrosis saxosis ad montem Mathilde, distr. York, d. 11. Sept. 1839. Preiss! (Herb. Preiss. No. 1662!) v. s. specimen authenticum a cl. Steudelio examinatum!

Frutex 5-pedalis, teste cl. Preissio. *Rami* erecti, teretes, pilis stellatis brevibus, incanis dense tomentosi, ramosi: *ramulis* inordinatim dispositis, erecto-patulis, axillaribus, apice floriferis, tenuioribus, caeterum ramos omniratione simulantibus. *Folia ramorum* alterna, petiolata: *petiolo* terete, tomento stellato, incano dense obsito, 3-4 lin. longo: *limbo* ovato-oblongo, basi rotundato, apice obtuso sive acutiusculo, margine plano, subintegro, sive vix ac ne vix quidem undulato-repando, penninervi, supra tomento densissimo, breviter stellato, incano velutino, nervo medio leviter impresso, lateralibus obsolete sive omnino inconspicuis, subtus tomento stellato-flavescente, paullo laxiore vestito, et nervis omnibus elevatis inscripto, reticulato-rugoso, $1\frac{1}{4}$ - $1\frac{3}{4}$ pollices longo. 4-6 lin. lato; *folia ramulorum* omnino eadem, sed brevius petiolata, multoque minora et angustiora; *summa* 4-6 lin. longa, lineam lata, saepius introrsum plicata; *petiolo* lineam circiter metiente. *Stipulae* citissime deciduae, et nonnisi interdum ad latera petiolorum summorum utrinque residuae, teretiusculae, subulatae, stellulis cano-tomentosae, sive apice interdum glabratae, 1- $1\frac{1}{2}$ lin. longae. *Flores* axillares, solitarii, vel nisi qui alabastro ex eadem axilla erumpente subsequuntur, et inde gemini, pedunculati, demum nutantes; *pedunculo* terete, ebracteato, omnino nudo, unifloro, versus apicem paullisper incrassato, stellulis incanis densissime tomentoso, 6-8 lin. longo, infra medium articulado, *articulo* vero propter tomentum densum vix conspicuo. *Alabastra* parva, diametro lineari, dense cano-tomentosa, pyriformia, brevissime pedunculata, valvis calycis segmentorum vix conspicuis. *Calyx* monophyllus, petaloideus, patens sive subrotatus, ebracteatus, amplus, expansus diametro 10-lineari, usque ad basin fere 5-partitus, persistens; *segmentis* ovatis, membranaceis, demum scariosis, acutis, planis, facie glaberrimis, dorso et margine pilis stellatis, in centro nigris, in radiis incanis, approximatis hirsutis et subtiliter punctatis, reticulato-venosis, (venis tribus longitudinalibus paullo validioribus,) 5 lin. longis, medio 3 lin. latis. *Petala* 5, hypogyna, ima basi coalita et ad tubum stamineum adnata, erecta, 3 lin. circiter longa, obovata, membranacea, subdiaphana et reticulato-venosa, in sicco ferruginea, margine crispula, glabra, sed ciliis longiusculis, remotis hinc inde adspersa, sensim in unguem planum, textura firmiorem, lineam paullo superantem, $\frac{1}{4}$ lin. latum, margine utroque ciliis approximatis, elongatis, albis, flaccidis, introrsum flexis fimbriato-barbatum attenuata, demum cum tubo stamineo decidua. *Filamenta* 10-15, omnia fertilia, et in tubum stamineum basi dilatatum et petalis adnatum, columnaeformem, glabrum, 2 lin. circiter longum, ovaria abscondentem et stylum circumdantem connata, apice breviter libera, deflexa. *Antherae* uniloculares, reniformes, utrinque obtusae, ferrugineae, medio insertae, bivalves, rima longitudinali dehiscentes; *valvis* effoetis divaricatis vel reflexis. *Ovaria* 5, minima, subpuberula sive glabra, opaca, irregulariter ovato-trigona,

subpyramidata, acutiuscula, in orbem circa styli basin congesta, arcte conniventia, uniovulata. *Stylus* inferne simplex, supra tubum stamineum egressus 5-partitus, glaber, infra ramificationem cum tubo stamineo demum deciduus; *ramis* filiformibus, ferrugineis, lineam circiter longis, retroflexis et deorsum spectantibus, apice stigmatiferis; *stigmatibus* majusculis, terminalibus, capituliformibus. *Carpella* (immatura) 5, circa columellam centralem in orbem congesta, conniventia, et, ut primo adspectu videri possit, arcte connata, sed demum a basi sponte solubilia, omnino nuda, glabra, difformia, triangulari-ovata et in rostrum brevissimum attenuata, latere exteriori convexiuscula, lateribus duobus interioribus applanata, in medio rostro intus aperta, $1\frac{3}{4}$ lin. circiter longa, basi lineam lata; *pericarpio* subcoriaceo, olivaceo, undique corrugato sive tuberculato; *columella centrali* persistente, cum styli rudimento coronata, 5-angulari, *angulis* subalatis, et versus basin apiceque fragmentis membranaceis, stellatim divergentibus auctis, basi in membranam minimam, integram, circularem, liberam expansa. *Semen* (immaturum) suspensum, tetraëdrum, angulis obtusis, brunneum, nitidum, subtilissime punctatum, carpellum totum fere replens. *Embryo* ignotus.

CURAE POSTERIORES.

Vol. 1. Pag. 3, ante *Acacias* inseratur:

TETRACHEILOS Lehm.

Flores hermaphroditi subquaterni. *Calyx* quadrilobus: laciniis brevibus obtusis. *Corolla* infundibuliformis calyce triplo longior, striata, quadrifida: laciniis aequalibus, conniventibus acutis. *Stamina* numerosa basi corollae inserta, subquadriseriata, inclusa. Filamenta capillaria, libera; antherae subglobosae, biloculares. *Ovarium* stipitatum; stylus longitudine staminum; stigma subcapitatum. *Legumen* stipitatum, subdispermum, arcuatum, acutum, tetraquetrum, angulis aequalibus promiulis carinaeformibus, bivalve, valvis crassiusculis. Semina oblonga strophiolata, valvarum foveolis immersa.

Tetracheilos Meisneri Lehm.

Acacia? tetragonocarpa Meisn. in Lehm. Plant. Preiss. Vol. 1. pag. 4.

CHITHONANTHUS Lehm.

Flores polygami in capitulis globosis multifloris ante anthesin bractea subcolorata involutis, (et tunc *Johnsoniam* fere referentibus) dein racemum formantibus. *Calyx* turbinatus membranaceus in lobos 5 ovatos profunde fissus. *Corolla* infundibuliformis quinquefida, laciniis aequalibus. *Stamina* numerosa imae corollae inserta, exserta. Filamenta capillaria libera. antherae globosae, biloculares. *Ovarium* stipitatum, stylus staminibus paullo longior, stigma capitatum. *Legumen* stipitatum, lineari-moniliforme, 2-6 spermum, uniloculare, bivalve, valvis coriaceis reticulato-venosis. Semina obovata, nigra, strophiolata.

Chithonanthus restiaceus Lehm. in Ind. semin. hort. Hamburg. botan. a. 1842. collector. pag. 4.

Acacia restiacea Benth. Meisn. in Lehm. Plant. Preiss. Vol. 1. pag. 3.

Obs. Floret in horto nostro cum praecedente m. Mart. et April.

Vol. I. Pag. 13, ad *Acaciam squamatam* adde:

In confragosis districtus Minto, in statu manco, m. Mart. 1841. (Herb. Preiss. No. 2110.)

Vol. I. Pag. 14, ad *Acaciam celastrifoliam* Benth. adde synonym.:
A. Pawlikowskyana et *A. Ludwigii* Hortul. — Seemann
in Verhandl. der k. k. Gartenbaugesellsch. in Wien
1846. Pag. 33.

Vol. I. Pag. 15, ad *Acaciam leiophyllum* Benth. adde synonym.: *A. Blomei* Hortul. — Seemann in Verhandl. der k. k. Gartenbaugesellsch. in Wien 1846. Pag. 36.

Vol. I. Pag. 221, ante *Leptospermum* inseratur:

BAECKEA Linn. Schauer. Endl. gen. n. 6311.
Meisn. gen. pag. 108 (76).

Baeckea scholleraefolia Lehm. suffruticosa multicaulis glabra, ramis adscendentibus, foliis brevissime petiolatis oblongis margine revolutis, pedicellis solitariis folia superantibus basi bibracteolatis, calycis limbo obtuso apice fimbriato-denticulato.

In asperis inter frutices densos prope „Seven miles bridge“ (Plantagenet) m. Octobr. a. 1840. (Herb. Preiss. No. 2015).

„Suffrutex 4-6-uncialis.“ *Caules* e radice crassa plures, laterales adscendentes intermedii suberecti, glabri, teretes, tenuissimi, cortice fusco solubili, simplices vel subramosi, ramis erecto-patulis. *Folia* opposita, crassa, coriacea, erecta vel erecto-patentia, brevissime petiolata, oblonga, obtusa, integerrima, margine revoluta, utrinque glabra, costa media subtus prominente, 3-4 lin. longa, $\frac{3}{4}$ ad 1 lin. lata, internodiis paullo breviora vel rarius aequalia. *Pedicelli* in axillis foliorum superiorum solitarii, graciles, filiformes, purpurascens, 2-3 lin. longi, glaberrimi, basi bracteolis binis minutis acuminatis coloratis stipitati. *Calyx* hemisphaerico-turbinatus, ovario adnatus, lobis planis, subrotundis, membranaceis, fusco-purpurascens, margine albido, apice subtilissime fimbriato-denticulatis. *Petala* suborbiculata, calycis limbo duplo triplove majora, rosea, intus saturatiora. *Stamina* 10, latiuscula, petalis opposita iisque alternantia, illa (i. e. petalis opposita) subduplo majora, omnia antherifera. *Antherae* filamentis infra apicem adnatae, minimae, parallelae. *Connectivum* apice glanduligerum. *Ovarium* triloculare, loculis pluriovulatis. *Stylus* simplex stigmatibus obtuso.

Vol. I. Pag. 175

CALYPTROSTIGMA Kl. = **BEYERIA** Miq.
in Ann. des sc. nat. Jun. 1844 pag. 350.

Vol. I. Pag. 176

Calyptrostigma viscosum Kl. = **Beyeria viscosa** Miq. l. c. tab. 15.

Vol. II. Pag. 229, *Ricinocarpo* adde: Endl. Icon. gen. plant. tab. 124.

Vol. II. Pag. 229, ad *Ricinocarpum glaucum* adde:

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis m. Nov. 1840. Herb. Preiss. No. 2016 ex parte.

Differt a *Ricinocarpo pinifolio* Desf. in Mém. du Mus. d'hist. nat. III. tab. 22 foliis paullo latioribus glaucescentibus, remotiuscule alternis, floralibus in apice ramulorum confertis, abbreviatis, pedicellis axillaribus subsolitariis, semper indivisis, infra medium bibracteolatis, calycibus distinctius ciliatis, intus villosis, floribus majoribus petalisque angustioribus. Endl. l. c.

***Ricinocarpus undulatus* Lehm.** foliis linearibus mucronulatis margine revolutis glaucis, floribus racemoso-corymbosis, pedicellis basi bracteatis infra medium bibracteolatis, calycibus subciliatis, petalis obovato-spathulatis undulatis.

In regionibus interioribus Australiae meridionali-occidentalis, m. Novembr. 1840. Herb. Preiss. No. 2016 ex parte.

Caules erecti, lignosi, ramulosi. *Ramuli* suberecti, superne foliosi, apice racemiferi. *Folia* sempervirentia, inferiora caulis et ramulorum opposita, reliqua alterna, sessilia, linearia, mucronulata, integerrima, margine revoluta, utrinque glabra, glauca, pollicaria et sesquipollicaria. *Racemi* corymbosi pauciflori, ramulos terminantes, rarius etiam axillares, erecti. *Pedicelli* basi bractea lanceolata acuta albo-ciliata suffulti et bracteolis duabus oppositis infra medium instructi, filiformes, pollicares et sesquipollicares. *Calycis* lacinae acutae, intus villosae, margine subciliatae. *Corolla* alba, calyce triplo longior, petalis obovato-spathulatis, valde undulatis.

Differt a praecedente praesertim floribus racemoso-corymbosis, ab utraque petalis latioribus valde undulatis.

INDEX

qui ordinem numerorum Herbarii Preissiani sequitur.

No.	Vol.	Pag.
1. Helichrysum niveum <i>Grah.</i>	I.	471
2. Waitzia aurea <i>Steetz</i>	I.	452
3. Helichrysum (specim. manca)	I.	490
4. Helichrysum bracteatum <i>Willd</i> (<i>ex parte</i>)	I.	471
4. Waitzia aurea <i>Steetz</i> (<i>ex parte</i>)	I.	452
5. Waitzia aurea <i>Steetz</i>	I.	452
6. Waitzia <i>Steetziana</i> <i>Lehm.</i>	I.	454
7. Waitzia sulphurea <i>Steetz</i>	I.	453
8. Waitzia aurea <i>Steetz</i>	I.	452
9. Waitzia citrina <i>Steetz</i>	I.	454
10. Waitzia citrina <i>Steetz</i>	I.	454
11. Helipterum niveum <i>Steetz</i>	I.	475
12. Waitzia corymbosa <i>Wendl.</i> β <i>Benthamiana</i> <i>Steetz</i>	I.	451
13. Waitzia corymbosa <i>Wendl.</i> α <i>Wendlandiana</i> <i>Steetz</i>	I.	451
14. Anisolepis <i>Pyrethrum</i> <i>Steetz</i>	I.	447
15. Waitzia brevirostris <i>Steetz</i>	I.	451
16. Helipterum <i>Cotula</i> <i>Benth.</i> α <i>ramosissimum</i> <i>Steetz</i>	I.	474
17. Helipterum <i>Cotula</i> <i>Benth.</i> β <i>simplex</i> <i>Steetz</i>	I.	474
18. Helipterum <i>simplex</i> <i>Steetz</i>	I.	475
19. Hyalosperma glutinosum <i>Steetz</i>	I.	477
20. Hyalosperma strictum <i>Steetz</i>	I.	477
21. Helipterum citrinum <i>Steetz</i>	I.	474
22. Chrysocephalum (specim. manca)	I.	490
23. Chrysocephalum squarrulosum <i>Steetz</i>	I.	472
24. Pteropogon spicatus <i>Steetz</i>	I.	479
25. Chrysocephalum flavissimum <i>Steetz</i>	I.	473
26. Helichrysum ramosum <i>DC?</i>	I.	470
27. Pithocarpa corymbulosa <i>Lindl.</i>	I.	445
28. Ozothamnus lepidophyllus <i>Steetz</i>	I.	468
29. Helichrysum cordatum <i>DC.</i>	I.	469
30. Skirrhophorus <i>Cunninghami</i> <i>DC.</i>	I.	438
31. Leucophyta <i>Brownii</i> <i>Lessing</i> α <i>candidissima</i> <i>Steetz</i>	I.	442
32. Leucophyta <i>Brownii</i> <i>Lessing</i> β <i>virescens</i> <i>Steetz</i>	I.	443
33. Gnaphalium luteo-album <i>Linn.</i>	I.	478
34. Gnaphalium luteo-album <i>Linn.</i>	I.	478
35. Pterochaeta paniculata <i>Steetz</i>	I.	456
36. Phyllocalymma micropodioides <i>Benth</i>	I.	436
37. Phyllocalymma filaginoides <i>Steetz</i>	I.	437

No.		Vol. Pag.
38.	<i>Skirrhophorus Preissianus Steetz</i>	I. 439
39.	<i>Pogonolepis stricta Steetz</i>	I. 440
40.	<i>Styloncerus humifusus Spreng.</i>	I. 435
41.	<i>Styloncerus cylindraceus Steetz</i>	I. 435
42.	<i>Styloncerus suberectus Steetz</i>	I. 436
43.	<i>Pteropogon?</i>	I. 490
44.	<i>Pachysurus angianthoides Steetz</i>	I. 442
45.	<i>Chrysocoryne pusilla Endl.</i>	I. 441
46.	<i>Gnaphalium involucratum Forst. α undulatum Steetz</i>	I. 478
47.	<i>Gnaphalium involucratum Forst. β planifolium Steetz</i>	I. 478
48.	<i>Lawrencella rosea Lindl.</i>	I. 448
49.	<i>Rhodanthe Manglesii Lindl.</i>	I. 447
50.	<i>Podolepis rugata Labill.</i>	I. 462
51.	<i>Podolepis gracilis Grah.</i>	I. 463
52.	<i>Podolepis aristata Benth. β chrysantha Endl.</i>	I. 466
53.	<i>Podolepis rosea. β mollissima Steetz</i>	I. 464
54.	<i>Podolepis subulata Steetz</i>	I. 465
55.	<i>Podolepis rosea Steetz</i>	I. 463
56.	<i>Podolepis gracilis Grah.</i>	I. 463
57.	<i>Podolepis filiformis Steetz</i>	I. 465
58.	<i>Podolepis nutans Steetz</i>	I. 464
59.	<i>Panaetia Lessonii Cassin</i>	I. 461
60.	<i>Podolepis aristata Benth.</i>	I. 466
61.	<i>Podolepis rosea β mollissima Steetz</i>	I. 464
62.	<i>Angianthus flavescens Steetz</i>	I. 438
63.	<i>Eurybia rudis Benth.</i>	I. 418
64.	<i>Amblysperma scapigerum Benth.</i>	I. 487
65.	<i>Athrixia australis Steetz</i>	I. 482
66.	<i>Millotia myosotidifolia Steetz</i>	I. 457
67.	<i>Millotia robusta Steetz</i>	I. 458
68.	<i>Millotia tenuifolia Cassin.</i>	I. 456
69.	<i>Chrysodiscus niveus Steetz</i>	I. 460
70.	<i>Senecio Cygnorum Steetz</i>	I. 483
71.	<i>Angianthus</i>	I. 490
72.	<i>Siemssenia capillaris Steetz</i>	I. 467
73.	<i>Erechtites quadridentata DC.</i>	I. 483
74.	<i>Eurybia paucidentata γ glabrata Steetz</i>	I. 421
75.	<i>Eurybia?</i>	I. 490
76.	<i>Eurybia ciliata Benth.</i>	I. 418
77.	<i>Eurybia ciliata Benth.</i>	I. 418
78.	<i>Eurybia ciliata Benth.</i>	I. 418
79.	<i>Eurybia Lehmanniana Steetz</i>	I. 422
80.	<i>Eurybia paniculata β subracemosa Steetz (ex parte)</i>	I. 421
80.	<i>Eurybia affinis Steetz (ex parte)</i>	I. 421
81.	<i>Eurybia paniculata Steetz</i>	I. 422
82.	<i>Eurybia muricata Steetz</i>	I. 423
83.	<i>Eurybia strigosa Steetz</i>	I. 419
84.	<i>Eurybia paucidentata α hispida Steetz</i>	I. 420

No.		Vol. Pag.
85.	<i>Brachycome lanuginosa Steetz</i>	I. 427
86.	<i>Brachycome pusilla Steetz</i> . . . 5	I. 427
87.	<i>Brachycome Drummondii Walp.</i>	I. 428
89.	<i>Eurybia?</i>	I. 490
90.	<i>Eurybia candidissima Steetz</i>	I. 418
91.	<i>Eurybia?</i>	I. 490
92.	<i>Eurybia axillaris DC.</i>	I. 417
93.	<i>Eurybia axillaris DC. β exaltata Steetz</i>	I. 418
94.	<i>Brachycome iberidifolia Benth. α Hügeliana Steetz</i>	I. 425
95.	<i>Brachycome iberidifolia Benth. β major Steetz</i>	I. 425
96.	<i>Brachycome iberidifolia Benth. δ divergens Steetz</i>	I. 426
97.	<i>Brachycome iberidifolia Benth. γ alba Steetz</i>	I. 425
98.	<i>Brachycome pusilla Steetz?</i>	I. 427
99.	<i>Brachycome bellidioides Steetz</i>	I. 426
100.	<i>Millotia glabra Steetz</i>	I. 458
101.	<i>Gymnogyne cotuloides Steetz</i>	I. 432
102.	<i>Vittadenia?</i>	I. 490
103.	<i>Silphiosperma glandulosum Steetz</i>	I. 433
104.	<i>Vittadenia?</i>	I. 490
105.	<i>Ixiolaena chrysantha Steetz</i>	I. 459
106.	<i>Podotheca angustifolia Less.</i>	I. 448
107.	<i>Podotheca gnaphalioides Hook.</i>	I. 449
108.	<i>Senecio carnulentus DC. β angustissima Steetz (ex parte)</i>	I. 485
108.	<i>Picris squarrosa Steetz (ex parte)</i>	I. 488
109.	<i>Senecio carnulentus DC. β angustissima Steetz</i>	I. 485
110.	<i>Senecio carnulentus DC. α latiloba Steetz</i>	I. 485
111.	<i>Senecio</i>	I. 490
112.	<i>Senecio crithmifolius A. Rich.</i>	I. 485
113.	<i>Senecio vulgaris?</i>	I. 490
114.	<i>Senecio crithmifolius A. Rich.</i>	I. 485
115.	<i>Erechtites</i>	I. 490
116.	<i>Sonchus asper Vill.</i>	I. 489
117.	<i>Sonchus oleraceus Linn.</i>	I. 489
118.	<i>Lagenophora Hügelii Benth.</i>	I. 430
119.	<i>Hypochaeris glabra Linn.</i>	I. 488
120.	<i>Ixiolaena viscosa Benth.</i>	I. 458
121.	<i>Craspedia Richea Cass.</i>	I. 443
122.	<i>Myriogyne minuta Less.</i>	I. 435
123.	<i>Senecio</i>	I. 490
125.	<i>Erechtites</i>	I. 490
126.	<i>Erechtites quadridentata DC.</i>	I. 483
127.	<i>Styloncerus multiflorus Nees ab Esenb.</i>	II. 244
128.	<i>Cotula coronopifolia Linn.</i>	I. 434
129.	<i>Cryptostemma calendulaceum B.Br.</i>	I. 487
130.	<i>Cymbonotus Preissianus Steetz</i>	I. 486
131.	<i>Pericalymma floridum Schauer</i>	I. 121
132.	<i>Pericalymma ellipticum Endl.</i>	I. 120
133.	<i>Leptospermum erubescens Schauer</i>	I. 121

No.		Vol. Pag.
134.	<i>Leptospermum erubescens Schauer</i>	I. 121
135.	<i>Leptospermum sericeum Labill.</i>	I. 121
136.	<i>Agonis flexuosa DC. α angustifolia Schauer</i>	I. 117
137.	<i>Agonis flexuosa DC. α angustifolia Schauer</i>	I. 117
138.	<i>Agonis flexuosa DC. α angustifolia Schauer</i>	I. 117
139.	<i>Agonis flexuosa DC. α angustifolia Schauer</i>	I. 117
140.	<i>Agonis flexuosa DC. α angustifolia Schauer</i>	I. 117
141.	<i>Agonis marginata DC.</i>	I. 117
142.	<i>Agonis linearifolia DC.</i>	I. 118
143.	<i>Homalospermum firmum Schauer</i>	I. 119
144.	<i>Agonis flexuosa DC. β latifolia Schauer</i>	I. 117
145.	<i>Agonis linearifolia DC.</i>	I. 118
146.	<i>Myrtacea incompleta.</i>	
147.	<i>Agonis flexuosa DC. α angustifolia Schauer</i>	I. 117
148.	<i>Homalospermum firmum Schauer</i>	I. 119
149.	<i>Agonis angustifolia Schauer</i>	I. 118
150.	<i>Astartea scoparia Schauer (ex parte)</i>	I. 114
150.	<i>Agonis conspicua Schauer (ex parte)</i>	I. 118
151.	<i>Agonis linearifolia DC.</i>	I. 118
152.	<i>Agonis theaeformis Schauer</i>	II. 223. I. 117
153.	<i>Agonis theaeformis Schauer</i>	II. 223. I. 117
154.	<i>Hypocalymma cordifolium Lehm.</i>	I. 112
155.	<i>Pericalymma crassipes Lehm.</i>	I. 120
156.	<i>Astartea leptophylla Schauer</i>	I. 113
157.	<i>Pericalymma ellipticum Endl.</i>	I. 120
158.	<i>Astartea fascicularis DC.</i>	I. 114
159.	<i>Astartea scoparia Schauer</i>	I. 114. II. 223
160.	<i>Agonis parviceps Schauer</i>	I. 119
161.	<i>Agonis parviceps Schauer</i>	I. 119
162.	<i>Astartea glomerulosa Schauer</i>	I. 115
163.	<i>Astartea corniculata Schauer</i>	I. 115
164.	<i>Rinzia Fumana Schauer</i>	I. 108
165.	<i>Astartea Endlicheriana Schauer</i>	I. 115
166.	<i>Verticordia Lehmanni Schauer</i>	I. 99
167.	<i>Verticordia insignis Endl.</i>	I. 100
168.	<i>Verticordia compta Endl.</i>	I. 100
169.	<i>Verticordia habrantha Schauer</i>	I. 100
170.	<i>Verticordia Lindleyi Schauer</i>	I. 98
171.	<i>Verticordia Drummondii Schauer</i>	I. 98
172.	<i>Verticordia Fontanesii DC.</i>	I. 98
173.	<i>Verticordia nitens Schauer</i>	I. 102
174.	<i>Verticordia Fontanesii DC.</i>	I. 98
175.	<i>Verticordia Preissii Schauer</i>	I. 101
176.	<i>Verticordia acerosa Lindl.</i>	I. 101
177.	<i>Verticordia Hügelii Endl.</i>	I. 99
178.	<i>Verticordia chrysantha Endl. β. Preissii Schauer</i>	I. 102
179.	<i>Verticordia Endlicheriana Schauer</i>	I. 101
180.	<i>Verticordia densiflora Lindl.</i>	I. 98

No.		Vol.	Pag.
181.	<i>Verticordia Endlicheriana Schauer</i>	I.	101
182.	<i>Verticordia pennigera Endl.</i>	I.	99
183.	<i>Melaleuca micromera Schauer</i>	I.	146
183 ^b .	<i>Verticordia pennigera Endl.</i>	I.	99
184.	<i>Calycothrix aurea Lindl.</i>	I.	107
185.	<i>Calycothrix angulata Lindl.</i>	I.	106
186.	<i>Calycothrix flavescens A. Cunningh.</i>	I.	106
187.	<i>Calycothrix flavescens A. Cunningh.</i>	I.	106
188.	<i>Calycothrix scabra DC.</i>	I.	104
189.	<i>Calycothrix sapphirina Lindl.</i>	I.	105
190.	<i>Calycothrix Fraseri A. Cunningh.</i>	I.	105
191.	<i>Calycothrix curtophylla A. Cunningh.</i>	I.	104
192.	<i>Calycothrix Lechenaultii Schauer</i>	I.	104
193.	<i>Calycothrix luteola Schauer</i>	I.	106
194.	<i>Calycothrix asperula Schauer</i>	I.	106
195.	<i>Calycothrix empetroides Schauer</i>	I.	105
196.	<i>Calycothrix glutinosa Lindl.</i>	I.	104
197.	<i>Calycothrix variabilis Lindl.</i>	I.	105
198.	<i>Calycothrix Fraseri A. Cunningh.</i>	I.	105
199.	<i>Calycothrix simplex Lindl.</i>	I.	105
200.	<i>Calothamnus longifolia Lehm.</i>	I.	155
201.	<i>Calothamnus schoenophylla Schauer</i>	I.	154
202.	<i>Calothamnus Schaueri Lehm.</i>	I.	154
203.	<i>Calothamnus longifolia Lehm.</i>	I.	155
204.	<i>Calothamnus longifolia Lehm.</i>	I.	155
205.	<i>Calothamnus planifolia Lehm. α angustifolia</i>	I.	155
206.	<i>Calothamnus planifolia Lehm. β latifolia</i>	I.	155
206 ^b .	<i>Calothamnus (?) suberosa Schauer</i>	I.	156
207.	<i>Calothamnus quadrifida R.Br.</i>	I.	153
